# COMPENDIOSÆ INSTITUTIONES THEOLOGICÆ,

## AD USUM SEMINARII TOLOSANI,

Jussu et auctoritate Illustrissimi et Eminentissimi D. D. Cardinalis

ANNÆ ANTONII JULII DE CLERMONT-TONNERRE,

ARCHIEPISCOPI TOLOSANI ET NARBONENSIS,


GALLIARUM PRIMATIS, ORDINIS REGII SANCTI SPIRITÛS COMMENDATORIS, DUCIS AC PARIS FRANCIÆ, REGNI MINISTRI, REGISQUE A PRIVATO CONSILIO, DOCTORIS SORBONICI, etc., etc., etc.,

in lucem editæ.

## TOMUS TERTIUS.

DE GRATIA, DE SACRAMENTIS IN GENERE, DE BAPTISMO, DE CONFIRMATIONE, DE POENITENTIA.

Quarta Editio.




TOLOSÆ,

È TYPIS JOANNIS MATTHÆI DOULADOURE.

M. DCCC. XXXV.

# TRACTATUS
# DE GRATIA.

Præsentem Tractatum, pro more, duplicem in partem dividimus : historicam, in quâ varii circa gratiam errores exponuntur; et dogmaticam, in quâ confutantur iidem errores, ipsumque stabilitur dogma catholicum. Ad partis autem utriusque intelligentiam, pauca sunt præmittenda de nomine, definitione et divisione gratiæ.

## DISSERTATIO PRÆVIA.

### DE NOMINE, DEFINITIONE ET DIVISIONE GRATIÆ.

Gratia, juxta vim nominis, est illud omne quod gratis datur. Juxta communem autem acceptionem, duplici potissimùm modo sumitur.

1.° *Latè* et minùs propriè, pro quocunque dono gratis divinitùsque concesso, cujuscunque sit ordinis, vel supernaturalis, vel etiam merè naturalis. Hoc sensu, creatio, conservatio, liberum arbitrium, firma valetudo, aliæque dotes animi vel corporis gratiæ dici possunt. Quamvis enim hæc Dei beneficia pertineant ad ordinem naturalem, nihilominùs, ut ait S. Aug. Epist. 177 aliàs 95, ad Innocentium I, *non præcedentium aliquorum bonorum operum meritis, sed gratuitâ Dei bonitate donata sunt.*

2.° *Strictè* et propriè, pro solis donis supernaturalibus, ut cùm Apostolus dicit, Eph. c. 2,

℣. 4 et 5 : *Deus... convivificavit nos in Christo, cujus gratiâ estis salvati.* Hoc solo posteriori sensu gratia in præsenti Tractatu accipitur ; et sic accepta definitur, *Donum supernaturale creaturæ intellectuali gratìs à Deo concessum, in ordine ad vitam æternam.*

Dicitur 1.°, *donum*, ad genus exprimendum; nomen enim istud omnibus generatim convenit Dei beneficiis, sive naturalibus, sive supernaturalibus.

Dicitur 2.°, *supernaturale*, ad exprimendam differentiam ; in hoc enim à donis *naturalibus* essentialiter differunt dona *supernaturalia*, quòd hæc, non illa, supra naturæ ordinem posita sint.

Dicitur 3.°, *creaturæ intellectuali*, ad designandum subjectum gratiæ capax, Angelum scilicet et hominem.

Dicitur 4.°, *gratìs concessum*, id est, præter exigentiam et debitum creaturæ. Ut enim ait Apost., Rom. c. 11, ℣. 6, *Si autem gratia, jam non ex operibus : alioquin gratia jam non est gratia.*

Dicitur 5.°, *à Deo concessum,* quibus verbis exprimitur causa gratiæ efficiens, Deus nempè, de quo legitur, Ps. 83, ℣. 12 : *Gratiam et gloriam dabit Dominus.*

Dicitur 6.° deniquè, *in ordine ad vitam æternam ;* quia causa finalis gratiæ est vita æterna, juxta istud Apost. Rom. c. 6, ℣. 23 : *Gratia autem Dei, vita æterna.*

Gratiæ sic definitæ sex sunt præcipuæ divisiones.

1.° Dividitur in *gratiam Dei*, et *gratiam Christi.*

*Gratia Dei* dicitur ea quæ à Deo confertur

independenter à meritis Christi Salvatoris. Talis gratia collata fuit Angelis, et, priusquàm laberentur, protoparentibus. Hinc vocatur *gratia sanitatis.*

*Gratia Christi* dicitur illa quæ à Deo non datur, nisi ex intuitu meritorum Christi Redemptoris. Talis est gratia quælibet, ex quo lapsus est protoparens, et omnes in ipso lapsi sumus: *Omnes enim peccaverunt*, inquit Apostolus, Rom. c. 3, ℣. 23 et 24, *et egent gloriâ Dei: justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu.* Hinc illa gratia dicitur *medicinalis.*

Hoc igitur discrimen est inter *gratiam Dei*, et *gratiam Christi*, quòd prior non quidem dignis, sed tamen non indignis, ex Dei liberalitate, collata sit; posterior autem indignis, ex ejusdem misericordiâ, conferatur.

2.° Gratia Christi dividitur in *externam*, quæ extra hominem ponitur, ut prædicatio Evangelii, educatio sancta, proborum societas, etc., et *internam*, quæ hominem interiùs afficit, ut illustratio mentis, et pia motio voluntatis.

3.° Gratia *interna* subdividitur in *gratis datam*, et *gratum facientem.*

*Gratia gratis data* est illa quæ in aliorum potiùs quàm ipsius recipientis spiritalem utilitatem conceditur. Talis est potestas conficiendi sacramenta; talia sunt dona prophetiæ, linguarum, etc., quæ novem numerat Apostolus, I Cor. c. 12.

Gratia *gratum faciens* ea est è contrà quæ magis ad propriam recipientis, quàm ad aliorum salutem ordinatur, ut fides, spes, charitas, etc.; dicitur *gratum faciens*, non quòd eum cui datur,

semper justum Deoque gratum efficiat, sed quòd semper eo fine detur.

*Nota* 1.° Gratia *gratìs data* non sic dicitur, quòd sola gratìs detur; siquidem gratia quælibet essentialiter est gratuita. Sed, quamvis nomen gratiæ *gratìs datæ* sit genericum, omnique gratiæ conveniat, cùm tamen gratia de quâ hìc agitur, specificum nomen non habeat, ideò nomen generis ipsi fuit specialiter attributum; quemadmodùm, v. g., licèt nomen *animalis* sit genericum respectu hominis et bruti, sola nihilominùs bruta absolutè vocantur *animalia*.

*Nota* 2.° Gratia *gratum faciens* seorsìm à quâlibet gratiâ *gratìs datâ* existere potest, ut patet ex utriusque definitione. Vicissìm gratia *gratìs data* potest esse sine gratiâ effectivè *gratum faciente*, id est, justificante. *Multi dicent mihi in illâ die*, inquit Christus, Matth. c. 7, ℣. 22 et 23, *Domine, in nomine tuo prophetavimus... et in nomine tuo virtutes multas fecimus: et tunc confitebor illìs... Quia nunquàm novi vos: discedite à me, qui operamini iniquitatem.* Igitur, ipso pronuntiante Christo, fieri potest aliquos esse qui in ejus nomine prophetaverint, et multas virtutes fecerint, quos tamen *nunquàm noverit*, id est, qui nunquàm fuerint justi. Hinc Balaam, Num. c. 23, ℣. 19, et Caiphas, Joan. c. 11, ℣. 51, prophetâsse dicuntur, licèt ambo fuerint homines nefarii. Ordinariè tamen gratiæ *gratìs datæ* nonnisi justis et sanctis hominibus conceduntur.

4.° Gratia *gratum faciens* subdividitur in *habitualem* et *actualem*.

Gratia *habitualis* est ea quæ per modum habitûs seu qualitatis permanentis divinitùs infun-

ditur, existitque in nobis, licèt actu non operemur. Illam gratiam designat Christus, Joan. c. 14, ℣. 23, dicens : *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.*

Gratia *actualis* est ea quæ, per modum actùs transeuntis, intellectum boni cognitione collustrat, et ejusdem amore voluntatem accendit : quatenùs illuminat intellectum, dicitur *gratia intellectûs* ; quatenùs movet voluntatem, *gratia voluntatis.*

5.° Gratia *actualis* subdividitur in *prævenientem, concomitantem, et subsequentem.* Quidquid sit de variis discrepantibusque triplicis hujus gratiæ acceptionibus, eam præ cæteris admittimus, quam ipsum insinuat Concilium Trid. *Ipse Christus Jesus*, inquit sacra Synodus, Sess. 6, cap. 16, *tanquam caput in membra, et tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influit ; quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, et comitatur, et subsequitur.* Igitur, appositè ad mentem Tridentini, per gratiam *prævenientem*, quæ dicitur etiam *præoperans* et *excitans*, eam intelligamus, quâ bonum opus velle incipimus ; per *concomitantem* seu *cooperantem* et *adjuvantem*, quâ illud idem perficimus ; per *subsequentem* verò, quâ in eo, postquàm perfectum est, persistimus. Itaque gratia *præveniens* pro effectu habet bonam voluntatem ; *concomitans*, ipsum opus bonum ; et *subsequens*, in bono opere constantiam. Primam gratiam indicat regius Vates, Ps. 58, ℣. 11, *Misericordia ejus præveniet me ;* secundam, Ps. 93, ℣. 18 : *Misericordia tua, Domine, adjuvabat me ;* tertiam, Ps. 22, ℣. 6 : *Misericordia tua subsequetur me.*

6.° Demùm gratia *actualis* iterùm distribuitur in *efficacem* et *sufficientem.*

Gratia *sufficiens,* juxta obviam nominis significationem, est illa quæ voluntati dat vires sufficientes ad bonum supernaturale producendum. Quamvis omnis gratia, sive habeat, sive non habeat effectum, sit eo sensu sufficiens, theologi tamen, imperfectiori speciei nomen generis relinquentes, solam gratiam quæ caret effectu, *sufficientem* vocant; eam verò quæ sortitur effectum, appellant *efficacem.*

Hinc gratia *efficax* ea definitur, cum quâ voluntas non modò potest bonum operari, sed illud reipsâ operatur; *sufficiens* verò, cum quâ potest quidem bonum operari, cum quâ tamen illud, ex suâ culpâ, non operatur.

Omnium est celeberrima sexta hæc gratiæ divisio; circa illam enim plerique versantur errores, deinceps in parte dogmaticâ confutandi, statìmque in parte historicâ referendi.

# PARS HISTORICA.

Quicunque circa gratiam errârunt Hæretici, duplicem generatìm ad classem revocantur: prima eorum est qui, sub specie salvandæ libertatis, gratiæ negârunt necessitatem vel gratuitatem; altera illorum qui, sub prætextu gratiæ defendendæ, peremerunt hominis libertatem. Pro hoc duplici Hæreticorum genere, duplex erit dissertatio.

# DISSERTATIO PRIMA.

## DE HÆRETICIS QUI, SUB SPECIE SERVANDÆ LIBERTATIS, IMPUGNARUNT GRATIÆ NECESSITATEM VEL GRATUITATEM.

ANTE cæteros sibi hàc in parte nomen fecerunt Pelagiani et Semipelagiani, de quibus nobis est duplici capite disserendum.

## CAPUT PRIMUM.

### *De Pelagianis.*

HUJUS capitis duo erunt articuli : unus de Pelagio ejusque defensoribus et impugnatoribus, alter de ejusdem circa gratiam erroribus.

### ARTICULUS PRIMUS.

#### *De Pelagio ejusque Defensoribus et Impugnatoribus.*

Pelagius, genere Anglus, professione Monachus, vir fuit ingenio et eruditione non parùm conspicuus, ut sæpè testatur D. Augustinus. Ita compositos et probatos, specie saltem, mores habuit, ut de illo dixerit idem S. Doctor, lib. de peccatorum Meritis et Remissione, cap. 1 : *Legi quædam Pelagii scripta, viri, ut audio, sancti et non parvo profectu christiani.*

Duo præcipui fuère Pelagii discipuli et defensores. Primus occurrit Cœlestius, qui tantam Pelagianæ hæresi propagandæ contulit operam, ut hujus sectæ homines, sicut à Pelagio vocati

sunt Pelagiani, sic et à Cœlestio dicti sint Cœlestiani, hocque sub nomine damnati fuerint in Synodo Ephesinâ. Alter maximi nominis discipulus Pelagii fuit Julianus, Eclanæ in Campaniâ Episcopus. Plurimo valens ingenio, sed tumens superbiâ, desperatæ Pelagii causæ defensionem aggreditur. Fraudibus autem ejus ac fallaciis ab Augustino propalatis, episcopatu et Italiâ pellitur, ac Constantinopolim, Theodosii Imperatoris præsidium quæsiturus, venit. Verùm hâc ipsâ ejectus urbe, diùque posteà profugus, Siciliæ tandem appulit, ubi, ex Episcopo factus in ignobili vico ludimagister, obiit circa annum 453.

Adversùs hæresim Pelagianam, ab anno 412 ad annum 431, Concilia habita sunt 24, quorum præcipua sunt, 1.° Carthaginense, anno 412, in quo, præside Aurelio Carth. Episcopo, damnati sunt Cœlestii errores. 2.° Carthaginense alterum, anno 416: ibi causa Pelagianorum accuratè discutitur, recensentur quæ in priori Conc. Carth. fuerant adversùs Cœlestium definita, ac tandem contra ipsius magistrum, Pelagium, fertur damnationis sententia. 3.° Versùs finem ejusdem anni, Milevitanum, cui cum S. Augustino adfuerunt 60 Episcopi. Cùm autem acta Conc. Cart. et Milev. missa fuissent Romam, ibique ab Innocentio I approbata, *causam finitam esse* acclamavit S. Augustinus, Serm. 131, de Verbis Apostoli: *Duo Concilia*, inquit, *missa sunt ad Sedem Apostolicam, indè etiam rescripta venerunt: causa finita est.* Nec tamen hæresis finem habuit; ut enim adversùs Innocenti I et successoris ejus Zozimi decreta tuerentur se Pelagiani, ad futurum Concilium ge-

nerale provocationem interposuerunt, duce Juliano Eclanensi, 18 Episcopi, Pelagii dogmatibus adhærentes. Verùm, non obstante vanâ illâ ac futili provocatione, ut observat S. Augustinus lib. 4 ad Bonifacium, cap. ult., lata adversùs eos excommunicationis, depositionis et exilii sententia, exsecutioni fuit demandata.

Hæresim Pelagianam deditâ operâ debellârunt, 1.° S. Hieronymus, qui contra Pelagianos Epistolam ad Ctesiphontem, anno 413, et tres Dialogorum libros, anno 415, ex professo scripsit.

2.° S. Augustinus, qui cum iis dimicare non destitit, ab anno 412, quo primum adversùs ipsos opus de peccatorum Meritis et Remissione vulgavit, ad annum 439, quo morte præoccupatus *Imperfectum* reliquit *Opus* contra secundam reponsionem Juliani.

3.° Paulus Orosius, Presbyter Hispanus, sanctisque Hieronymo et Augustino amicitiâ conjunctissimus.

4.° Marius Mercator, cujus duo celeberrima supersunt opera, nempè Commonitorium, et liber *Subnotationum* in postremos Juliani libros, editus anno 431.

## ARTICULUS II.

### *De Pelagianorum circa Gratiam erroribus.*

Ut faciliùs intelligatur in quibus circa gratiam erraverint Pelagiani, sex quasi epochas distinguimus.

1.° Ubi suam hæresim promulgare cœperunt, ipso gratiæ rejecto nomine, palàm docuerunt naturales liberi arbitrii vires sufficere ad implenda omnia Dei mandata, omniumque virtu-

tum officia exercenda, sicut oportet ad salutem. Id evidenter colligitur ex S. August., Serm. 11 de Verbis Apost.

2.° Cùm, ob novam hanc inauditamque doctrinam, *fecissent*, ut ibid. ait S. Aug., *auribus piis et catholicis offensionem... et cœpissent ut certæ pernicies devitari*, ut publicam Catholicorum indignationem effugerent, cœperunt apertè profiteri se gratiam admittere. Sed, nomine gratiæ, ipsum intelligebant liberum arbitrium; quatenùs nempè, nullo nostro præcedente merito, nobis à Deo concessum est. Id constat ex eodem S. Doctore, loco mox citato.

3.° Pelagianorum compertâ fraude, pressiùs eos insecuti sunt Catholici, vividèque institerunt ut aliam, præter liberum arbitrium, gratiam agnoscerent. Isti ergo distinctam quidem à libero arbitrio, sed in solâ *lege* atque *doctrinâ* repositam gratiam admiserunt. Hanc Pelagianam gratiæ speciem describit S. Aug. lib. de Spiritu et Litterâ, cap. 2.

4.° Dicere non potuerunt Pelagiani *legem* atque *doctrinam*, unà cum libero arbitrio, homini sufficere ad salutem acquirendam, quin hoc ipso, saltem tacitè, confessi sint nos, independenter à Christi meritis, posse nostram salutem operari. Ut igitur tam impium sibique centies ab Augustino exprobratum consectarium utcunque eluderent, ad aliud confugerunt gratiæ genus, Christi scilicet *exemplum* et *imitationem*; atque dixerunt, ut notat S. August. lib. de Grat. Christi, cap. 2, *nobis in eo Christum ad non peccandum præbuisse adjutorium, quia ipse, justè vivendo, justèque docendo, reliquit exemplum.*

5.° Cùm autem ipsis invictè probâsset August., *Christi exemplum* vix differre à *lege* et *doctrinâ*, quasi coacti sunt ad tertiam gratiæ speciem, nimirùm remissionem peccatorum, recurrere : *Gratiam Dei,* ait ibid. S. Doctor, *quâ Christus venit in mundum peccatores salvos facere, in solâ peccatorum remissione constituunt.*

6.° Huc usque nulla est inter Theologos, circa Pelagii errores, dissensio. Utrùm verò gratiam internam, saltem intellectûs admiserit Pelagius, non omninò consentiunt Scholæ Magistri, pluribus tamen contra paucos affirmantem propugnantibus. Sed gravior est controversia, an gratiam voluntatis actualem, aut etiam habitualem, Pelagius aut saltem ejus discipuli admiserint. Quidquid sit, certum est apud omnes, quamcunque gratiam Pelagiani, Juliano duce, confessi fuerint, ipsam duplici potissimùm vitio infectam admisisse. 1.° Illam gratiam *absolutè* necessariam non esse contendebant, sed duntaxat *secundùm quid,* scilicet ad faciliùs operandum : *Cùm dicit Pelagius,* inquit S. Aug. lib. de Grat. Christi, cap. 26, *propterea dari gratiam, ut quod à Deo præcipitur, faciliùs impleatur, quid de illâ sentiat satis ostendit, scilicet quòd etiam sine illâ, etsi minùs facilè, fieri tamen quod divinitus præcipitur potest.* 2.° Eam non esse gratuitam dicebant, sed humanis meritis rependi : *Quamlibet sentiat gratiam Pelagius,* ait idem S. Doctor, ejusd. libri cap. 31, *ipsis Christianis secundùm merita dari dicit.*

## CAPUT II.

### *De Semipelagianis.*

Semipelagiani sic dicti sunt, quòd, erroribus Pelagii partìm rejectis, partìm retentis, ejus hæresim quasi dimidiaverint. Dicti sunt etiam *Massilienses*, eò quòd Massiliæ frequentiores essent, quàm in aliâ quâlibet urbe Galliarum.

Eodem ordine de Semipelagianismo disseremus, ac, capite præcedenti, de Pelagianismo. Dicemus itaque 1.° de ejus defensoribus et impugnatoribus; 2.° de illorum circa gratiam erroribus.

### ARTICULUS PRIMUS.

### *De Semipelagianismi Defensoribus et Impugnatoribus.*

Inter Semipelagianismi defensores maximè spectandi sunt,

1.° Joannes Cassianus, quem Semipelagianorum principem meritò dixeris. Is, peragratis Palestinæ et Ægypti Cœnobiis, defuncto S. Joanne Chrysostomo à quo Diaconus fuerat ordinatus, Gallias petit, Massiliæ consistit, scriptisque mandat quas cum Egyptiis Monachis habuerat collationes. In iis Semipelagianismum disertè profitetur, et ob hanc rem à S. Prospero sub nomine *Collatoris* confutatur. Cæterùm obiit sanctissimè, circa annum 434, ita ut à S. Gregorio Magno dicatur *Sanctus*, ejusque festum Massiliæ quotannis celebretur.

2.° Faustus, patriâ Britannus, ex Abbate Liri-

nensi Episcopus Regiensis in Galliâ factus, anno saltem 462. Hic, dùm Prædestinatianam hæresim impugnat, in oppositam, semipelagianam scilicet, miserè delabitur. Ejus nomen sacris Ecclesiæ Gallicanæ fastis adscriptum est.

3.° S. Hilarius, Arelatensis Episcopus, ut expressè testatur S. Prosper, in Epist. ad S. Aug., scriptâ anno 429. Nec mirum videri debet, si tres illi Semipelagianismi defensores inter Sanctos computentur; hæc enim hæresis nonnisi plurimis post eorum mortem annis, solemni Ecclesiæ judicio fuit condemnata, ut mox dicemus.

4.° Gennadius, Massiliensis Presbyter, qui in libro quem scripsit *de Viris illustribus*, anno circiter 490, Cassianum summis effert laudibus.

5.° Tandem Vincentius quidam, ut constat ex lib. quem adversùs illum scripsit S. Prosper sub hoc titulo, *Ad Capitula objectionum Vincentianarum Responsiones*. Quis autem fuerit Vincentius ille, an scilicet Lirinensis, celeberrimus *Commonitorii* auctor, an verò alius, disputant eruditi.

Inter Semipelagianismi debellatores, sibi præ aliis nomen fecerunt,

1.° S. Augustinus, qui duo contra hanc novam hæresim, licèt senio confectus et morti proximus, opera conscripsit, unum de Prædestinatione Sanctorum, et aliud de Dono Perseverantiæ.

2.° Cœlestinus I, Romanus Pontifex, insigni Epist. ad Episcopos Galliæ scriptâ, anno 432, in quâ Augustini de gratiâ doctrinam, ut ipsius Ecclesiæ fidem, approbat.

3.° S. Prosper, et Hilarius alter ab Arelatensi, quidquid nonnulli dixerint. S. Prosperi genuina opera habentur, tum Epistola quâ S. Augustino

cum Hilario Semipelagianos denuntiat; tum liber de Gratiâ et libero Arbitrio, quem contra *Collatorem* seu Cassianum conscripsit; tum *Responsiones* sive ad *Capitula Gallorum*, sive ad *Capitula objectionum Vincentianarum*, sive ad *excerpta Genuensium*; tum deniquè carmen *de Ingratis*. An laicus fuerit S. Prosper, an verò Clericus, non constat inter eruditos.

4.° Auctor duorum librorum de Vocatione Gentium, sive sit ipse S. Prosper, ut cum Bellarmino contendunt nonnullli; sive alius à S. Prospero, ut plerique hodiè censent critici.

5.° Gelasius Summus Pontifex, et S. Fulgentius, ex Monacho Ruspensis in Africâ Episcopus, qui tanto ardore Semipelagianorum reliquias insecutus est, ut alter Augustinus appellari meruerit.

Tot Patrum scriptis prostratum Semipelagianismum supremo confodit ictu Synodus Arausicana II, quam confirmavit Bonifacius Papa II, anno 530. Ex hâc speciali S. Sedis confirmatione, expressâque vel tacitâ Ecclesiæ dispersæ approbatione, tanta Arausicani Concilii definitioni accessit auctoritas, ut ipsi nemo potuerit, absque hæreseos notâ, contradicere, ait ipse Quesnellus, lib. cui titulus, *Tradition de l'Eglise Romaine*, pag. 330.

## ARTICULUS II.

### *De Semipelagianorum circa gratiam Erroribus.*

Certum est 1.° in eo circa gratiam cum Pelagianis consensisse Semipelagianos, quòd dixerint gratiam non esse gratuitam, sed homini juxta naturale meritum dari. Hujus autem suæ doctrinæ duplicem eamdem rationem afferebant, quam

ipsi Pelagiani : 1.$^{am}$ quòd, si gratia voluntatem præveniret, non voluntas gratiam, de omni actum esset libertate, summaque circa negotium salutis induceretur socordia; 2.$^{am}$ quòd Deus iniquus foret acceptor personarum, qui, sine ullo meritorum intuitu, suam gratiam uni concederet, et alteri denegaret.

Certum est 2.° Semipelagianos à Pelagianis dissensisse in eo quòd Pelagiani gratiam quam admittebant, qualiscunque sit, etiam ad perficienda bona opera *secundùm quid* tantùm necessariam esse docuerint; Semipelagiani verò interiorem gratiam intellectùs et voluntatis ad quodlibet bonum perficiendum *absolutè* necessariam confessi sint.

*Quæritur* itaque utrùm Semipelagiani gratiæ interioris, non tantùm ad perficienda, sed et ad inchoanda bona opera, vel saltem ad fidem inchoandam, necessitatem cum Pelagianis negaverint; an è contrà, adversùs eosdem, cum Catholicis defenderint. Priusquàm autem hæc quæstio resolvatur,

Notandum est, Semipelagianos distinxisse fidem ab initio fidei; et item bonum opus à boni operis initio. Per fidei initium intelligebant pium illum affectum, quo quis nondùm quidem credit, sed tamen ad ea credenda quæ saluti necessaria sunt, inclinatur; per initium verò boni operis, bonam illam affectionem voluntatis, quâ nondùm quidem perficit bonum opus, sed tamen illud perficere desiderat, et aliquatenùs nititur. Jam verò, circa præsentem quæstionem, à Catholicis maximè dissentit Jansenius. Docet enim, *Semipelagianos admisisse prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei;*

*et in hoc fuisse hæreticos, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare.* Ipsa est inter quinque famosas quarta propositio.

Catholici ex adverso duo docent, 1.um nunquâm *Semipelagianos admisisse prævenientis gratiæ interioris necessitatem,* saltem *ad initium fidei;* ideòque falsam esse primam partem quartæ propositionis; 2.um supponendo talis gratiæ necessitatem Semipelagianos admisisse, non *in hoc fuisse hæreticos, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare;* proindèque istam alteram propositionis partem esse hæreticam. Cùm autem pars ista posterior ad dogma pertineat, à nobis non confutabitur, nisi in Tractatûs parte dogmaticâ. Ad priorem verò, quæ est *facti,* refellendam, sit

PROPOSITIO.

*Semipelagiani nunquàm admiserunt necessitatem Gratiæ interioris ad initium fidei.*

*Prob.* Illud dogma non admiserunt Semipelagiani, quod expressis verbis rejecit ipsorum coryphæus Cassianus, ab ipsisque rejectum fuisse disertè testantur eorum debellatores celeberrimi : atqui, etc.

1.° Quidem Semipelagianorum antesignanus, Cassianus, expressè rejecit necessitatem gratiæ interioris ad fidei initium. Collationis enim 13 cap. 11, sic loquitur : *Si gratiâ Dei semper inspirari bonæ voluntatis principia dixerimus, quid de Zachæi fide, quid de illius in cruce latronis pietate dicimus, qui desiderio suo vim quamdam*

*regnis cœlestibus inferentes, specialia vocationis monita prævenerunt?*

2.° Celeberrimi Semipelagianorum debellatores, SS. Aug., Prosper, et Fulgent., apertè testantur ab iisdem rejectam fuisse gratiæ interioris ad initium fidei necessitatem.

Et quidem S. Aug. Ab exordio enim libri de Prædestin. Sanctorum, quem ex professo contra Semipelagianos exaravit, præcipuum ipsorum errorem sic exponit: *Nunc eis respondendum esse video, qui divina testimonia, quæ de hâc re adhibuimus, ad hoc dicunt valere, ut noverimus ex nobis quidem nos habere ipsam fidem, sed incrementum ejus ex Deo: tanquam fides non ab ipso donetur nobis; sed tantùm augeatur in nobis eo merito, quo cœpit à nobis.*

Pariter S. Prosper. Nam in Epistolâ quâ Massilienses Augustino denuntiat, quid circa gratiæ necessitatem et gratuitatem sentiant, his verbis significat: *Inquiunt... quantùm ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam; quantùm autem ad arbitrii libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo sponte crediderint, et auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint.* Dicebant ergo Semipelagiani, solos illos gratiam salutis accipere, qui *sponte*, id est, sine gratiâ crediderint, suâque credulitate gratiæ auxilium meruerint.

Deniquè S. Fulgentius. Lib. enim de Incarnat. et Grat., de Semipelagianis sic loquitur: *Secundùm opinionem eorum, necessarium est velle credere, priusquàm Dei gratia nos incipiat adjuvare.* Quæ clara sunt et perspecta.

Hinc 1.° Synodus Arausicana II sic definit adversùs Massilienses, can. 5: *Si quis, sicut*

*augmentum, ita etiam fidei initium,... non per gratiæ donum,... et naturaliter nobis inesse dicit, apostolicis dogmatibus adversarius probatur.*

Hinc 2.° à Summis Pontificibus Innoc. X, et Alexandro VII, ut *falsa* damnata est prima pars quartæ propositionis Jansenii : *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei.*

*Obj.* 1.° ex Cassiano : Collationis 13 cap. 3, sic loquitur : *Non solùm actuum, sed etiam cogitationum bonarum ex Deo est principium, qui nobis et initia sanctæ voluntatis inspirat.* Ergo, juxta Cassianum, ipsum etiam cogitationum bonarum principium, id est, fidei initium ex Deo est, *qui nobis* illud *inspirat.*

*Resp. Nego consequent. :* Idem Cassianus, ejusdem Collationis cap. 8, sic loquitur : *Cùm in nobis ortum quemdam bonæ voluntatis inspexerit* (Deus), *illuminat eam confestìm, atque confortat, et incitat ad salutem, incrementum tribuens ;* et cap. 11 : *Cùm viderit nos Deus ad bonum velle deflectere, occurrit, dirigit atque confortat.* In hoc utroque textu clarè pronuntiat Cassianus Deum communiter nonnisi præexistenti bonæ voluntatis initio gratiæ suæ auxilium concedere. Ut igitur in objecto loco secum ipse non pugnet, alterutrum necessum est, vel ibi de solâ loqui gratiâ exteriori, *Lege* nimirùm et *Doctrinâ,* de quâ hìc non agitur ; vel, si de ipsâ loquatur interiori gratiâ, dicere duntaxat, illâ bonæ voluntatis initium sic interdùm produci, ut ad illud producendum nunquàm sit absolutè necessaria, semperque sufficiant naturæ vires.

Leve est quod objicitur ex Gennadio lib. de ecclesiast. Dogm., cap. 21; cùm, ubi hunc librum scripsit, non ampliùs esset Semipelagianus.

*Obj.* 2.° S. Aug., lib. de Prædestinatione SS., cap. 1, asserit Massilienses eò *pervenisse... ut præveniri voluntates hominum Dei gratiâ fateantur, atque ad nullum bonum opus, vel incipiendum, vel perficiendum, sibi quemque sufficere consentiant*: atqui non *prævenirentur voluntates hominum Dei gratiâ*, si homines ex seipsis, nullâ gratiâ adjuvante, credere vellent, seu haberent fidei initium; ergo, etc.

*Resp. Dist. maj.* Asserit S. Aug. eò tandem pervenisse Semipelagianos, ut faterentur præveniri voluntates hominum Dei gratiâ, ad quodcunque *opus bonum, vel perficiendum, vel incipiendum, conc. maj.*: asserit eò usque pervenisse, ut confiterentur præveniri voluntates hominum Dei gratiâ, etiam *ad fidem inchoandam, Nego maj.* Ut enim suprà notavimus, initium fidei et initium boni operis duo erant in mente Semipelagianorum valdè diversa; proindèque potuerunt ex ipsis nonnulli gratiæ interioris ad boni operis initium necessitatem admittere, quin eamdem necessitatem ad fidei initium admiserint.

Et certè, eodem in libro, non multò post verba objecta, nimirùm in ipsis verbis inter probandum adductis, asserit expressè S. Doctor, interioris gratiæ necessitatem ad fidei initium non admitti à Semipelagianis; statimque illis opponens Apostoli sententiam: *Non quòd simus sufficientes, etc.*, ex eâ sic illos redarguit: *Attendant hìc, et verba ista perpendant, qui pu-*

*tant ex nobis esse fidei cœptum, et ex Deo esse fidei supplementum.* Sibi ergo, et quidem eamdem intra paginam, contradiceret Aug., si objecta verba essent ad solius boni operis, non ad ipsius etiam fidei initium referenda.

*Inst.* Ejusdem libri cap. 3, fatetur S. Doctor se ante episcopatum fuisse Semipelagianum : atqui tamen in nullo operum quæ ante episcopatum scripsit, negat voluntates nostras gratiâ Dei, vel etiam ad fidei initium, præveniri; ergo nec illud idem unquàm negârunt Semipelagiani.

*Resp. Nego min.* Fatetur quidem S. Aug. se ante episcopatum fuisse Semipelagianum. Verùm fatetur etiam gratiæ interioris ad initium fidei necessitatem à se negatam fuisse in nonnullis operum quæ nondùm Episcopus confecit; ipse audiatur, in ipso cap. 3 lib. de Prædestin. SS.; *Similiter errabam,* inquit, *putans fidem, quâ in Deum credimus, non esse donum Dei, sed à nobis esse in nobis... Neque enim fidem putabam Dei gratiâ præveniri... Quem meum errorem nonnulla opuscula mea satis indicant, ànte episcopatum meum scripta.* Nedùm igitur ex operibus ab August. adhuc Semipelagiano confectis concludi possit, interioris gratiæ ad fidei initium necessitatem fuisse à Semipelagianis admissam, ab iisdem è contrà rejectam fuisse, ex his ipsis operibus manifestè colligitur.

# DISSERTATIO SECUNDA.

## DE HÆRETICIS QUI, SUB PRÆTEXTU DEFENDENDÆ GRATIÆ, HOMINIS PEREMERUNT LIBERTATEM.

Inter secundi hujus ordinis Hæreticos eminent, 1.° Prædestinatiani, 2.° Protestantes, 3.° Baius, 4.° Jansenius : de quibus est quadruplici capite quàm brevissimè disserendum.

## CAPUT PRIMUM.

### *De Prædestinatianis.*

Prædestinatiani sic dicti sunt ex eo quòd profitebantur homines necessariò prædestinari, sive ad bonum, sive ad malum; sive ad vitam, sive ad mortem; ad felicitatem æternam, æternumque supplicium.

Prædestinatianam hæresim nunquàm exstitisse asseruit Jansenius, lib. 8 de Hæresi Pelagianâ, sed merum fuisse Semipelagianorum figmentum, imò et S. Aug. doctrinam, quam isti nomine Prædestinatianismi infamare voluerint.

Verùm certum est Lucidum quemdam Presbyterum, labente seculo v, Prædestinatianismum in Galliâ tenuisse. Docebat enim errores quibus constat perversum Prædestinatianorum dogma, scilicet 1.°, quod cæterorum fons est et radix, quosdam homines, absoluto Dei decreto, ante prævisa demerita, ad damnationem æternam prædestinari; 2.° Deum proindè non velle salutem omnium hominum, sed eorum

duntaxat qui salvantur; 3.° Christum consequenter pro solis prædestinatis mortuum esse, et sui sanguinis pretium obtulisse; 4.° tam in electis, quàm in reprobis, liberum arbitrium periisse: in electis quidem per gratiam, ne malè agerent; in reprobis verò, per gratiæ denegationem, ut peccarent.

Hæc constant, 1.° ex Fausti Regiensis ad Lucidum epistolâ, quâ ipsum vividè hortatur ad deponendos errores quos modò enumeravimus; 2.° ex ipso retractationis libello quem Lucidus, receptâ Fausti epistolâ, obtulit Episcopis Gallicanis; 3.° ex Conc. Arelatensi et Lugdunensi, anno 475, ut testatur Faustus Regiensis in præfatione ad Leontium, Arelatensem Archiepiscopum, quam suo præmisit operi de Gratiâ et libero Arbitrio; 4.° ex expressâ declaratione Lucidi damnantis hæresim Prædestinatianam, prout eam damnaverat Concilium Arelatense. Habemus igitur et accusatorem Faustum, et Lucidum reum confitentem, et judices Episcopos, in duobus Conciliis congregatos, et Lucidum suum damnantem errorem, prout damnandum statuerat Arelatense Concilium. Quid efficacius desiderari potest ad evincendum Prædestinatianam hæresim seculo v exstitisse?

Jam in ortu suo exstinctam Prædestinatianam hæresim, ex suis cineribus, seculo IX, suscitavit Gotescalcus, cœnobii Orbacensis, in diœcesi Suessionensi, Monachus. Hujus facti testes sunt, 1.° insigniores illius ætatis Episcopi, à quibus Gotescalcus de Prædestinatianismo accusatus fuit, nempè Rabanus, Archipræsul Moguntinus, Epist. ad Eberardum Comitem, apud quem residebat Gotescalcus; Hincmarus, Archiepiscopus Rhemensis,

mensis, Epist. 25 ad Egilonem Archiepiscopum; et Amolo, Lugdunensis Archiepiscopus, in Epist. ad Gotescalcum.

2.° Testes sunt etiam Concilia : 1.° Conc. Moguntinum, anno 848, in quo Gotescalcus præsens auditus, convictus et damnatus, ad Hincmarum Metropolitanum suum remissus est, cui, in Epistolâ synodali, sic de Gotescalco scribit Rabanus : *Dicit quòd prædestinatio Dei, sicut et in bono sit, ita et in malo : et tales sint in hoc mundo quidam, qui propter prædestinationem Dei quæ eos cogat in mortem ire, non possint ab errore et peccato se corrigere; quasi eos Deus fecisset ab initio incorrigibiles esse, et pœnæ obnoxios in interitum ire. Hanc ergo opinionem nuper, in Synodo apud Moguntiam habitâ, ab eo* (Gotescalco) *audientes, et incorrigibilem eum reperientes,... decrevimus eum cum perniciosâ suâ doctrinâ damnatum mittere ad vos, quatenùs eum recludatis.* 2. Concilium I Carisiacum (*Quiersy sur Oise*), anno 849; in eo enim, ut refert Hincmarus, lib. de Prædest. cap. 11, *inventus hæreticus et incorrigibilis, sicut in Moguntinâ civitate,... honore presbyterali... abjectus, et, pro suâ irrevocabili contumaciâ, secundùm leges et Agathenses canones, et regulam S. Benedicti, ut improbus virgis cæsus...... et ergastulo* (monasterii Altivillarensis) *est retrusus.* 3. Concilium Carisiacum II, anno 853, in quo confecta sunt celeberrima quatuor illa capitula, quatuor præcipuis Prædestinatianismi capitibus opposita. Hæc, saltem quoad substantiam, in Concilio Tullensi II, anno 860, confirmata fuêre à 57 Episcopis, quorum plurimi Synodo Carisiacæ II interfuerant.

3.° Ipse Gotescalcus, tacitè saltem, sese Prædestinatianum confessus est. Nam à tribus Archiepiscopis de Prædestinatianismo exagitatus, et ob eamdem hæresim tribus in Conciliis damnatus, in hujus hæreseos pœnam ab Hincmaro in carcerem detrusus, et moriens Ecclesiæ sacramentis privatus, ne semel quidem conquestus est hanc doctrinam sibi per calumniam imputari; idque unum perpetuò clamitavit, se pro veritate persecutionem pati.

Ut autem ad Gotescalci personam redeamus, in carcere ubi, ex Concilio Carisiaco I, reclusus fuerat, duplicem, Hincmaro permittente, edidit fidei professionem, in utrâque suam ita heresim dissimulans, ut multis visus sit catholicus, ipsiusque occasione duas quasi in partes divisa fuerit Ecclesia Gallicana. Nam alii, quibus erat explorata vera mens ejus, illum constanter habuerunt pro contumaci hæretico, et ut talem non cessàrunt impetere: tales, præ cæteris, Rabanus, Hincmarus, Amolo, Pardulus Laudunensis, Amalarius, et Joannes Scotus Erigena. Alii è contrà, de Gotescalci doctrinâ ex solâ utriusque prædictæ confessionis litterâ judicantes, ipsum catholicum bonâ fide crediderunt, ejusque personæ non tamen errori patrocinati sunt: ita potissimùm Prudentius, Trecensis Episcopus; Lupus, Ferrariensis Abbas; Ratramnus, Corbeiensis Monachus; Florus; et, ante alios, auctor duorum librorum, *de tenendâ Veritate*, et *de tribus Epistolis*, qui sub nomine Ecclesiæ Lugdunensis ut plurimùm inscribuntur, licèt huic Ecclesiæ tribuendi non sint, ut tenent eruditi.

Cæterùm nihil non egit Hincmarus ut Gotescalcum in carcere reclusum ad meliorem frugem

adduceret, sed frustrà : pertinax permansit, suum esse S. Augustinum procaciter clamitans. Mortuus est anno 867, communione privatus in obitu, et post obitum christianâ sepulturâ.

## CAPUT II.

### *De Protestantibus.*

Lucidi et Gotescalci errores circa gratiam et prædestinationem renovârunt, XIV seculo, Wiclefus; XVI autem seculo, Lutherus et Calvinus.

Martinus Lutherus, plebeiis parentibus in Saxoniâ natus, anno 1483, ordinem Eremitarum S. August. posteà professus est. Cùm autem, anno 1517, Cardinalis Albertus, Moguntinus Archipræsul, Dominicanis præ Augustinianis Indulgentias promulgandi à Leone X concessas, occasione imminentis Turcarum irruptionis, provinciam demandâsset, istud ægrè ferens Lutherus primùm adversùs Indulgentiarum abusum, deindè contra earum substantiam, tandem et contra plurima fidei dogmata debacchari cœpit.

Ad quinque capita revocari possunt, quos successivè et quasi datâ occasione errores evomuit Lutherus : erravit nempè circa prædestinationem, circa gratiæ substantiam, circa modum agendi gratiæ, circa liberum arbitrium, et circa justificationem; quæ paucis exponenda sunt.

1.° Veterum Prædestinatianorum renovans errorem, Lutherus docuit Deum, antecedenti, immutabili et necessitante decreto, pro nutu suo alios ad justificationem et vitam æternam prædestinare, alios ad peccatum et supplicium æternum.

2.° Circa substantiam gratiæ, asserit gratiam sanctificantem cæteraque dona primo homini ab ortu concessa, ipsi fuisse naturalia, naturæ humanæ appendices, ipsi debita ex divinâ justitiâ et misericordiâ : ex quo principio infert Lutherus, inter alia, 1. hominem peccato suo læsum fuisse in naturalibus, substantialiter immutatum, atque ex integro ita infirmum et corruptum evasisse, ut nihil nisi miseria sit, corruptio et peccatum; 2. quemlibet justum in quibuscunque suis operibus, quantumvìs aliundè bonis, semper et necessariò peccare, tum quia semper iis immiscetur aliquid concupiscentiæ, tum quia procedunt ab homine vitiato et corrupto; atque ideò omnibus justis omnia Dei mandata esse impossibilia.

3.° Circa modum agendi gratiæ, præcipuè docet, 1. voluntati gratiam inferre necessitatem, non coactionis quidem, sed simplicem. *Si Deus,* inquit lib. de servo Arbitrio, *in nobis operatur, mutata et blandè assibilata per Spiritum Dei voluntas, merâ lubentiâ et pronitate ac sponte suâ vult et facit, non coactè, pro naturâ voluntatis, quæ, si cogeretur, non voluntas esset...* sed *noluntas.* Docet 2. in præsenti statu non aliam admittendam esse gratiam verè sufficientem, quàm efficacem et necessitantem, cui voluntas resistere nequeat.

4.° Circa liberum arbitrium, censet per peccatum amissam esse voluntatis activam indifferentiam, ideòque in homine non remanere liberum arbitrium, sed esse rem sine titulo, atque in præsenti statu non dari libertatem à necessitate, sed tantùm à coactione.

Quintum erroris caput circa justificationem exponendum remittimus in parte dogmaticâ.

Anno 1518, in jus vocatus à Cardinale Cajetano, Sum. Pontificis in Germaniâ Legato, Lutherus ad Pontificem, posteà à Pontifice ad futurum generale Concilium provocavit; quâ non obstante interpellatione, 35 Lutheri propositiones, anno 1520, apostolico diplomate damnavit Leo X, tanquam respectivè hæreticas, scandalosas, piarum aurium offensivas, falsas, etc.

In varias sectas divisi sunt Lutheri discipuli, à magistro Lutherani dicti, quarum præcipuæ sunt : prima Lutheranorum rigidiorum, qui pura sequuntur Lutheri dogmata; secunda molliorum, qui, duce Melanchthone, Confessionem Augustanam, in quâ nonnihil emollita fuêre Lutheri placita, sectantur : ideò Confessionistæ vocantur. Tertia Sacramentariorum, qui, duce Carlostadio, Calvinianam hæresim circa Eucharistiam præformârunt. Quarta Anabaptistarum, qui cæteris Lutheri dogmatibus istud addiderunt, parvulis Baptisma nihil prodesse; eosque ideò, si baptizati fuerint, iterùm, cùm ad adultam ætatem pervenêre, baptizandos esse.

Joannes Calvinus Novioduni anno 1509 natus, cùm Parisiis studiorum causâ commoraretur, plurimos ibi Lutheranos novit, cum iis amicitiam iniit, et ab ipsis novæ hæreseos didicit principia. Anno 1537, à Magistratu Genevensi concionator et Theologiæ professor electus, plurima tunc Genevæ edidit opuscula suis erroribus referta, ibique sectæ suæ disciplinam, probante Senatu, constituit; tandemque anno 1564 mortuus est.

Recensitos Lutheri errores circa prædestinationem, circa gratiæ substantiam et modum agendi, atque circa liberum arbitrium retinuit Calvinus; ab ipso tamen defecit, inter alia, quoad

justificationis doctrinam, ut in parte dogmaticâ dicemus.

Calvini sectatores in tres præcipuè partes scissi sunt. 1.ª Eorum est qui plura Calvini dogmata sectantur, quales sunt aut potiùs fuêre, 1.° Genevenses; 2.° Reformati in Galliâ, Belgiâ, Helvetiâ; 3.° Presbyteriani in Angliâ et Scotiâ.

2.ª Est Anglo-Calvinianorum, qui nec merè sunt Lutherani, nec merè Calviniani, sed adhærent erroribus quos *Cranmer* Lutheranus et Regina Elisabeth, Calvinismo favens, schismati Henrici VIII addidêre, servatis semper nonnullis ad hierarchiam pertinentibus, undè dicti sunt *Episcopales*, et differunt à Presbyterianis, dùm agnoscunt Episcopos non solùm Ordine, sed et jurisdictione Presbyteris jure divino superiores. Vide *Bossuet*, lib. 7 et 10 Variationum.

3.ª Est Arminianorum, quorum origo est ab Arminio, primùm Ministro Amstelodamensi, ac deinceps Theologiæ professore in Academiâ Leydensi. Dicti etiam sunt *Remonstratenses* et *molles Calvinistæ:* Remonstratenses quidem, ob libellos supplices ab ipsis Synodo Dordrectanæ oblatos; Molles Calvinistæ verò ob emollitam Calvinianorum dogmatum duritiem. Arminianorum adversariis datum est nomen Gommaristarum, à *Gommar* eorum duce, ejusdem Leydensis Academiæ cum Arminio professore; dicti sunt etiam *Contraremonstratenses*, et *rigidiores Calvinistæ.*

Post varia habita in Germaniâ et Galliis comitia et Synodos, cœpta est tandem Tridentina Synodus die 13 decembris 1545, et absoluta die 4 decembris anni 1563, quæ solemni et decretorio judicio Lutheranam et Calvinianam hæresim confixit.

# CAPUT III.

## *De Baio.*

Dicemus 1.° de Baii historiâ, 2.° de ejusdem systemate, 3.° de Bullis adversùs illum promulgatis.

## ARTICULUS PRIMUS.

### *Contracta Baii Historia.*

Michael Baius Belga, et sacræ Facultatis Lovaniensis Doctor, in eâdem anno 1552 regius Professor instituitur à Carolo V. Cùm autem eo in munere nova docere cœpisset, occurrerunt ex adverso Ruardus Tapperus, ejusdem Universitatis Cancellarius, et Judocus *Ravesteyn*, in eâdem Doctor Theologus, ambo ex Concilio Tridentino Lovanium reversi.

Anno 1560, cùm inter Belgii Minoritas, occasione Baii, orta esset contentio, duo ex illorum Superioribus doctrinam Professoris 18 articulis contractam Facultati Parisiensi denuntiant, ut de illâ ferat judicium. Prædictos articulos examinat sacra Facultas, eosque censurâ notat, die 27 Junii anni ejusdem 1560.

Anno sequenti, multæ Baii propositiones ad Cardinalem Granvellanum, Mechliniensem Archiepiscopum, deferuntur. Ipse verò Baius nonnulla pro iis defendendis edit opuscula. De animorum æstu commonitus Pius IV Baio ejusque adversariis imperat silentium, et sic paululùm restinguuntur dissidia. Verùm, anno 1564, Baius, redux ex Concilio Trident., ad quod,

ineunte anno 1563, missus fuerat à Rege Catholico, nova in lucem emittit opuscula, quibus sopitæ renovantur discordiæ.

Hoc enim ipso anno, aliquot è Doctoribus et Professoribus Lovaniensibus Romam plurimas mittunt Baii propositiones, pontificio subjiciendas examini. Cùm ergo per biennium maturè discussæ fuissent et expensæ, anno 1567, à Pio V, qui mortuo Pio IV successerat, solemni Constitutione, quæ incipit, *Ex omnibus afflictionibus*, tacito tamen Baii nomine, *in globo* et respectivè damnantur, *tanquam hæreticæ, erroneæ, suspectæ, temerariæ, scandalosæ, et in pias aures offensionem immittentes*. Damnatæ propositiones ab aliis numerantur 76, ab aliis 79, ab aliis 80. Hæc autem indè provenit diversitas, quòd, cùm ex illis propositionibus aliæ sint simplices, aliæ complexæ, omnesque uno tenore, nec ullâ numerorum adhibitâ distinctione, in Bullâ referantur, vix possibile fuit in iis distribuendis et computandis omnes inter se Doctores consensisse. Apostolico huic judicio præiverant doctrinalia judicia Academiarum Hispanicarum, Salmanticensis, Complutensis, etc., nonnullarumque Italicarum, quibus plures novæ doctrinæ propositiones confixæ sunt.

Bullam Pii V, desinente anno 1567, coram Facultate Theologicâ Lovaniensi ad id convocatâ, promulgat Maximilianus Morillonius, Cardinalis Granvellani in Archiepiscopatu Mechliniensi Vicarius Generalis, ab ipsoque ad id muneris specialiter delegatus. Bullæ promittunt obedientiam, quotquot adsunt Doctores Lovanienses. Ut autem finiantur, quæ inter Minoritas semper fervebant, dissidia, Superiores illorum

vocat idem Morillonius, ipsisque Bullam intimat. Hâc autem reverenter admodùm susceptâ, anno sequenti 1568, in suis Nivellensibus comitiis, omnibus provinciæ fratribus districtè prohibent, ne ullam ex damnatis propositionibus audeant in posterum defendere.

Unus supererat Baius, qui, iteratis Morillonii monitis obsurdescens, apostolicæ Constitutioni obsequium præfractè denegabat. Imò, ineunte anno 1569, ad Pium V apologeticas mittit litteras, in quibus asserit ex damnatis propositionibus sibi falsò plurimas imputari; cæteras verò, quas pro suis agnoscit, in sensu SS. Patrum esse veras; Pontificemque obtestatur ut, prædictis propositionibus iterùm examinatis, maturè perpendat an non satiùs sit Bullam quâ damnantur, ut subreptitiam rescindere, quàm eamdem ut canonicam confirmare.

Die 13 Maii ejusdem anni, Baio rescribit Pius V, declarans Bullam *non sine maturâ deliberatione editam fuisse*, ipsumque admonens ut quantociùs huic S. Sedis obtemperet judicio. Pontificiæ tandem admonitioni cedens, Baius damnatas propositiones retractat et ejurat, die 20 Junii ejusdem anni 1569.

Anno 1570, Synodus nationalis Belgii, Mechliniæ congregata, post acceptatam Bullam Pii V, jubet eamdem iterùm ab Academiâ Lovaniensi, sed solemniùs acceptari. Hæc itaque Constitutio, juxta Synodi mandatum, in scholis Lovaniensibus majori quàm primùm solemnitate promulgatur à Morillonio, unanimique Doctorum consensu recipitur. Non is tamen discordiarum finis.

Cùm enim, anno 1572, defuncto S. Pio V

successisset Gregorius XIII, quicunque intra Academiam Lovaniensem Baii doctrinæ secretò adhærebant, hâc arreptâ occasione, cœperunt confixas propositiones palàm defendere, imò per vulgus spargere, prolatam à Pio V illarum damnationem statìm ab ejus successore revocandam esse. Rumores illos audiens Gregorius XIII, ut eos comprimat, ineunte anno 1579 emittit Constitutionem quæ incipit, *Provisionis nostræ,* quâ prædecessoris sui Bullam confirmat, eâque damnatas propositiones iterùm damnat. Ad suam autem Bullam promulgandam, Lovanium mittit Toletum, insignem Societatis Jesu Theologum.

Igitur, anno 1580, omnes Academiæ Lovaniensis Doctores, Licenciatos, Baccalaureos, et candidatos, solemniori more convocat Toletus, atque coram ipsis Bullam Gregorii XIII recitari jubet. Eà autem recitatâ, à Baio, tunc Universitatis Cancellario, postulat an eidem acquiescat, eâque damnatos articulos rejiciat. Respondet Baius se Bullam reverenter suscipere, et omnes illâ damnatas propositiones, *secundùm Bullæ ipsius intentionem,* damnare. Idem planè respondent cæteri. Quin eò Baium adducit Toletus, ut subscriptam manu propriâ suæ doctrinæ damnationem emittat. Publicum illud instrumentum confectum est Lovanii, die 24 Martii anni 1580, et exstat in novâ editione operum Baii, parte 2, pag. 152. In signum sinceri erga Sedem apostolicam obsequii, eodem anno, ad S. Pontificem Greg. XIII scribit Baius, cui die 5 Junii ejusdem anni rescribit S. Pontifex verbis affectum paternum spirantibus. Vivit adhuc 9 annis, in suâ obedientiâ immobilis; vitâque fungitur, die 16 Septembris anni 1589, annos natus 77.

Cùm autem, ipso defuncto, errores ejus à plurimis, ac præsertim à Jansenio Yprensi, cœpissent instaurari, Urbanus VIII, prædecessorum suorum Pii V et Gregorii XIII Constitutiones renovavit, et confirmavit Bullâ, *In eminenti*, datâ pridiè nonas Martii anni 1641.

## ARTICULUS II.

### *De Baii Systemate.*

Totum Baii systema continetur 80 propositionibus à Pio V, Gregorio XIII et Urbano VIII damnatis. Ex his autem propositionibus, aliæ spectant ad statum naturæ innocentis, aliæ ad statum naturæ lapsæ, aliæ ad statum naturæ reparatæ. Itaque

Circa statum naturæ innocentis, docet Baius, *Humanæ naturæ sublimationem et exaltationem in consortium divinæ naturæ debitam fuisse integritati primæ conditionis, et proindè naturalem discendam esse, non supernaturalem.* Ipsa est propositio inter damnatas vigesima prima, ex quâ sequitur,

1. *Immortalitatem primi hominis non fuisse gratiæ beneficium, sed naturalem ejus conditionem* (Propositio 78).

2. *Primum hominem non potuisse à Deo creari et institui sine justitiâ originali* (Prop. 79).

3. *Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita rectè vocari gratiam* (Prop. 1).

4. *Bonis Angelis et primo homini, si in statu illo perseverâssent usque ad ultimum vitæ, felicitatem futuram fuisse mercedem, et non gratiam* (Prop. 3).

Circa statum verò naturæ lapsæ,

Docet 1.°, *Liberum arbitrium sine gratiæ*

*Dei adjutorio, nonnisi ad peccandum valere* (Prop. 27). Hinc autem concludit,

1. *Amorem* (Dei) *naturalem....* cum *injuriâ crucis Christi defendi à nonnullis Theologis* (Prop. 36).

2. *Cum Pelagio sentire, qui bonum aliquod naturale, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit* (Prop. 37).

3. *Tentationi nulli sine gratiæ Dei adjutorio hominem posse resistere, sic ut in eam non inducatur, aut ab eâ non superetur* (Prop. 30).

4. *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum esse* (Prop. 35).

5. *Omnia opera Infidelium esse peccata, et virtutes Philosophorum esse vitia* (Prop. 25).

6. Demùm, ipsam *infidelitatem purè negativam, in iis quibus Christus non est prædicatus, peccatum esse* (Prop. 68).

Docet 2.°, *Solam violentiam repugnare libertati hominis naturali* (Prop. 66), seu, *Quod voluntariè fit, etiamsi necessariò fiat, liberè tamen fieri* (Prop. 39). Ex hâc autem utrâque propositione colligit,

1. *Hominem peccare, etiam damnabiliter, in eo quod necessariò facit.* (Prop. 67).

2. *Definitivam hanc sententiam, Deum homini nihil impossibile præcepisse, falsò tribui Augustino, cùm sit Pelagii* (Prop. 54). Quinimò

Docet 3.°, *Ad rationem et definitionem peccati non pertinere voluntarium* (Prop. 46). Undè infert,

1. *Peccatum originis verè habere rationem peccati sine ullâ relatione ac respectu ad voluntatem, à quâ originem habuit* (Prop. 47).

2. *Concupiscentiam, sive legem membrorum,*

*et prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, esse veram legis inobedientiam* (Prop. 51). Idem repetit Prop. 50 et 75.

Circa statum naturæ reparatæ,

Docet 1.°, *Justitiam, quâ per fidem justificatur impius, consistere formaliter in obedientiâ mandatorum.... non autem in gratiâ aliquâ animæ infusâ, quâ adoptatur homo in filium Dei, et secundùm interiorem hominem renovatur, ac divinæ naturæ consors efficitur* (Prop. 42). Undè statim sequitur, *Opera bona à filiis adoptionis facta, non accipere rationem meriti ex eo quòd fiunt per spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei; sed tantùm ex eo quòd sunt conformia legi* (Prop. 13). Nihilominùs

Docet 2.°, *In renatis per gratiam Christi nullum inveniri posse bonum meritum, quod non sit gratìs indigno collatum.* Quæ propositio inter damnatas octava, mox laudatæ decimæ tertiæ contradicit evidenter. Si enim verum sit, quod dicit octava propositio; *In renatis... nullum inveniri posse bonum meritum, quod non sit gratìs indigno collatum;* ergo falsum est, quod asserit decima tertia, *Opera bona à filiis adoptionis facta non accipere rationem meriti per spiritum adoptionis, etc.*

Colliges Baium, circa statum naturæ innocentis, esse Pelagianum; circa statum naturæ lapsæ, esse Prædestinatianum; circa statum verò naturæ reparatæ, Pelagianum esse simul et Prædestinatianum, id est, sibimetipsi contrarium.

Expositum autem ipsius systema ad hanc unam revocatur propositionem, inter damnatas trigesimam octavam : *Omnis amor creaturæ ratio-*

*nalis aut vitiosa est cupiditas, quâ mundus diligitur, aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum Sanctum in corde diffusâ Deus amatur.* Ex hàc enim unâ propositione totum Baianum, ut et Jansenianum systema fluere infrà videbimus, ubi de posteriori dicemus systemate.

*Nota.* Plures alii sunt errores Baii, præsertim circa peccatum originale, sacramenta Baptismatis et Pœnitentiæ, Missæ sacrificium et Indulgentias. Verùm, cùm ad præsentem Tractatum aut nullatenùs aut minùs directè pertineant, ideò ab illis hìc exponendis censuimus abstinendum.

## ARTICULUS III.

### *De Bullis in causâ Baii promulgatis.*

Ex tribus adversùs Baium latis Constitutionibus, 1.ª à Pio V, anno 1567; 2.ª à Gregorio XIII, anno 1576; 3.ª ab Urbano VIII, anno 1641, ultimam duntaxat expendemus, tum quia duas præcedentes approbat et confirmat, tum quia in eam potissimùm invehuntur Jansenii defensores, ut quæ omnium prima magistri sui librum cui titulus, *Augustinus,* tanquam Baii errores, *magno cum Catholicorum scandalo et S. Sedis contemptu,* renovantem damnaverit. Circa illud autem Urbani VIII decretum duo quæruntur, 1.um an sit lex Ecclesiæ universalis, 2.um quisnam ejus sit sensus genuinus.

### § I.

### *Utrùm Bulla Urbani VIII lex sit Ecclesiæ universalis.*

Bullam Urbani VIII hìc consideramus præcisè quoad doctrinæ substantiam, minimè verò quoad

quasdam *styli* formalitates doctrinæ prorsùs extraneas, moribusque nostris minùs conformes. Itaque circa hanc Constitutionem ita consideratam, sit

### PROPOSITIO.

*Bulla Urbani VIII, quoad doctrinam spectata, supremum est et irrefragabile judicium Ecclesiæ.*

*Prob.* Ex dictis in *Tract. de Ecclesiâ*, Bulla dogmatica, ad omnes Ecclesias directa, non ab iis tantùm apud quas natus est error, sed et ab aliis insignioribus expressè recepta, à cæteris verò tacitè saltem acceptata, dubio procul est Ecclesiæ totius irreformabile judicium : atqui Bulla Urbani VIII quæ incipit, *In eminenti*, est, etc.

*Prob.* 1.ª *pars minoris*, scilicet, Bullam Urbani VIII esse *dogmaticam*. Illa Bulla dicitur dogmatica, quâ non præcisè disciplina servanda, sed dogma credendum proponitur : atqui Bullâ Urbani VIII credendum proponitur, nullam esse ex 80 damnatis Baii propositionibus, quæ non mereatur aliquam ex assignatis notis; et vicissim ex notis assignatis nullam esse, quæ non cadat in aliquam ex 80 iisdem propositionibus.

*Prob.* 2.ª *pars*, nempè eamdem Bullam ad *omnes omninò dirigi Ecclesias.* Nam Bulla, quâ *omnes, cujuscunque conditionis et qualitatis sint, et specialissimâ notâ et expressione digni obligantur*, ad omnes profectò dirigitur Ecclesias : atqui, ipso tenore Bullæ Urbani VIII, *omnes cujuscunque, etc.*

*Prob.* 3.ª *pars,* scilicet, dictam Bullam *in locis in quibus natus est error*, in Belgio nimirùm, *expressè fuisse acceptatam.* Eam enim omnes

Belgii Præsules acceptârunt, tum in Synodo nationali, tum in privatis Synodis diœcesanis, tum demùm in Mandatis pastoralibus; et insuper à suis subditis, propositâ acceptationis formulâ, curârunt acceptari.

*Prob.* 4.ª *pars*, nimirùm eidem Bullæ expressè *consensisse insigniores* alias orbis *Ecclesias;* nempè Italicam, ut constat ex Brevi Urbani VIII, eodem anno ad Archiepiscopum Mechliniensem; Hispanicam, ut patet ex pluribus Regis Catholici edictis; Germanicam, ubi thesis quâ propugnabantur quædam propositiones Baii, statim flammis fuit concremata, ut testatur auctor libri, *Triumphus catholicæ veritatis*, pag. 412; Polonicam, ut fidem facit instrumentum de solemni in his regionibus promulgatione, apud Ripaldam; Gallicanam deniquè, cujus vera mens non aliundè meliùs hâc in parte dignosci potest, quàm ex famosâ epistolâ, quam 85 Episcopi Gallicani, anno 1650, scripserunt ad Innoc. X. In illâ autem de *vehementissimis turbis*, ob posthumum Jansenii librum, in Galliâ concitatis ita Pontificem alloquuntur: *Tales quidem motus sedari oportebat, tum Concilii Tridentini auctoritate, tum Bullæ illius, quâ Urbanus VIII felicis memoriæ adversùs Jansenii dogmata pronuntiavit, et decreta Pii V ac Gregorii XIII in Baium edita confirmavit: atque hujus quidem Bullæ veritatem ac robur novo diplomate vindicasti.* Agnoscit ergo Clerus Gallicanus *veritatem ac robur* Bullæ, quâ Urbanus VIII *decreta Pii V ac Gregorii XIII in Baium edita confirmavit.*

*Prob. ultima pars, cæteras orbis Ecclesias* eidem Bullæ *tacitè saltem consensisse.* Nam cæteræ orbis Ecclesiæ de illâ Constitutione, ad mi-

nimum, siluerunt; ex ipsisque nulla citabitur, quæ adversùs eam reclamaverit : atqui, ex dictis in *Tractatu de Ecclesiâ*, quoties circa pontificium Diploma, prædictis vestitum conditionibus, silent nec reclamant dispersæ per orbem Ecclesiæ, toties eidem consentire meritò judicantur; ergo, etc.

*Obj.* Illa Bulla dici non potest Ecclesiæ lex, post cujus promulgationem, plures ipsâ damnatæ propositiones licitè propugnantur : atqui, etc. Vasquesius enim, Bellarminus, Suaresius, Toletus, et alii, quos Baio favere nemo suspicabitur, expressè docent plurimas è Baii propositionibus à Pio V damnatis, salvâ fide, posse defendi : quin et ipsi earum nonnullas defendunt.

*Resp.* Aliquot è damnatis Baii propositionibus spectari possunt, vel ratione doctrinæ quam continent, vel ratione censuræ quam inurunt doctrinæ contrariæ. Talis est, v. g., propositio trigesima septima : *Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit.* Nam duo dicit ista propositio : 1.$^{um}$ nil *boni naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, esse agnoscendum;* et est ipsa substantia doctrinæ : 2.$^{um}$ eum qui tale bonum agnoscit, cum *Pelagio sentire;* et est censura affixa sententiæ contrariæ. Jam autem, ubi Vasquesius, Suaresius, aliique Doctores catholici dicunt quasdam Baii propositiones defendi posse, vel etiam illas ipsi defendunt, eas spectant quoad solam doctrinæ substantiam, non verò quoad censuram inustam adversæ sententiæ. *Multæ propositiones rejectæ in Bullâ*, inquit Vasquesius, *solâ ratione damnantur, quòd oppositæ sententiæ censuram as-*

*peram contineant.* Suaresius autem: *Generatìm dici potest has propositiones propter acerbitatem et audaciam quâ Baius suas propositiones admittebat, et contrarias notabat, rejectas fuisse.*

*Nota.* Bulla Urbani VIII à Baii Janseniique sequacibus ex eo præsertìm impugnantur, quòd propositiones ipsà non absolutè damnentur et sigillatìm, sed *respectivè* et generaliter, seu, ut aiunt, *in globo.* Verùm hæc objectio facilè resolvetur ex dictis in *Tract. de Ecclesiâ*, ubi ista forma damnationis ex professo defenditur, à suisque detrectatoribus vindicatur.

## § II.

### *De sensu Bullæ Urbani VIII, seu de famoso* Commate.

Urbani VIII, vel potiùs Pii V Bullæ sensus ex unius commatis positione pendet. Scilicet Pius V, post enumeratas 80 Propositiones, de illis conglobatìm ita pronuntiat: *Quas quidem sententias, stricto coram nobis examine ponderatas, quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore ac proprio verborum sensu ab auctoribus intento hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, et in pias aures offensionem immittentes respectivè... damnamus.* Jam verò quæritur utrùm comma, seu *virgula*, poni debeat, ut suprà, post verbum, *possent*, vel duntaxat post verbum, *intento.* Pro diversâ autem commatis positione, diversus erit Bullæ sensus. Si enim comma ponatur post verbum, *possent*, sensus erit, nonnullas è damnatis propositionibus *aliquo pacto sustineri posse;* sed tamen *in rigore et proprio verborum sensu*

*ab auctoribus intento hæreticas, erroneas, etc... damnari.* Si verò comma deleatur post verbum, *possent*, et ponatur post verbum, *intento*, sensus erit, nonnullas ex iisdem propositionibus, *quanquam aliquo pacto sustineri possent in rigore et proprio verborum sensu ab auctoribus intento*, nihilominùs ut *hæreticas, erroneas, etc..... damnari.*

Quamvis ex solâ utriusque sensûs expositione sit evidens solum priorem esse genuinum, cùm tamen inter Baii Janseniique fautores non desint qui posteriorem defendant, adversùs illos sit

### PROPOSITIO.

*Famosum Comma in Bullâ Pii V poni debet post verbum,* possent, *non verò post verbum,* intento.

*Prob.* Post illud verbum comma poni debet in Bullâ Pii V, post quod ponitur in ipso hujus Bullæ archetypo; post quod ponendum esse confessus est ipse Baius, et agnovêre duæ Belgicæ Facultates; post quod demùm nisi ponatur, contradictoria et injusta erit censura Pii V: atqui, etc.

1.° Quidem in ipso Bullæ Pii V archetypo comma post verbum, *possent*, affigitur. Cùm enim circa hujus Bullæ lectionem motus in Belgio fuissent excitati, Congregatio Inquisitionis, die 26 Junii anni 1644, decretum emisit, in quo hæc leguntur: *Sanctitas Sua mandavit ex archivio supremæ et universalis Congregationis, et ex matrice actorum, quæ in eodem archivio conservantur, extrahi et diligenter collationari, ac imprimi exemplar Bullæ præfatæ;*

*illudque sic extractum, collationatum et impressum, eisdem Synnichio et Papio* (deputatis Lovaniensibus)... *consignari; ipsisque insuper significari Suæ Sanctitatis mentem ac voluntatem esse, ut eidem exemplari sic consignato fides adhibeatur*: atqui in isto exemplari, *sic extracto, collationato et impresso*, comma non exstat post verbum, *intento*, sed post verbum, *possent*; ergo, etc.

2.° Ipse Baius æquivalenter confessus est, comma verbo, *possent*, esse postponendum. In suâ namque celebri declaratione, datâ 24 Martii an. 1580, sic loquitur: *Ego Michael Baius... fateor plurimas ex iisdem sententiis in nonnullis libellis à me olìm et ante emanatam Sedis apostolicæ super iis censuram conscriptis, et in lucem editis, contineri et defendi, etiam in eo sensu in quo reprobantur*: atqui nusquàm confessus esset Baius, plurimas è suis sententiis Bullâ Pii V *in eo sensu reprobari*, quo in suis libellis *continentur et defenduntur*, si existimâsset in illâ Bullâ ponendum esse comma, non post verbum, *possent*, sed post verbum, *intento*; seu ipsius Bullæ sensum esse, nonnullas è damnatis propositionibus *aliquo pacto sustineri posse in rigore ac proprio verborum sensu ab auctoribus intento.*

3.° Ambæ Belgii sacræ Facultates, Duacena et Lovaniensis, id ipsum agnoverunt. Prior enim in suo opere, *Veritas et æquitas censuræ pontificiæ Pii V*, Duaci typis mandato, anno 1649; posterior autem in suâ declaratione anni 1701, expressè dicunt, propositiones à Pio V fuisse damnatas *in rigore et proprio verborum sensu ab assertoribus intento.*

4.° Demùm nisi post verbum, *possent*, ponatur comma, summa erit Pii V censuræ contradictio et iniquitas. Quid enim contradictorium magis et iniquum, quàm fateri quasdam sententias *sustineri posse in rigore et proprio verborum sensu ab auctoribus intento*, et easdem nihilominùs damnare, tanquam *hæreticas, erroneas, etc.*: atqui talis erit Pii V erga Baii aliorumque auctorum sententias agendi ratio, si in ejus Bullà post verbum, *intento*, non post verbum, *possent*, affigatur comma; ergo, etc.

*Obj.* Plura sunt Bullæ Pii V Mss., in quibus comma deest post verbum, *possent*; adest verò post verbum, *intento*: talia sunt illa quinque, de quibus Gerberonius, operum Baii parte 2, pag. 336; ergo, etc.

*Resp.* Ut resolvatur ex Mss. petita difficultas, observandum est, juxta constantem Curiæ Romanæ praxim, duo Romæ Bullarum Mss. asservari; 1.$^{um}$, quod est archetypus ipse, punctis distinguitur, et in Inquisitionis archivo deponitur: alterum ex ipso quidem archetypo, sed omni suppressà interpunctione, transcribitur, et et in S. Pontificis, ut aiunt, *Regesto* consignatur. Jam verò quæcunque Bullarum exemplaria conceduntur, nisi Sua Sanctitas aliter mandaverit, non ex archivi autographo, sed ex *Regesti* pontificii exemplari, proindèque sine punctis describuntur.

Porrò, ante Romanam editionem anni 1642, nullum vulgatum est Bullæ Pii V exemplar, quod ex ipso fuerit archivi autographo, id est, cum punctis et commatibus descriptum. Ex ipso quidem autographo, adeòque cum interpunctionibus exaratum est exemplar, quod anno 1580

Toleto dedit Gregorius XIII, ut Lovanii, ubi de *commate* cœperant dissidia, publicè legeretur. Sed, eodem mandante Pontifice, nemini permisit Toletus ut exemplar illud transcriberet. Cæterùm in illo, juxta testes oculatos, Cardinalem *de Lugo*, et *Ripalda*, comma famosum exstabat post verbum, *possent*, non post verbum, *intento*.

Verùm, ante annum 1642, quin et ipso anno 1580, Lovanii typis mandatum est aliud ejusdem Bullæ exemplar, non quidem, ut præcedens, juxta archivi autographum, sed juxta *Regesti* pontificii exemplar, id est, sine punctis et commatibus; atque Baio, Lovaniensique sacræ Facultati traditum est. Hoc unum est Bullæ exemplar authenticum, quod juris publici factum sit, ante annum 1642. Quotquot igitur, ante dictum annum, hujus Bullæ Mss. prodierunt, ex hoc solo exemplari transcripta sunt. Undè, cùm in illo nulla sit prorsùs interpunctio, sequitur Mss. ante hanc epocham cum punctis et commatibus vulgata, nullam hâc in parte mereri fidem. Jam verò quinque Bullæ prædictæ Mss. quæ citat Gerberonius, anno 1642 longè sunt anteriora, prout ex ipsâ patet appositi anni inspectione. Quod ergo spectat punctorum et commatum distributionem, nullius sunt auctoritatis; adeòque, si comma habeant post verbum, *intento*, non post verbum, *possent*, illud est amanuensium phantasiæ, vel potiùs eorum erga Baium affectioni tribuendum; ergo, etc.

*Inst.* Saltem, anno 1642, Romæ excusa est Bulla Pii V cum commatibus, et quidem juxta ipsum autographum in Inquisitionis archivo depositum: atqui in hâc ipsâ editione Romanâ

comma videtur post hæc, *ab auctoribus intento*, non post ista, *sustineri possent;* ergo, etc.

*Resp.* Dicimus id ex solâ typographi incuriâ contigisse. Nam, in editione Coloniensi ejusdem anni, comma restitutum est post verbum, *possent,* ipso jubente Urbano VIII, qui suo Nuntio tunc Coloniæ degenti sic mandaverat. Et in alterâ ejusdem Bullæ Romanâ editione anni 1644, de quâ inter probandum, comma fuit pariter post verbum, *possent,* restauratum. Hâc autem editione posteriori penitùs eliduntur quæcunque ex anterioribus, sive scriptis, sive impressis, exemplaribus objici solent. Cùm enim, ex dictis, ad ipsius archetypi normam summis curis confecta sit ultima hæc editio, cùm præsertim, ex speciali Urbani VIII jussu, fuerit ejus exemplar deputatis Lovaniensibus, *Synnichio et Papio consignatum... ut eidem sic consignato fides adhibeatur;* quis jam, nisi studio partium obcæcatus, de verâ commatis positione audeat disputare?

## CAPUT IV.

### *De Jansenio.*

Circa Jansenium idem hoc in capite præstabitur, quod circa Baium in præcedenti. 1.° Contractam ipsius texemus historiam. 2.° Dicemus de decretis in ipsius causâ à S. Sede promulgatis. 3.° Ipsius systema breviter exponemus.

### ARTICULUS PRIMUS.

*Compendiosa Jansenii ejusque libri Historia.*

Cornelius Jansenius, ex catholicis parentibus apud Batavos anno 1585 natus, Theologiæ ma-

gistrum Lovani habuit Jacobum Jansonium, doctrinæ Baianæ defensorem acerrimum; condiscipulum autem et amicum Joannem *du Verger de Haurane*, posteà Abbatem San-Cyranum. Anno 1607, exacto Theologiæ curriculo, unà cum amico se Parisios confert, dehinc Baionam, ubi, eodem adnitente, Collegii Primarius eligitur. Baionæ annis 7 vel 8 commoratus, revertitur Lovanium, ubi Collegio S. Pulcheriæ præficitur. Anno 1619, laureà doctorali donatur in ejusdem urbis sacrà Facultate; et, anno 1630, regius sacrarum litterarum Professor instituitur. Anno 1635, provehitur ad Sedem Yprensem, in quâ, post triennium, lue exstinguitur, priùs tamen ultimâ manu appositâ operi quod inscripsit, *Augustinus*, et cui per annos 22 improbo labore incubuit. Morti proximus, scribit testamentum, in quo hujus operis edendi curam suo Capellano mandat, illudque S. Sedis judicio subjicit, seque Romanæ Ecclesiæ *usque ad lectum mortis obedientem* profitetur. Testamentum in ipsius operis fronte editum est.

Vix primam lucem aspexerat posthumus Jansenii liber, Lovani editus anno 1640, cùm illum ad tenebras damnat Urbanus VIII, Bullâ, *In eminenti*, de quâ cap. præcedenti.

Bullam hanc, anno 1644, solemniter recipit sacra Facultas Parisiensis, suisque alumnis districtè vetat ne ullam defendant è damnatis sententiis. Cùm tamen nihilominùs Baccalaurei suis identidem thesibus aliquos Baii vel Jansenii errores insererent, die 1.â Julii anni 1649, in plenis comitiis de hâc audaciâ conqueritur Facultatis Syndicus, D. *Cornet*, atque exponit tanto malo non posse efficacius afferri remedium, quàm si

si censurâ notentur aliquot propositiones, quas ex Jansenii *Augustino* excerptas offerebat.

Syndici votis annuit Sacra Facultas, nominatque deputatos, qui ex septem delatis propositionibus quinque priores expendant, ad proximaque comitia suam de illis referant sententiam. At cùm, promovente Jansenii fautore, Ludovico *de St. Amour,* huic deliberationi apud supremam Curiam Parisiensem intercessissent Doctores 70, atque senatus-consulto, dato die 5.ª Oct. ejusdem anni, omne hâc de re judicium Facultati fuisset, donec aliter provideretur, interdictum; ne interim error grassaretur audaciùs, anno 1650, Episcopi Gallicani 85 ad Innocentium X solemnem scribunt epistolam, quâ easdem ipsi quinque propositiones denuntiant, *obtestantes ut...perspicuam et certam de unaquâque sententiam ferat.*

Receptis 12 Aprilis anni 1651 Episcoporum litteris, Innocentius X, ad delatarum quinque propositionum examen, Congregationem ex quinque Cardinalibus et tredecim Consultoribus conflatam instituit. Inter Cardinales maximè spectandus Chigius, qui Innocentio, sub nomine Alexandri VII, successit. Duobus et ampliùs annis durat Congregatio; tringintaque sex absolvitur sessionibus, quarum decem ultimis interest ipse S. Pontifex Innoc. In illis causa Jansenii eâ, quâ major esse non potest, diligentiâ discutitur: ejus propositiones, vel in seipsis, vel relativè ad se invicem, vel comparatè ad totum librum perpenduntur; pari facilitate audiuntur, sive qui ad defendendam, sive qui ad impugnandam Yprensis Episcopi doctrinam venerant è Galliis, ac tandem, die 31ª. Maii anni 1653, ab Innoc. emit-

titur Constitutio, *Cùm occasione*, in quâ quinque famosæ Propositiones hoc ordine referuntur, et damnantur.

*Primam prædictarum propositionum :* Aliqua Dei præcepta hominibus justis, volentibus et conantibus, secundùm præsentes quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, quâ possibilia fiant : *temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam et hæreticam declaramus, et utì talem damnamus.*

*Secundam :* Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquàm resistitur : *hæreticam declaramus, et utì talem damnamus.*

*Tertiam :* Ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione : *hæreticam declaramus, et utì talem damnamus.*

*Quartam :* Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; et in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare : *falsam et hæreticam declaramus, et utì talem damnamus.*

*Quintam :* Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse : *falsam, temerariam, scandalosam : et intellectam eo sensu, ut* Christus pro salute duntaxat Prædestinatorum mortuus sit, *impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati derogantem, et hæreticam declaramus, et utì talem damnamus.*

Ubi vident Jansenii defensores, prædictam Constitutionem ab omnibus admitti orbis Epis-

copis, ac præsertìm Gallicanis, qui, anno 1653, præside Cardinali Mazarino, congregati, illam summâ cum reverentiâ, datis die 15.â Julii ad Innocentium litteris, receperant; ut hujus Bullæ eludant auctoritatem, nec cogantur magistri damnare doctrinam, ad novum confugiunt diverticuli genus, dicuntque damnatas ab Innoc. X propositiones non reperiri in libro Jansenii; aut, si in illo reperiantur, saltem non eo sensu quo damnantur. Et hæc est prima origo famosæ *juris à facto* distinctionis, quâ veluti clypeo tecti sese ab omnibus Ecclesiæ fulminibus tutos existimant.

Ut illud ipsis præcludant effugium, in Luparam (*le Louvre*), die 9.â Mart. an. 1654, absque morâ conveniunt quotquot tunc Parisiis aderant Episcopi; atque in epistolâ ad Innocentium X, datâ die 28.â ejusdem mensis, declarant, quinque *propositiones illas esse Cornelii Jansenii, et in sensu ejusdem Jansenii à S. Sede damnatas.* Idem paulò post declarant, tum Innocentius ipse, Brevi dato ad Galliæ Episcopos die 29.â Septembris ejusdem anni; tum præsertìm successor ejus Alexander VII, in celebri Bullâ, *Ad sacram*, datâ 16 Octob. ann. 1656, quâ prædecessoris sui Constitutionem, *Cùm occasione*, confirmans, definit, *quinque propositiones ex libro Cornelii Jansenii excerptas, ac in sensu ab eodem Cornelio intento damnatas fuisse.*

Hanc Alexandri VII Constitutionem summâ cum gratulatione recipiunt Galliarum Episcopi; utque suam magìs ac magìs erga Petri Sedem commonstrent reverentiam, in comitiis generalibus anni 1657 condunt formulam fidei, impositâ lege singulis è Clero ut illi subscribant. Hâc autem formulâ sincerum mentis obsequium pro-

mittitur Constitutionibus Innoc. X et Alex. VII, quatenùs damnant *doctrinam quinque propositionum Cornelii Jansenii, contentam in ejus libro cui titulus AUGUSTINUS*. Eamdem subscriptionem iterùm imperat Clerus Gallicanus in comitiis an. 1661; acceditque regia sanctio Ludovici XIV, die 13.ª April. ejusdem anni.

Hæc tandem finiri dissidia peroptans, Rex Christianiss., ineunte anno 1663, Convenarum ac paulò post Tornacensi Episcopo, D. *de Choiseuil,* mandat ut omnes quas poterit recuperandæ pacis ineat rationes. Rem proponit iste Jansenianæ factionis primariis, qui, hoc statim probato consilio, quinque articulos, quinque Jansenii propositionibus respondentes, conficiunt. Iis cæterorum nomine subscribunt duo Doctores Sorbonici, DD. *Girard* et *de La Lane,* subscriptosque Convenarum Episcopo tradunt, ad S. Pontificem transmittendos, unà cum declaratione quâ duo profitentur, 1.um in illis quinque articulis suam omnem doctrinam contineri; 2.um *se paratos esse ad ea omnia præstanda, quæ ab ipsis S. Pontifex exigere voluerit.*

Hanc declarationem quinque cum articulis Romam mittit Convenarum Episcopus, respondetque Alexander VII, per Breve datum 29 Julii ejusdem anni, non ad ipsum quidem speciatim Convenarum Episcopum, sed ad omnes generatim Galliarum Episcopos, ipsis congratulans quòd *eorum operâ multi in Galliis ad saniorem doctrinam inducti sint.* Ex quibus ultimis verbis inferunt fautores Jansenii, prædictos quinque suos articulos ab Alexandro VII fuisse comprobatos. An meritò sic concludant, an immeritò, videbitur infrà.

Cùm præmemorato Clerici Gallicani Formulario plurimi hanc ob causam subscribere renuerent, quòd talis subscriptio solâ S. Pontificis auctoritate posset imperari, ad illum ipsis prætextum auferendum, ab Alexandro VII per suum Oratorem efflagitat Ludovicus XIV, ut ipse tale promulget Formularium, illudque jubeat ab omnibus subsignari. Christianissimi Regis postulationi cedens, S. Pontifex, die 15.ª Februarii anni 1665, edit Bullam, *Regiminis*, cui sequens inseritur Formularium, à Cleri Gallicani Formulario, quoad rem ipsam, haud diversum.

*Ego N. Constitutioni apostolicæ Innocentii X, datæ die* 31.ª *Maii anni* 1653, *et Constitutioni Alexandri VII, datæ die* 16.ª *Octobris anni* 1656, *Summorum Pontificum, me subjicio; et quinque propositiones ex Cornelii Jansenii libro cui nomen*, Augustinus, *excerptas, et in sensu ab eodem auctore intento, prout illas per dictas Constitutiones Sedes apostolica damnavit, sincero animo rejicio ac damno, et ita juro. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.*

Istam autem formulam *à quibuscunque ecclesiastici Ordinis, tam Regularibus quàm Secularibus, etiam Monialibus.., subscribi districtè mandat* Sua Sanctitas. Puram et simplicem hujus Constitutionis exsecutionem, sub gravissimis pœnis, injungit Lud. XIV, declaratione datâ mense Aprili ejusdem anni, et in supremæ Curiæ Parisiensis tabulis inscriptâ die 29.ª ejusdem mensis.

Ad eas adducti angustias, inter se dividuntur fautores Jansenii. Alii namque *Mitiores* volunt se, tutâ conscientiâ, posse dicto Formulario subscribere, quin præmoneant se soli *juri*, non *facto*, interiùs consentire; utque sint immunes men-

dacii ac perjurii, satis esse si circa facti quæstionem religiosum teneant silentium. Alii verò *Rigidiores* dicunt, vel omninò denegandam esse subscriptionem, vel non esse dandam, nisi sub expressà declaratione, quòd ad solum *jus,* non ad *factum* referatur; adeò ut qui credentes esse *jus* à *facto* distinguendum, nihilominùs subscribunt sine præviâ tali declaratione, sese mendacii reos constituant et perjurii. Sic, præ cæteris, quatuor Episcopi Jansenianis partibus addictissimi, Nicolaus *Pavillon* Alectensis, Franciscus *Caulet* Apamiensis, Nicolaus *Chouart de Buzenval* Bellovacencis, et Henricus *Arnauld* Andegavensis. In suis enim Documentis pastoralibus, pro Formularii subscriptione hoc ipso anno 1665 promulgatis, fatentur quidem, quod pertinet ad *jus,* id est, doctrinam in quinque propositionibus reprobatam, eam interiùs esse hoc omni sensu damnandam, quo damnata fuit ab Ecclesiâ. Verùm, quod spectat ad *factum,* id est, prædictæ doctrinæ attributionem libro Jansenii, docent Ecclesiam non esse infallibilem, ipsique proindè hâc de re judicanti solam deberi silentii reverentiam.

Præfatorum Episcoporum Mandata supprimit Rex Christianissimus sanctioris Concilii decreto, dato 20 Julii ejusdem anni; atque instat apud Alexandrum VII ut in jus adducantur. Dùm omnia parantur ad judicium, moritur Alexander, ipsique succedit Clemens IX, à negotio amicè componendo haud alienus. Pacis mediatores occurrunt Episcopus Laudunensis, dehinc Cardinalis *d'Estrées;* Archiepiscopus Senonensis, D. *de Gondrin;* et Episcopus Catalaunensis, D. *Vialart.* Exigit primùm Clemens Mandata

à quatuor Episcopis solemniter revocari. Sed, ipsis exponentibus hinc plurimùm fore suæ dignitati ac auctoritati detrahendum, consentit S. Pontifex ut, prioris subscriptionis nullà factâ mentione, novam exhibeant accuratiorem, à suisque curent exhiberi. Igitur, ut refert ipse Cardinalis *d'Estrées*, rei gestæ seriem Innocentio XII exponens, die 4.ª Junii 1693, quatuor Episcopi *statim Clementi IX per litteras propriâ manu subsignatas testantur, se sincerè, et absque ullâ exceptione; aut restrictione, dictæ Formulæ subscripsisse.* Idem omninò suis testantur epistolis Ludov. XIV, pacisque mediatores Episcopi: quibus testimoniis persuasus, Pontifex suam benevolentiam quatuor Episcopis restituit, Brevi dato 19 Januarii anni 1669; et hæc est *Pax Clementis IX*, à Jansenii discipulis eò magis venditata, quòd ipsâ velint suam confirmari de silentio religioso sententiam. Sed quàm immeritò, paulò post monstrabitur.

Cùm, anno 1692, aliquot Belgarum Episcopi, ut omni, si fieri posset, tergiversationi aditum occluderent, Formulario privatâ auctoritate aliquid addidissent; anno sequenti, nonnulli Doctores Lovanienses de hâc additione per unum è suis, D. *Hennebel*, apud Innoc. XII conqueruntur. Ad Belgii Episcopos Breve mittit S. Pontifex, die 6.ª Febr. anni 1694, quo, post confirmatas Innoc. X et Alex. VII Constitutiones, sub quocunque prætextu, Formulario quidquam adjici vetat. Cùm autem indè triumphum canerent sequaces Jansenii, quasi Pontifex hâc suâ prohibitione primam Formulario subscribendi rationem mitigâsset, novo Brevi, ad eosdem Episcopos, dato 24 Novembris anni 1696, declarat,

nedùm per Breve præcedens Constitutionibus suorum prædecessorum vel minimè fuerit derogatum, eas è contrà per illud in omni suo vigore fuisse confirmatas.

Circa annum 1702, in lucem prodit libellus, cui titulus, *Cas de conscience, etc.* In eo supponitur, cuidam Clerico denegatam esse absolutionem sacramentalem, eò quòd in tribunali declaraverit, *se reverà quinque propositiones simpliciter et absolutè damnare, ac Formulæ Alexandri VII subscripsisse quidem; nihilominùs, quantùm ad quæstionem facti, seu attributionem illarum quinque propositionum libro Jansenii, existimare se religiosum sufficere silentium.* Deindè quæritur utrùm viro ecclesiastico sic sentienti negari possit absolutio sacramentalis. Huic autem quæstioni, etiam apposito nomine, sic respondent 40 Doctores Parisienses: *Doctores infrà scripti, visâ casûs expositione, censent hujus ecclesiastici viri sententiam nec novam esse, nec singularem, nec ab Ecclesiâ damnatam; neque talem, ut Confessarius possit ipsi sacramentalem denegare absolutionem, nisi eam retractaverit.*

Responsum illud damnant, 1.° Clemens XI, et quidem tribus decretis, latis mense Januario anni 1703; 2.° eodem anno, plerique Galliarum Episcopi, ac præsertìm Cardinalis Noallius, Archiepiscopus Paris.; 3.° sacra Facultas Parisiensis, judicio censorio, emisso die 1.â mensis Septembris anni 1704. Qui verò huic Responso subscripserant Doctores, suam subscriptionem publicè retractant, uno excepto, qui, pro contumaciâ, ex albo Doctorum expungitur.

In præcedentium confirmationem accedit tan-

dem Bulla Clementis XI, quæ incipit his verbis, *Vineam Domini Sabaoth*, data die 16.ª Julii anni 1705. In illà tria præstat S. Pontifex : 1.º prædecessorum suorum Innocentii X et Alexandri VII Constitutiones renovat et confirmat ; 2.º Clementis IX et Innoc. XII Brevia à perversis Jansenianorum interpretationibus vindicat; 3.º definitivè pronuntiat, *obedientiæ, quæ præinsertis Constitutionibus debetur, obsequioso silentio minimè satisfieri*. Constitutionem illam unanimi consensu recipiunt omnes orbis Ecclesiæ, Gallicana præsertim, in suis generalibus ejusdem anni comitiis.

Novas in Ecclesiâ turbas excitavit Paschasius Quesnellus, Oratorii Gallici Presbyter, occasione libri cui titulum præfixit, *Le nouveau Testament en français, avec des réflexions morales*, etc. Liber ille nonnisi paulatìm crevit et formatus est. Anno 1671, quo primùm prodiit uno volumine sub formâ quam in-12 vocant, breves solùm in quatuor Evangelia complectebatur annotationes, inter quas paucissimæ leguntur per Constitutionem *Unigenitus* condemnatæ. Variis editionibus in dies crescente Quesnelli opere, tandem absolutus est liber anno 1693, vixque lucem aspexit, cùm statìm in eum animadverterunt plurimi Doctores, undiquè conclamârunt Catholici in eo damnatam Jansenii doctrinam renovari, eumque tandem publicis mandatis proscripsêre plures Episcopi. Deniquè, Regis et Cleri Gallicani votis annuens, Clemens XI, pluribus per biennium habitis congregationibus, fusisque ad Deum precibus, die 8.ª Septembris anni 1713, solemnem emisit Constitutionem *Unigenitus*, quæ prædictum proscribit librum,

et 101 ex eo extractas propositiones, sub variis censuris respectivè, speciatimque prout hæresim quinque Jansenii propositionibus expressam renovantes, damnat.

Brevitati consulentes, non immorabimur in probando Constitutionem illam Clementis XI irreformabile esse Ecclesiæ judicium, cui proindè adhærere etiam interiùs unusquisque tenetur. Recurrunt enim principia quæ in *Tractatu de Ecclesiâ* tradidimus, et quæ mox in præsenti tractatu exponentur, ubi de Constitutionibus in causâ Jansenii emissis agemus. Scilicet, Constitutio illa Sedis apostolicæ ritè promulgata, solemniter ab omnibus, si paucissimos excipias, Galliarum Episcopis, necnon ab omnibus aliis per orbem Ecclesiis, non tacitè solùm, sed expressè acceptata est; ergo omnes habet conditiones ut sit irreformabile Ecclesiæ judicium.

## ARTICULUS II.

### *De Decretis in causâ Jansenii à S. Sede promulgatis.*

Septem præcipua sunt decreta S. Sedis in causâ Jansenii: 1.um Bulla Urbani VIII, 2.um Bulla Innocentii X, 3.um Breve Alexandri VII, occasione quinque Articulorum; 4.um ejusdem Bulla quæ incipit, *Regiminis*, quâ proponitur Formularium ab omnibus subscribendum; 5.um Breve Clementis IX, pro quatuor Episcopis; 6.um Breve Innocentii XII ad Belgii Episcopos; 7.um tandem Bulla Clementis XI, *Vineam Domini Sabaoth.* De primo decreto, Bullâ nimirùm Urbani VIII, dictum est capite præcedenti. Restat ut de sex posterioribus dicatur totidem paragraphis.

## § I.

### *De Bullâ Innocentii X.*

Duo maximi momenti circa Bullam istam veniunt comprobanda : 1.um ipsam esse totius Ecclesiæ judicium irrefragabile ; 2.um per illam quinque Jansenii propositiones in proprio illius auctoris sensu fuisse damnatas. Itaque sit

PROPOSITIO PRIMA.

*Bulla Innoc. X quâ damnantur quinque Jansenii propositiones, infallibile est Ecclesiæ judicium.*

*Prob.* Decretum S. Sedis dogmaticum, ad omnes fideles directum, ab Episcopis apud quos controversia nata est expressè receptum, à cæteris verò per orbem dispersis Episcopis, tacitè saltem, acceptatum, ex probatis in *Tract. de Ecclesiâ*, infallibile est Ecclesiæ judicium : atqui Bulla Innoc. X, etc.

1.° Quidem Bulla Innocentii X est dogmatica ; cùm unamquamque ex quinque Jansenii propositionibus damnet ut hæreticam, ac proindè uniuscujusque contradictoriam tanquam dogma fidei definiat.

2.° Dirigitur ad omnes mundi fideles : *Mandamus igitur,* inquit Innocentius, *omnibus Christi fidelibus utriusque sexûs, ne de dictis propositionibus sentire, docere, prædicare aliter præsumant, quàm in hâc præsenti nostrâ declaratione continetur.*

3.° Eadem Bulla ab Episcopis, apud quos orta fuerat Controversia, Gallicanis nimirùm, expressè fuit acceptata. Nam in Epist. quam ad In-

nocentium scripserunt, die 15.ª Julii anni 1653, dicunt, eam Constitutionem *divinâ æquè ac summâ per universam Ecclesiam auctoritate niti; cui Christiani omnes, ex officio, ipsius quoque mentis obsequium præstare teneantur.*

4.° Demùm à cæteris orbis Episcopis, tacitè saltem, fuit acceptata. Nam ex quo promulgata est ista Constitutio, illam quidem ad sensus alienos detorquere nonnulli moliti sunt Episcopi; sed nulli unquàm adversùs ipsius auctoritatem reclamârunt : atqui, ex dictis in *Tract. de Ecclesiâ*, Bulla dogmatica S. Sedis contra quam Præsules ad quos directa fuit non reclamant, hoc ipso censetur, tacitè saltem, ab illis acceptari; ergo, etc.

PROPOSITIO II.

*Bullâ Innocentii X damnantur quinque Jansenii Propositiones hoc ipso sensu quem habent in ejus libro cui titulus*, Augustinus.

*Prob.* Ut enim quinque propositiones Bullâ Innoc. damnentur in ipso libri Jansenii sensu, duo requiruntur et sufficiunt : 1.um hujus Bullæ scopum esse damnare quinque propositiones in prædicti libri sensu; 2.um hoc ipso illas in eo sensu damnari : atqui, etc.

*Prob.* 1.ª *pars*, illius Bullæ scopum esse quinque propositionum damnationem in sensu libri cui titulus, *Augustinus*. Is enim est hujus Bullæ scopus, qui exprimitur, tum in ipsâ Bullâ, tum in Brevi quod ipse dedit Innocentius, ad verum Bullæ suæ scopum declarandum : atqui, tum in ipsâ Bullâ, tum, etc.

1.° Quidem ipso tenore Bullæ significatur, scopum ejus esse damnare quinque propositiones in

sensu libri Jansenii. Nam ab initio sic legitur: *Cùm occasione impressionis libri cui titulus,* Augustinus, etc., *inter alias ejus opiniones orta fuerit, præsertìm in Galliis, controversia super quinque ex illis; complures Galliarum Episcopi apud nos institerunt, ut easdem propositiones nobis oblatas expenderemus, ac de unaquâque earum certam ac perspicuam ferremus sententiam.* Igitur ab exordio declarat Innocentius, quinque propositiones, de quibus laturus est sententiam, ex libro cui titulus, *Augustinus*, fuisse extractas, atque relativè ad eumdem librum à se jam esse damnandas.

Postquàm verò singulas retulit propositiones S. Pontifex, suamque de unaquâque protulit sententiam, sic prosequitur: *Non intendentes tamen per hanc declarationem et definitionem super quinque prædictis propositionibus factam, approbare ullatenùs alias opiniones quæ continentur in prædicto libro Cornelii Jansenii:* atqui vana est et ridicula hæc Innocentii monitio, nisi *quinque prædictas propositiones*, tanquam ex *prædicto libro Cornelii Jansenii* excerptas, et relativè ad eumdem librum damnare voluerit; ergo 1.°, etc.

2.° Scopus idem clariùs adhuc exprimitur in Brevi quod dedit idem Pontifex, ut veram suam mentem magìs ac magìs exponeret. Cùm enim, post prædictæ Bullæ promulgationem, clamare cœpissent Jansenii defensores, ipsâ non damnari quinque propositiones in sensu libri cui titulus, *Augustinus;* de hoc effugio per Galliarum Episcopos commonitus Innocentius, ut illud statìm præcluderet, ad eosdem die 29.ª Septemb. anni 1654 Breve mittit, quo disertè pronuntiat se suâ

*Constitutione damnavisse, in quinque propositionibus, Cornelii Jansenii doctrinam ejus libro contentam cui titulus*, Augustinus; ergo, etc.

*Prob.* 2.ª *pars,* scilicet, si scopus Bullæ Innoc. X sit damnare quinque propositiones in sensu libri cui titulus, *Augustinus,* illas hoc ipso certò et infallibiliter in eo sensu damnari. Nam, ex præcedenti propositione, Bullà Innoc. X irreformabile est universalis Ecclesiæ judicium : atqui universalis Ecclesiæ judicium, cujus scopus sit in tali sensu quasdam damnare propositiones, illas in eo sensu damnat infallibiliter. Ex dictis enim in *Tract. de Ecclesiâ,* ubi nimirùm de factis dogmaticis, Ecclesia infallibilis est, non modò quandò definit talem doctrinam esse catholicam aut hæreticam; sed et ubi declarat illam in tali vel tali libro, tali vel tali propositione contineri; ergo, etc.

Hinc Innocentii X successores, Alexander VII, Clemens IX, Innocentius XII, et Clemens XI, in decretis inferiùs referendis unanimiter definiunt, quinque propositiones ex Cornelii Jansenii libro cui titulus, *Augustinus,* excerptas, in sensu ab eodem Cornelio intento fuisse damnatas.

*Objiciunt* quidem apologistæ Jansenii, 1.° narrante D. *de S. Amour,* in suo Diario, declarâsse Innocentium, *nolle se omninò ut de Jansenio mentio fieret;* 2.° Cardinalem Spada, eodem teste D. *de S. Amour,* asseruisse *propositiones in congregationibus considerari præcisè secundùm seipsas, abstrahendo à sensu unius vel alterius;* 3.° Vincentium de Pretis, Commissarium S. Officii, sententiam ferendo de primâ propositione, dixisse eam à se spectari in *abstracto,* et prout ab omni proferente præscindit, etc.

Verùm istæ vel aliæ ejusdem speciei vitiliga-

tiones ipso probationum pondere conteruntur. Si enim, ut de vero decreti pontificii scopo judicetur, non ipsius tenori, nec solemni Pontificis, à quo datum est, declarationi standum sit, sed insuper sparsi per vulgus rumores audiendi sint, nulla erit, non modò S. Sedis, sed nec etiam Concilii œcumenici, quantumvìs clara et perspicua definitio, cujus sensus jure non possit in dubium revocari.

## § II.

### *De Brevi Alexandri VII post oblatos ipsi quinque Articulos.*

Contendunt Jansenii defensores, Alex. VII per Breve datum die 29.ª Julii anni 1663, approbâsse quinque Articulos, quos ei per Convenarum Episcopum obtulerant. Cùm autem velint omnem libri cui titulus, *Augustinus,* doctrinam illis quinque Articulis contineri, hinc concludunt ipsam libri hujus doctrinam isto Alexandri VII Brevi fuisse comprobatam. Adversùs commentum illud, sit

#### PROPOSITIO.

*Alexander VII, per suum Breve datum* 29 *Julii anni* 1663, *oblatos sibi quinque Articulos nullatenùs approbavit.*

*Prob.* In hoc toto Brevi nulla fit, nec etiam indirecta, mentio quinque Articulorum : atqui quinque Articulorum, indirectè saltem, meminisset S. Pontifex, si illos vel minimùm voluisset approbare; ergo, etc.

Et certè hinc tantùm in suo Brevi sibi gratulatur S. Pontifex, *quòd, litteris ex Galliâ recèns allatis, acceperit illorum in dies crescere nume-*

*rum, qui recta sapiunt* : atqui, si pro catholicis habuisset quinque Articulos, non ex eo solùm esset sibi gratulatus, *quòd, litteris ex Galliâ recèns allatis, accepisset illorum, etc.;* sed etiam, ac præsertìm, ex eo quòd in illis ipsis quinque Articulis eosdem *recta sapere* propriis oculis inspexisset; ergo, etc.

Deniquè non indè concludit Alexander VII multos in Galliis *ad saniorem doctrinam inductos* fuisse, quòd in oblatis S. Sedi quinque Articulis *saniorem doctrinam* expresserint; sed ex eo præcisè quòd *sese paratissimos exhibuerint ad illa omnia præstanda quæ ipsis à Sede apostolicâ præscribentur* : atqui tamen, si mens S. Pontificis in suo Brevi fuisset, quinque prædictos Articulos tanquam catholicos approbare, non indè tantùm collegisset multos in Galliis *saniorem doctrinam* amplexos esse quòd *sese paratissimos exhibuerint ad illa omnia præstanda quæ ipsis à Sede apostolicâ præscribentur;* sed ex eo potissimùm, quòd in illis quinque suis Articulis veram et catholicam doctrinam professi fuissent. Concludamus igitur Alex. VII, in hoc suo Brevi, non ad quinque Articulos respexisse, sed ad solam unà cum illis oblatam sibi declarationem, quâ testificabantur discipuli Jansenii *se paratos esse... ad ea omnia præstanda, quæ ab ipsis S. Pontifex exigere voluerit.*

## § III.

*De Bullâ Alexandri VII quæ incipit,* Regiminis, *vel potiùs de Formulario quod in illâ continetur.*

Plerique Jansenii defensores, ut vidimus in

synopsi historicâ, volunt eum qui Alex. VII Formulario subscribit, hâc suâ subscriptione non ad internum mentis assensum, sed ad merum silentium, ut vocant, religiosum, circa Jansenii *factum,* obligari. Contra illos, sit

PROPOSITIO.

*Subscribens Formulario Alexandri VII, suâ hâc subscriptione ad internum mentis obsequium circa ipsum Jansenii factum obligatur.*

*Prob.* Ad hoc enim duo requiruntur et sufficiunt: 1.um Ecclesiam uti jure suo, cùm internum mentis assensum exigit circa factum Jansenii; 2.um Alexandri VII Formulario subscribentem, circa hoc ipsum factum, interius mentis obsequium promittere: atqui, etc.

1.° Quidem Ecclesia jus habet mentis internum assensum circa Jansenii factum exigendi. Nam circa id omne mentis internam adhæsionem exigere potest ac debet Ecclesia, quod ab ipsâ fuit infallibiliter definitum, atqui, ex paragr. primo, infallibiliter definivit Ecclesia famosas quinque propositiones in lib. Jansenii, et in sensu quidem à S. Sede damnato, contineri; ergo circa factum illud, etc.

2.° Qui subscribit Alexandri VII Formulario, per suam subscriptionem, circa factum Jansenii, non merum promittit silentium, ut aiunt, religiosum, sed internum et sincerum mentis obsequium. Subscribens enim expressè, additoque juramento profitetur, se *quinque propositiones ex Cornelii Jansenii libro cui nomen*, Augustinus, *excerptas, et in sensu ab eodem auctore intento, prout illas per dictas Constitutiones*

*Sedes apostolica damnavit, sincero animo rejicere ac damnare;* ergo, etc.

Quæ contrà opponuntur, soluta fuêre in *Tractatu de Ecclesiâ*, ubi de Factis dogmaticis.

## § VI.

### *De Brevi Clementis IX ad quatuor Episcopos.*

Contendunt fautores Jansenii Clementem IX, per suum Breve ad quatuor Episcopos, de quibus suprà, silentii religiosi circa Jansenii factum sufficientiam agnovisse. Duo enim asserunt: 1.um quatuor illos Episcopos, priusquàm Alexandri VII Formulario subscriberent, in verbalibus Synodorum diœcesanarum actis expressam fecisse distinctionem inter jus et factum, atque circa jus quidem internam mentis assensionem, sed circa factum meram silentii reverentiam promisisse; 2.um Clementem IX, priusquàm quatuor illis Episcopis suam benevolentiam restitueret, scivisse talem ab ipsis, antequàm subscriberent, factam esse distinctionem: ex quibus duobus inferunt S. illum Pontificem, pacem suam iis reddendo Præsulibus, eorum, indirectè saltem et implicitè, de silentio religioso sententiam approbâsse. Contra figmentum illud, sit

PROPOSITIO.

*Clemens IX, in suo Brevi ad quatuor Episcopos, silentii religiosi circa factum Jansenii doctrinam minimè comprobavit.*

*Prob.* In tantùm, juxta ipsos adversarios, Clemens IX in illo Brevi silentii religiosi circa factum Jansenii sufficientiam agnovisset, in quantùm ante Brevis hujus emissionem scivisset;

quatuor Episcopos in suis Synodis diœcesanis, nonnisi post factam juris à facto distinctionem, Formulario subscripsisse : atqui illud nec scivit, nec scire potuit Clemens IX, et, etiamsi scivisset, non statìm sequeretur ipsum in suo Brevi silentii religiosi circa factum Jansenii sufficientiam agnovisse.

*Prob.* 1.ª *pars minoris*, Clementem IX omninò latuisse, quatuor Episcopos, antequàm Formulario suis in Synodis subscriberent, factum à jure distinxisse. Utrùm enim id Clemens sciverit, aut nesciverit, non aliundè meliùs cognosci potest, quàm ex Brevibus ab ipso in causâ quatuor Episcoporum promulgatis : atqui ex tribus Brevibus in illâ causâ à Clemente datis, 1.° ad Regem Christianissimum, 2.° ad Episcopos mediatores, 3.° de quo agitur, ad quatuor Episcopos, constat ipsum penitùs ignorâsse talem ab istis factam esse distinctionem priusquàm subscriberent.

1.° Quidem ex Brevi ad Regem Christianiss. dato die 28.ª Septembris anni 1668. Nam in eo sic loquitur Pontifex : *Cum lætitiâ agnoscimus in purâ et simplici subscriptione Formularii, quatuor illorum Episcoporum obedientiam.* Credidit ergo Clemens IX quatuor Episcoporum subscriptionem fuisse *puram et simplicem*, ac proindè sine ullâ præviâ juris à facto distinctione.

2.° Idem constat ex Brevi ad tres Episcopos pacis mediatores, dato die 19.ª Januar. anni 1669. Hæc sunt enim verba S. Pontificis in illo Brevi : *Non sine lætitiæ sensu pervidimus ex litteris fraternitatum vestrarum... de perfectâ et integrâ obedientiâ nobis et apostolicæ Sedi præstitâ per Episcopos Andegavensem, Bellova-*

*censem, Apamiensem et Alectensem, subscriptione Formularii sincero animo, et juxta præscriptum Litterarum apostolicarum, ab eis factâ.* Hæc igitur erat Clementis IX persuasio, quatuor Episcopos *perfectam et integram obedientiam sibi et apostolicæ Sedi præstitisse*, atque subscripsisse *Formulario sincero animo, juxta præscriptum Litterarum apostolicarum*: atqui perfectam et integram apostolicæ Sedi non præstat obedientiam, nec Formulario Alexandri VII *sincero animo, juxta præscriptum Litterarum apostolicarum*, subscribit, qui, subscribendo, juri duntaxat, non autem et ipsi facto consentit interiùs; ergo, etc.

3.° Id etiam patet ex ipso de quo agitur Brevi ad quatuor Episcopos, dato eâdem die. Sic enim illos alloquitur Clemens IX : *Cum ingenti obsequii nobis et huic sanctæ Sedi per vos debiti testatione significabatis* (in epistolâ ad ipsum Clementem IX), *vos, juxta præscriptum Litterarum apostolicarum Innocentii X et Alex. VII, sincerè subscripsisse, et subscribi fecisse Formulario in ejusdem Alexandri VII Litteris edito.* Quæ vix differunt à præcedentibus.

*Prob.* 2.ª *pars*, Clementem IX scire non potuisse, quatuor Episcopos, nonnisi post factam juris à facto distinctionem, Formulario subscripsisse. Qualis enim hæc fuerit subscriptio, non aliundè potuit S. Pontifex authenticè cognoscere, quàm vel ex epistolâ, quam ei super hâc suâ subscriptione dederunt quatuor Episcopi de quibus agitur; vel ex solemni declaratione, quam ad eumdem hâc de re miserunt tres pacis mediatores Episcopi : atqui, nedùm ex hâc sive epistolâ, sive declaratione scire potuerit Clemens IX,

quatuor Episcopos in suis Synodis, cum prævià juris à facto distinctione, subscripsisse Formulario; ex hoc utroque potiùs instrumento concludere debuit eosdem subscripsisse *purè et simpliciter*.

1.° Quidem ex epistolâ ad ipsum à quatuor Episcopis scriptâ, die 1.ª Septemb. anni 1668. In illâ namque sic loquuntur: *Cùm in exsequendâ decessoris vestri de subscribendâ fidei formulâ Constitutione, Gallicani Episcopi nobiscum sensibus conjunctissimi, eam disciplinæ formam amplexi sint, quam Sanctitati Vestræ acceptiorem fuisse intelleximus; nos... non piguit eorum institutum imitari.* Testantur ergo quatuor Episcopi, se Formulario Alex. VII juxta eamdem formam subscripsisse, ac *Gallicani Episcopi*: atqui sciebant omnes, sciebat ipse Clemens IX, *Gallicanos Episcopos*, si quatuor excipiantur de quibus agitur, puram ac simplicem Formularii subscriptionem exhibuisse, à suisque jussisse exhiberi; ergo, etc.

Deindè statìm addunt, *imperatâ novâ subscriptione, se etiam subscripsisse.... idque arduum sibi ac perdifficile fuisse*: atqui subscriptio, cum prævià juris à facto distinctione, nec *nova* fuisset pro quatuor Episcopis, nec iisdem *ardua ac perdifficilis*; siquidem hæc ipsa est, quam in suis Mandatis pontificià ac regià auctoritate proscriptis præstiterant; ergo, etc.

2.° Id ipsum magìs adhuc inferre debuit idem Pontifex ex declaratione quam pacis mediatores ad ipsum miserunt, die 4.ª Decemb. ejusdem anni. In illà namque tria declarantur: 1.um quatuor Episcopos *optimâ fide egisse*; 2.um damnâsse, à suisque damnari curâsse quinque pro-

positiones *cum omni sinceritate, absque ullâ prorsùs exceptione seu restrictione;* 3.um easdem damnâsse *in eo omni sensu quo sunt ab Ecclesiâ damnatæ:* atqui ex tali declaratione hoc unum potuit ac debuit concludere S. Pontifex, quatuor Episcopos in suis Synodis diœcesanis dedisse, à suisque dari jussisse subscriptionem ab illâ prorsùs diversam quam anteà suis in Documentis pastoralibus ipsi exhibuerant à suisque præscripserant exhiberi, quæ omnem proindè juris à facto distinctionem excluderet; ergo, etc.

*Prob. ultima pars,* etiam supponendo scivisse Clementem IX à quatuor Episcopis factam esse in actis verbalibus, priusquàm Formulario subscriberent, juris à facto distinctionem, indè concludi non posse illum in suo Brevi hanc subscribendi rationem approbàsse. Verus enim solemnis decreti sensus non ex illius à quo latum est privatâ scientiâ; sed ex ipso contextu verborum æstimandus est, præsertìm si verba sint adeò plana et aperta, ut nullam tergiversationem patiantur: atqui, ex ipso tenore Brevis ad quatuor Episcopos dati, patet Clementem IX ipsis non restituisse pacem, nisi sub expressâ conditione, quòd *purè et simpliciter,* id est, sine ullâ præviâ distinctione subscripserint. Illos enim in suo Brevi sic alloquitur:

*Prædecessorum nostrorum Constitutionibus firmissimè inhærentes, nullam circa illud* (subscriptionem Formularii) *exceptionem aut restrictionem admissuri unquàm fuissemus: in præsens tamen, cùm nova et gravia isthinc accepimus documenta veræ et totalis obedientiæ vestræ, quâ et Formulario sincerè subscripsistis, damnatis absque ullâ exceptione aut res-*

*trictione quinque propositionibus in omnibus sensibus, in quibus à Sede apostolicâ damnatæ fuerunt,... tribuere vobis voluimus hoc paternæ benevolentiæ nostræ argumentum.* Asserit ergo Clemens IX, ideò se quatuor Episcopis *tribuere paternæ benevolentiæ argumentum*, quòd *Formulario sincerè subscripserint, damnatis absque ullâ exceptione aut restrictione quinque propositionibus in omnibus sensibus, in quibus à Sede apostolicâ damnatæ fuerunt;* cæterùm se *prædecessorum suorum Constitutionibus firmissimè inhærere,* atque circa Formularii subscriptionem *nullam exceptionem aut restrictionem admissurum unquàm fuisse.* Quamvis ergo (quod falsum esse probavimus) scivisset Clemens quatuor Episcopos in suis diœcesanis Synodis, nonnisi post factam juris à facto distinctionem, Formulario subscripsisse, hanc nihilominùs subscribendi rationem omninò reprobâsset.

Hinc meritò damnata est à Summ. Pontif. Pio VI, in Constitutione *Auctorem fidei* ab omnibus Ecclesiis acceptatâ, hæc n. 13 « *Propositio relata inter acta Synodi* Pistoiensis, » *quæ innuit Clementem IX pacem Ecclesiæ* » *reddidisse per approbationem distinctionis* » *juris et facti in subscriptione Formularii ab* » *Alexandro VII præscripti,* » damnata est, inquam, tanquam « falsa, temeraria, Clementi IX » injuriosa, » n. 14. *Quatenùs verò ei dis-* » *tinctioni suffragatur, ejusdem fautores lau-* » *dibus extollendo, et eorum adversarios vitu-* » *perando,* » tanquam « temeraria, perniciosa, » schisma fovens et hæresim. »

## § V.

### *De Brevi Innocentii XII ad Belgii Episcopos, dato die* 6.ª *Februarii anni* 1694.

Quod ex Brevi Clementis IX ad quatuor Episcopos, illud idem, ut suprà vidimus, ex Innocentii XII Brevi ad Belgicos Præsules colligere volunt Jansenii defensores; eum nempè qui subscribit Formulario, quod spectat quæstionem facti, ad merum teneri silentii obsequium. Contra postremum istud effugium, sit

PROPOSITIO.

*Innocentius XII in suo Brevi* 6.ª *Febr. an.* 1694 *minimè favet silentio religioso circa factum Jansenii.*

*Prob.* Ille Pontifex immeritò traducitur tanquam fautor silentii religiosi, qui in suo Brevi ne insinuat quidem silentium religiosum circa factum Jansenii sufficere, qui è contrà illud non sufficere haud obscurè significat, qui tandem, videns suum istud decretum à plurimis in silentii religiosi patrocinium advocari, hunc statim ipsis prætextum, dato novo Brevi, eripit : atqui, etc.

*Prob.* 1.ª *pars,* Innocentium in suo Brevi ne innuere quidem silentium religiosum circa factum Jansenii sufficere. Si id enim innueret, vel quia damnat additiones quas, ad clariorem Janseniani facti determinationem, Alexandri VII Formulario fecerat Archiepiscopus Mechliniensis; vel quia, damnando quinque propositiones, non ipsis utitur Formularii verbis, *In sensu ab eodem auctore intento;* sed istis, *In sensu obvio, quem ipsamet propositionum verba præ se fe-*

*runt :*

*runt* : atqui neutro ex capite quidquam in gratiam religiosi silentii colligi potest.

1.° Quidem non ex eo quòd improbet Innocentius additiones Formulario factas ab Archiepiscopo Mechliniensi. Suæ enim improbationis non istam affert rationem, quòd dubium sit utrùm quinque propositiones in ipso Jansenii sensu damnatæ sint, atque circa factum illud sufficiat merum reverentiæ silentium; sed quòd, ut ipse dicit, *ad Summum Pontificem duntaxat pertineat sensum, quem in his propositionibus damnaverit, et ut damnatum à fidelibus credi censuerit, declarare.*

2.° Non etiam ex eo quòd idem Pontifex, damnans quinque propositiones, non ipsas adhibeat Formularii voces, *In sensu ab eodem auctore intento;* sed istas, *In sensu obvio, quem ipsamet propositionum verba præ se ferunt.* Ad hoc enim sufficit, per *sensum obvium, quem ipsamet propositionum verba præ se ferunt,* Innocentium intelligere sensum ipsum quem propositiones habent in libro Jansenii : atqui res ita est. Pronuntiat enim, *damnandas esse propositiones ex libro Jansenii excerptas in sensu obvio, quem ipsamet propositionum verba præ se ferunt, prout sensum illum damnârunt SS. Pontifices prædecessores* ejus; ergo per *sensum obvium quem ipsamet propositionum verba præ se ferunt,* intelligit Innocentius XII *sensum illum quem damnârunt SS. Pontifices prædecessores* ejus, nimirùm Innocentius X et Alexander VII, id est, ut suprà probavimus, ipsum sensum quem istæ propositiones habent in libro Jansenii.

Hinc Clemens XI in Bullâ, *Vineam Domini*, apertè pronuntiat, Innocentium XII, in prædicto

Brevi, per *sensum obvium quem ipsamet propositionum verba exhibent ac præ se ferunt*, intelligere *ipsummet obvium sensum, quem in Jansenii libro habent, quive ab eodem Jansenio intentus, ac præfatis Innocentio X et Alexandro VII prædecessoribus damnatus fuit.*

*Prob.* 2.ª *pars*, Innocentium XII, in eodem Brevi, è contrà definire silentium religiosum non sufficere circa factum Jansenii. Declarat enim *se Constitutionibus Innocentii X et Alexandri VII, exemplo prædecessorum suorum, firmiter inhærere, easque in suo robore fuisse et esse*: atqui, ex probatis, *Constitutionibus Innoc. X et Alex. VII* non merum reverentiæ silentium, sed internum mentis obsequium circa factum Jansenii præscribitur, ergo, etc.

*Prob.* 3.ª *pars*, eumdem Pontificem, ubi plurimos audivit abuti Brevi suo, ut ex eo süæ de silentio religioso sententiæ pondus adjicerent, illorum statìm, dato novo Brevi, repressisse audaciam. Die namque 24.ª Novemb. anni 1696, aliud Breve emisit, in quo sic decernit: *Non sine admiratione intelleximus nonnullos reperiri, qui ausi fuerint affirmare, supradicto nostro Brevi alteratam seu reformatam esse Constitutionem Alexandri VII... necnon Formularium ab ipsomet pronuntiatum; cùm dicto Brevi utrumque specificè confirmetur, et omninò intenderimus et intendamus iisdem adhærere.*

Hinc Jansenianis partibus addictissimi fateri coguntur hoc ultimo Brevi sibi ereptum esse quidquid speraverant ex priori. Sic enim loquuntur, prop. 3, inter 127 à Clero Gallicano damnatas an. 1700: *Aliquam huic malo* (Formularii subscriptioni) *medicinam attulisse videbatur In-*

*noc. XII, in Brevi suo* 6 *Febr.* 1694... *Verùm mitigationem illam præsumptam non parùm extenuavit Brevi* 24 *Nov.* 1696, *ubi Pontifex disertè negat Constitutionem aut Formularium Alex. VII Brevi suo alterata aut reformata in aliquâ ejus minimâ parte.*

## § VI.

### *De Clementis XI Bullâ,* Vineam Domini.

Hâc apostolicâ Constitutione penitùs attritam esse religiosi silentii sententiam probabit

### PROPOSITIO.

*Bullâ Clementis XI,* Vineam Domini Sabaoth, *decretoriè definitum est, non sufficere silentium religiosum circa factum Jansenii.*

*Prob.* Illâ Bullâ decretoriè definitur, etc., in quâ S. Pontifex 1.° non alium sibi finem proponit, quàm silentii circa Jansenii factum insufficientiam definire; in quâ 2.° renovat et confirmat Constitutiones, quibus eadem insufficientia definitur; in quâ 3.° declarat expressè per silentium religiosum minimè satisfieri prædecessorum suorum Constitutionibus, quæ spectant ad factum Jansenii : atqui Clemens XI, etc.

1.° Quidem Clemens XI in suâ Bullâ non alium sibi scopum proponit, quàm, etc. Quo enim consilio hanc Bullam ferat, ipse sic exponit : *Inquieti homines.... docere non sunt veriti, ad obedientiam præfatis Constitutionibus* (Innoc. X et Alex. VII) *debitam non requiri, ut quis Janseniani libri sensum in quinque propositionibus damnatam, interiùs ut hæreticum damnet; sed satis esse, si eâ de re obsequiosum, ut ipsi vo-*

*cant, silentium teneatur... Hinc est, quòd nos ad opportunum et efficax tam exitiali morbo... remedium adhibendum, etc.*

2.° In eâdem Bullâ renovat et confirmat Constitutiones, quibus silentii obsequiosi circa Jansenii factum insufficientia definitur. Post transcriptas enim Innoc. X et Alex. VII Constitutiones, de illis sic habet : *Præinsertas Innoc. X et Alex. VII Constitutiones, omniaque et singula in eis contenta auctoritate apostolicâ, tenore præsentium, confirmamus, approbamus, et innovamus :* atqui, ex probatis, Innoc. X et Alex. VII, per suas Constitutiones, internum exigunt mentis assensum circa factum ipsum Jansenii; ergo, etc.

3.° Expressè definit idem Pontifex prædecessorum suorum Constitutionibus ad factum Jansenii spectantibus per silentium religiosum minimè satisfieri : *Hâc nostrâ*, inquit, *perpetuò valiturâ Constitutione, obedientiæ quæ præinsertis apostolicis Constitutionibus debetur, obsequioso illo silentio minimè satisfieri, sed damnatum in quinque præfatis propositionibus Janseniani libri sensum, quem illarum verba præ se ferunt, ut præfertur, ab omnibus ut hæreticum, non ore solùm, sed et corde rejici ac damnari debere... declaramus.*

*Nota.* Incredibile quot artibus et fallaciis usi sint Jansenii defensores, ut suaderent prædictis SS. Pontificum contra librum Jansenii Judiciis solam *juris*, non autem *facti*, quæstionem fuisse definitam. Verùm ipsorum hâc in parte cavillationes, vel directè pugnant adversùs ipsam Ecclesiæ circa facta dogmatica infallibilitatem, de quâ in *Tract. de Ecclesiâ;* vel adeò vanæ sunt ac futiles, ut facilè possint ex dictis confutari.

## ARTICULUS III.

### *De Systemate Jansenii.*

Systema Jansenii circa gratiam præsentis statûs ad hæc quatuor principia revocatur.

1.° Voluntas humana per protoparentis peccatum prorsùs amisit activam hanc liberi arbitrii flexibilitatem, quâ sese, pro nutu, in bonum ferebat vel malum.

2.° Amissum liberum arbitrium in præsenti statu suppleri non potest, nisi duplici delectatione, cœlesti seu charitate, quæ ad bonum; et terrenâ seu concupiscentiâ, quæ ad malum sollicitet.

3.° Duæ illæ delectationes in se invicem, et in ipsam voluntatem agunt per gradus, ita ut ad agendum juxta superiorem voluntas necessitetur.

4.° Necessitas agendi juxta delectationem superiorem non est *absoluta, perpetua*, et *immutabilis*; sed *relativa, transitoria* et *mutabilis* : id est, delectatio superior non per se et *absolutè* voluntatem necessitat, sed per suum excessum *relativè* ad oppositam delectationem; adeò ut eadem *absolutè* remanens necessitare desineret, si opposita delectatio fieret ipsi superior. Hinc delectatio superior à Jansenio ejusque sequacibus *delectatio relativè victrix appellatur.*

Itaque duo probanda suscipimus : 1.um mox expositum systema *delectationis relativè victricis* ipsum esse systema Jansenii; 2.um ex illo systemate necessariò fluere quinque famosas propositiones.

## PROPOSITIO PRIMA.

*Systema* delectationis relativè victricis, *quale modò fuit expositum, continetur in libro Jansenii cui titulus,* Augustinus.

*Prob.* Systema *delectationis relativè victricis* in illo libro continetur, in quo perpetuò recurrunt singula hujus systematis principia: atqui prædicta quatuor principia, quibus omne constat systema *delectationis relativè victricis*, ubiquè passim occurrunt in *Augústino* Jansenii.

1.um Quidem principium, protoparentis peccato penitùs deletam esse illam voluntatis flexibilitatem, quâ sese, pro nutu, poterat in bonam vel malam partem inflectere. Lib. enim 4 de Statu naturæ lapsæ, cap. 18: *Sequitur,* inquit, *omnem omninò libertatem arbitrii ad bonum morale faciendum ita periisse, ut nullum omninò opus moraliter bonum, sine verâ proprïèque dictâ gratiâ, possit facere; ut propterea quoque arbitrium ante gratiam illam non sit liberum à peccando abstinere.* Igitur, juxta Jansenium, per primi hominis peccatum *omnis omninò libertas arbitrii ad bonum morale faciendum ita periit,* ut homo, in præsenti statu, *sine verâ proprïèque dictâ gratiâ,* non modò non possit *opus moraliter bonum facere,* sed nec *à peccando abstinere.*

Lib. verò 2 de Gratiâ Christi Salv. cap. 3, sic loquitur: *Ista suprema nuendi flectendique potestas, quâ sese utrinque in bonum aut malum humanâ libertate ac dominatione librabat* (homo innocens)..... *prorsùs amissa est.* Non dicit primi parentis peccato valdè imminutam esse hanc potestatem, sed *prorsùs amissam.*

2.um Item principium, amissam relativè ad bonum et malum morale voluntatis libertatem non suppleri in præsenti statu nisi duplici delectatione, cœlesti, quæ ab bonum, et terrenâ, quæ ad malum sollicitet. Nam, lib. 4 de Gratiâ Christi Salv. cap. 7, hæc dicit : *Ex quo fit, ut si illa* (delectatio cœlestis) *desit, voluntas veluti torpens ac mortua nihil omninò boni amplecti possit ; quemadmodùm etiam è contrario nihil in carnalibus diligendis prosequi potest, nisi quod eam anteà delectaverit.* In quibus disertè docet hominem, post exstinctas per peccatum liberi arbitrii vires, ex solâ duplici delectatione, cœlesti ac terrenâ, bonum vel malum agendi habere potestatem.

Ibidem iterùm sic loquitur : *Delectatio, ut quis bonum velit.... ex conditione volendi necessaria est. Voluntas enim sine delectatione.... velle aut moveri nullo pacto potest ; quod sanè respectu cujuslibet operationis locum habet. Undè in peccatis eadem necessitas delectationis ad volendum, ac majoris delectationis ad superandam oppositam delectationem, reperitur.* Quæ non minùs quàm præcedentia clara sunt et aperta.

3.um Pariter principium, duas illas delectationes sic per gradus agere in se invicem, ut voluntas ad cadendum superiori necessitetur. Libro enim 4 de Gratiâ Christi Salvat., cap. 7, hæc habet : *In conflictu delectationum,* voluntas *non aliud animo amplecti, nec ad aliud amandum sequendumque moveri* POTEST, *nisi quod vehementiùs delectaverit.*

Et ejusdem operis lib. 7, cap. 3 : *Quemadmodùm voluntas sine præeunte delectatione velle*

*vel consentire* NEQUIT, *ita nec pravam delectationem sine aliquâ majore delectatione et meliore compescere.* Clarioribus simul et durioribus verbis dicere non poterat Yprensis, voluntatem humanam necessitari delectatione superiori, ad bonum quidem, si sit cœlestis; ad peccatum verò, si terrena.

4.um Deniquè principium, necessitatem agendi juxta delectationem superiorem esse duntaxat *relativam* et *mutabilem*, non autem *absolutam* et *immutabilem.* Nam ex ipso præcedenti principio immediatè sequitur, necessitatem agendi secundùm superiorem delectationem non ex ipsâ dimanare in se et *absolutè* spectatâ, sed ex eàdem consideratâ *relativè* ad delectationem oppositam, quæ supponitur gradibus inferior. *Hominum viatorum*, inquit Jansenius, lib. 6 de Grat. Christi Salv. cap. 34, *non solùm coactionis expertem esse libertatem, sed etiam necessitatis immutabilis voluntariæ... cum Scripturis, Augustino, et PP., et catholicâ fide fatemur perlibenter.*

Colliges, in systemate Jansenii, delectatione inferiori conferri quidem voluntati *absolutam*, minimè tamen *relativam* bonum vel malum agendi potentiam, id est, voluntatem posse quidem *absolutè* bonum illud vel malum facere, ad quod faciendum inferiori delectatione compellitur; sed non posse *relativè* ad contrariam delectationem, quæ gradibus præponderans supponitur. Consectarium est necessariò fluens ex isto 4.o principio, vel potiùs ipsum est 4.um istud principium aliis verbis expressum. Hæc autem eò diligentiùs notanda est duplicis necessitatis, duplicisque potentiæ distinctio, quòd sit veluti

clavis quâ intimi panduntur Janseniani systematis recessus, atque fecundissima radix æquivocationum et fallaciarum, quibus hujus systematis patroni sese Catholicorum argumentis subducere moliuntur.

Si, v. g., ipsis objicias delectationem cœlestem inferiorem, quam *gratiam parvam* appellant, non dare voluntati veram et expeditam bonum agendi, vel etiam non peccandi potentiam; protinùs negabunt, dicentque cum Jansenio, lib. 8 de Gratiâ Chr. Salv. cap. 20 : *Quemadmodùm qui sub gratiâ ad opus bonum determinante operatur, simul etiam peccare potest : ita quoque è contrario, qui istâ gratiâ destituitur... et peccandi tentationibus quatitur, potest benè facere.*

Verùm caveas à verbis specie tenùs catholicis. Quantumvis enim illam *benè faciendi* potestatem *veram* dicant, *completam* et *expeditam*, per eam tamen non intelligunt, nec, suis hærentes principiis, intelligere possunt potentiam verè *relativam*; sed potentiam merè *absolutam*, quæ in se quidem et *absolutè* sufficiat ad vitandum peccatum, non verò *relativè* ad præponderantem hic et nunc concupiscentiam.

Igitur, in systemate Jansenii, voluntas comparari potest bilanci, et delectationes ponderibus. Quemadmodùm enim, si in bilance pondera hinc et indè appendantur æqualia, bilanx æquilibratur necessariò; si inæqualia, in gravioris partem necessariò deprimitur; ita, si in voluntate æquales inter se decertent delectationes, cœlestis et terrena, hoc ipso voluntas, ut ait ipse Jansenius, lib. 4 de Gratiâ Christi Salv. cap. 10, *alternante delectationum fluctu, in medio re-*

*manebit ;* si verò alterutra delectatio gradibus alteri prævaleat, prævalentis determinationem voluntas sequetur necessariò. Sicut autem in bilance pondus levius, in se *absolutè* sufficit ad bilancem suas in partes inflectendam, non tamen *relativè* ad pondus oppositum, quod gravius supponitur : sic et in voluntate delectatio inferior, si in se spectetur et *absolutè*, sat quidem virium habet ad voluntatem suas in partes rapiendam, minimè verò, si *relativè* ad superiorem delectationem, quæ ex adverso præponderat.

### PROPOSITIO II.

*Ex mox exposito* delectationis relativè victricis *sytemate necessariò fluunt quinque famosæ Propositiones.*

*Prob.* singulas propositiones percurrendo.

1.ª Quidem propositio, *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus et conantibus secundùm præsentes quas habent vires, sunt impossibilia ; deest quoque illis gratia quâ possibilia fiant.* Supponatur enim justus, in quo delectatio cœlestis sit hìc et nunc delectationi terrenæ, seu concupiscentiæ, inferior : atqui, quantùmvìs justusille *velit et conetur secundùm præsentes quas habet vires*, ipsi, ex 3.º Janseniani systematis principio, prorsùs erit impossibile mandatum, cujus actualis urgeat obligatio ; *deest quoque illi gratia, quâ possibile fiat ;* ergo, etc.

Hæc propositio de verbo ad verbum exstat apud Jansenium, lib. 3 de Grat. Chr. Salvat. cap. 13, ubi sic legitur : *Nihil est in S. Augustini doctrinâ certius ac fundatius, quàm*

*esse præcepta quædam, quæ hominibus, non tantùm infidelibus, excæcatis, obduratis, sed fidelibus quoque et justis, volentibus, conantibus secundùm præsentes quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque gratia quâ fiant possibilia. Hoc enim S. Petri exemplo aliisque multis quotidiè manifestum est, qui tentantur ultra quàm possint sustinere.*

2.ª Itidem propositio, *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquàm resistitur.* Nam vel delectatio cœlestis terrenæ est æqualis, vel superior, vel inferior: atqui sive terrenæ sit æqualis, sive superior, sive inferior, ipsi, in systemate Jansenii, nunquàm resistitur; imò nec resisti potest.

1.° Quidem si sit æqualis. Cùm enim, ex 3.° systematis hujus principio, delectationes per gradus agant in invicem, si inter se sint æquales, voluntas, ut ipse dicit Jansenius verbis mox laudatis, *alternante delectationum fluctu, in medio remanebit.*

2.° Si sit superior. Ex eodem enim 3.° principio, semper necessitatur voluntas ad agendum secundùm impulsum delectationis superioris.

3.° Si sit inferior. Ideò enim voluntas, in systemate Jansenii, dici posset delectationi cœlesti inferiori resistere, quia in illo systemate nunquàm facit bonum, ad quod faciendum ipsam incitat delectatio cœlestis inferior: atqui ex eo quòd in systemate Jansenii voluntas nunquàm bonum agat, ad quod agendum delectatione cœlesti inferiori compellitur, non idcircò dici potest huic gratiæ resistere. Nam, ex 3.° systematis principio, voluntas non modò non facit bonum ad quod faciendum ipsam movet delectatio cœlestis infe-

rior, sed nec illud hìc et nunc facere potest: atqui, quantumvìs gratiâ moveatur voluntas ad bonum aliquod operandum, si tamen illud non possit hìc et nunc operari, gratiæ non resistet, illud hìc et nunc non operando; quemadmodùm, si herus famulo suo mandet ut aliquid agat, quod hìc et nunc non possit agere, quis dixerit famulum istum, illud hìc et nunc non agendo, hero suo resistere?

Hinc 1.° Jansenius nullam agnoscit gratiam verè *sufficientem,* quæ simul non sit efficax: *Nullum,* inquit, ibid, lib. 3, cap. 1, *jam dari hominibus lapsis adjutorium sufficiens, quin sit simul efficax, in Augustini principiis exploratum est.*

Hinc 2.° gratiam purè *sufficientem,* veluti monstrum ex pelagianismo procreatum, exsecratur: *Illud gratiæ sufficientis, genus* inquit, ibid. cap. 3, *quo adjuvante, nullum unquàm opus factum est, aut fiet unquàm,... videtur monstrum quoddam singulare gratiæ, solummodò peccatis faciendis, majorique damnationi accersendæ serviens.*

Hinc 3.°, juxta eumdem, ipsa delectatio cœlestis inferior, seu, ut ab ipsius discipulis appellatur, *gratia parva,* eum omnem effectum habet ad quem datur; sicque non est purè *sufficiens,* sed suo modo *efficax.* De illâ namque sic ratiocinatur, ibid. lib. 2, cap. 27: *Hæc igitur gratia, quamvis nullo modo sufficiat ut homo Dei mandatum operetur, ut Deum super omnia diligat, ut speret, ut oret, ut credat; ad hoc tamen facit aliquid... ut liberas quasdam, non voluntates, sed velleitates vel complacentias excitet, quas, nisi divinitùs infundantur, obtinere humanâ potes-*

*tate nemo potest;* ergo, juxta Yprensem, delectatio cœlestis inferior, seu *gratia parva,* nullum quidem bonum opus, nullam bonam voluntatem producit, aut producere potest, quia ad hæc producenda *nullo modo sufficit : velleitates* tamen seu *complacentias* excitat, quia ad eas excitandas datur et sufficit.

3.ª Similiter propositio, *Ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.* Meretur enim homo, quandò bonum agit; demeretur verò, quandò peccat : atqui, ex systemate Jansenii, quoties homo in præsenti statu bonum agit, ad bonum agendum delectatione cœlesti superiori necessitatur; quoties autem peccat, delectatione terrenâ superiori necessitatur ad peccandum; ergo, in præsenti statu naturæ lapsæ, ad hoc ut homo mereatur et demereatur, non oportet ipsum esse ab omni necessitate immunem, sed sufficit immunem esse ab omni coactione.

Eam ipsam propositionem, sub nomine S. Thomæ, expressis quasi verbis tradit Jansenius, lib. 6 de Gratiâ Christi Salvat. cap. 24, ubi sic : *Clarissimis verbis multisque modis docuit S. Thomas* 1.° *arbitrium hominis dictum esse liberum, quia non cogitur...* 2.° *necessitatem simplicem voluntatis non repugnare libertati...* et *hanc esse sententiam Augustini...* 6.° *opus esse laude vel vituperio dignum, meritorium vel demeritorium, ex hoc quòd est voluntarium, spontaneum, non coactum.*

4.ª Pariter propositio, non quidem quoad priorem partem quæ est *facti,* sed quoad posteriorem quæ est *juris*, et sic se habet : *Semipelagiani in*

*hoc erant hæretici, quòd assererent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare.* Nam illi sunt hæretici, qui ipsam subvertunt gratiæ naturam : atqui, in Jansenii principiis, ipsam perimunt gratiæ naturam quilibet *asserentes gratiam talem esse, cui possit humana voluntas resistere vel obtemperare.* In hoc enim systemate, sicut suprà vidimus, omnis vera gratia Christi essentialiter est *efficax,* imò *relativè necessitans.*

Priorem hujus propositionis partem quæ est *facti,* nimirùm : *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem, etiam ad initium fidei,* his verbis docet Jansenius, lib. 8 de Hæresi Pelag. cap. 6 : *Indubitatum esse debere sentio, quòd Massilienses, præter prædicationem atque naturam, veram etiam et internam et actualem gratiam, ad ipsam etiam fidem* (seu, ut dixerat lib. 7, cap. ultimo, *ad primas credendi, sperandi, diligendique voluntates*) *necessariam esse fateantur.*

Posteriorem verò mox relatam ejusdem propositionis partem, *Et in hoc erant hæretici, etc.,* quæ est *juris,* sic tradit eodem cap. 6 : *In hoc propriè Massiliensium error situs est, quòd aliquid primævæ libertatis reliquum putant, quo, sicut Adam, si voluisset, poterat perseveranter operari bonum; ita lapsus homo saltem credere posset, si vellet; neuter tamen absque interioris gratiæ adjutorio, cujus usus vel abusus relictus esset in uniuscujusque arbitrio et potestate.*

5.ª Demùm propositio, *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.* Nam, ex præcedenti quartà propositione, Semipelagianum

est admittere gratias, quibus possit humana *voluntas resistere :* sed qui dicit Christum *pro omnibus omninò hominibus mortuum esse*, gratias admittit quibus *possit humana voluntas resistere;* imò quibus hominum plerique resistant, quicunque nimirùm non salvantur; ergo, etc.

Hæc ultima propositio habetur, lib. 3 de Gratiâ Christi Salv. cap. 21, ubi sic legitur : *Nec enim, juxta doctrinam Antiquorum, pro omnibus omninò Christus passus aut mortuus est... cùm hoc potiùs tanquam errorem à fide catholicâ abhorrentem doceant esse respuendum.* Imò vidimus in *Tract. de Deo,* ubi de voluntate Dei pro salute omnium hominum, Jansenium apertè docuisse, Christum non pro aliorum quàm Prædestinatorum salute mortuum esse et sanguinem fudisse.

*Obj.* 1.° tertiam proposit., *Ad merendum et demerendum, etc.,* non fluere ex systemate Jansenii. Juxta illam enim propositionem, sola coactionis immunitas in præsenti statu sufficit ad merendum et demerendum; nec requiritur immunitas alterius cujuslibet necessitatis : atqui è contrà, juxta nos ipsos in propositione primâ, Janseniani systematis fundamentale est principium, ad merendum et demerendum, immunitatem requiri, non tantùm coactionis, sed etiam necessitatis cujuslibet *absolutæ* et *immutabilis;* ergo, etc.

*Resp.* 1.° Ecclesia, sicut probatum est articulo præcedenti, per Constitutiones Innoc. X, Alex. VII, et Clementis XI, infallibiliter damnavit *quinque propositiones ex Cornelii Jansenii libro cui nomen,* Augustinus, *excerptas, et in sensu* quidem *ab eodem auctore intento;* ergo, quamvis impossibile foret privatâ discussione demonstrare,

quinque propositiones illas in Jansenii libro quoad illum præcisè sensum existere, qui prædictis Constitutionibus damnatus est, id nihilominùs, ob infallibilem Ecclesiæ definientis auctoritatem, omnes credere tenerentur. Verùm

2.° Quicunque, sine partium studio, Jansenii pervolverit *Augustinum*, statìm perspiciet vix esse paginam, in quâ, sin quoad verba, saltem quoad sensum, non exstet una vel altera ex quinque famosis propositionibus. Ut enim ad ipsam veniamus tertiam propositionem, *Ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit, etc.;* in illâ propositione, *libertas à necessitate* significat immunitatem omnis omninò necessitatis; adeò ut sensus propositionis non sit, ut asserit objectio, *Ad merendum et demerendum non requiri immunitatem ullius prorsùs necessitatis,* quod reverà nullibi docet Jansenius; sed sensus sit, *non requiri immunitatem omnis omninò necessitatis*, quod centies tradit idem Jansenius. Nam, passìm in suo libro, *ad merendum et demerendum* requirit quidem immunitatem, non modò coactionis, sed et cujuslibet necessitatis *absolutæ* et *immutabilis*. Verùm, nedùm requirat immunitatem omnis omninò necessitatis, etiam *relativæ* et *mutabilis,* ipsa è contrà necessitas *relativa* et *mutabilis* est veluti cardo, quo totum ipsius systema revolvitur.

*Obj*. 2.° quintam propositionem, *Semipelagianum est dicere, etc.*, non reperiri in libro Jansenii. Fatentur enim omnes passìm docere Jansenium, in sanguine Christi esse pretium omnibus redimendis hominibus, non modò sufficiens, sed et superabundans, atque à Christo

oblatum fuisse pretium illud ad gratias justitiæ temporalis omnibus hominibus, etiam Reprobis, promerendas : sed quicunque hæc duo docet, sentit Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse; ergo, etc.

*Resp.* 1.° Jansenius, verbis superiùs inter probationes adductis, expressè negat, *juxta doctrinam Antiquorum, pro omnibus omninò Christum passum aut mortuum esse.*

2.° Docuit quidem Jansenius in morte Christi pretium esse omnibus redimendis hominibus sufficiens, imò superabundans; docuit etiam Christum Dominum mortis suæ pretium, ad gratias temporales omnibus hominibus promerendas, æterno Patri obtulisse. Sed indè perperàm colligeretur ipsum sensu catholico docuisse, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse. Ut enim vidimus *in Tractatu de Deo*, et infrà dicemus, quandò dicunt SS. PP. et Doctores catholici Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, non solùm intendunt dicere, Christi mortem esse tanti valoris ut sola plus quàm sufficiat omnibus hominibus redimendis, vel Christum per suam mortem omnibus hominibus, ipsis etiam Reprobis, gratias purè temporales meruisse : sed præsertìm dicere volunt, Christum mortuum esse et sanguinem fudisse, ut per suam mortem suique sanguinis effusionem omnibus hominibus gratias ad salutem verè et relativè sufficientes mereretur.

*Inst.* Saltem illa propositio non fuit ab Innocentio X damnata in sensu quo docuerat illam Jansenius. Illam enim hoc sensu damnat Innocentius, quòd in ipsâ dicatur Christum mortuum esse pro solâ salute Prædestinatorum : *Intellec-*

*tam eo sensu*, inquit, *ut Christus pro salute duntaxat Prædestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam... hæreticam declaramus:* atqui Jansenius nusquàm docuit Christum mortuum esse pro solâ salute Electorum: sed contrà, prout modò dictum est, docet ubiquè mortuum adhuc esse Christum, ut ipsis etiam Reprobis justitiam temporalem mereretur; ergo, etc.

*Resp.* Supponit objectio, in citatis Innocentii X verbis, adverbium, *duntaxat*, esse referendum ad ista, *pro salute;* quasi Pontifex quintam propositionem eo sensu intellexerit, quòd Christus pro solâ salute Prædestinatorum mortuus sit: atqui è contrà referri debet adverbium istud ad vocem, *Prædestinatorum*, ita ut prædictam propositionem eo sensu acceperit et damnaverit Innocentius, quòd Christus mortuus sit pro salute solorum Prædestinatorum. Non enim eo sensu quintam propositionem intellexit et damnavit, de quo non controvertebatur, et quem perindè respuebant, sive qui pro Jansenio, sive qui contra Jansenium disputabant; atqui, nedùm his temporibus in controversiam adduceretur, an Christus mortuus esset pro solâ salute Prædestinatorum, in hoc apprimè cùm impugnatoribus Jansenii consentiebant ejusdem defensores, quòd dicerent Christum pro aliâ re sanguinem fudisse, quàm pro salute Prædestinatorum, pro obtinendâ nimirùm, ipsis etiam Reprobis, justitiâ temporali: in eoque solo dissentiebant, quòd Christum mortuum esse pro salute solorum Prædestinatorum vellent posteriores; priores autem, pro salute omnium hominum; ergo, etc.

*Nota.* Mirum est quantùm Jansenii discipuli

suâ duplici *necessitate*, duplicique *potentiâ*, *absolutâ* nimirùm et *relativâ*, abutantur, ut damnatum in quinque propositionibus sensum à magistri sui libro removeant. Verùm, ad omnes ipsorum hâc in parte cavillationes comprimendas, planè sufficiunt quæ dicta sunt in propositione primâ, ubi de quarto Janseniani systematis principio.

# PARS DOGMATICA.

Secundæ partis hujus tres erunt dissertationes: 1.ª de variis naturæ humanæ statibus relativè ad gratiam; 2.ª de necessitate gratiæ in genere; 3.ª de præcipuis gratiæ speciebus in particulari.

## DISSERTATIO PRIMA.

### DE VARIIS NATURÆ HUMANÆ STATIBUS RELATIVÈ AD GRATIAM.

Status nomine, hìc intelligitur certa quædam naturæ humanæ conditio in ordine ad finem suum ultimum. Sextuplex distinguitur: 1.us naturæ puræ, 2.us naturæ integræ, 3.us naturæ innocentis seu justitiæ originalis, 4.us naturæ lapsæ simpliciter, 5.us naturæ lapsæ non reparandæ, 6.us deniquè naturæ lapsæ per Christum reparatæ.

Status naturæ puræ ille foret, in quo homo nasceretur absque peccato et gratiâ, concupiscentiæ tamen, ignorantiæ, morti, ac cæteris quibus hodiè subjacet imperfectionibus et ærumnis obnoxius. In præsenti verò Tractatu, per

concupiscentiam intelligimus appetitum sensitivum, prout nos inclinat versùs objecta illicita.

Status naturæ integræ in hoc uno differret à statu naturæ puræ, quòd naturale, indebitum tamen, admitteret auxilium, quo posset homo suæ dominari concupiscentiæ, id est, impedire ne contra spiritum insurgeret.

Status naturæ innocentis seu justitiæ originalis ille est, in quo ante suum peccatum versabantur protoparentes, ornati gratiâ sanctificante, atque rebelli concupiscentiâ, morte, cæterisque præsentis statûs miseriis immunes.

Status naturæ lapsæ simpliciter ille est, in quo, post amissam justitiam originalem, fuêre protoparentes, et in quo nascimur omnes, peccato infecti, omnique jure ad regnum cœlorum destituti.

Status naturæ lapsæ non reparandæ idem esset præcisè status, cui Deus non decrevisset afferre remedium.

Status demùm naturæ lapsæ per Christum reparatæ idem est etiam status, sed in quo Deus, ex suâ misericordiâ, *gratificavit nos in dilecto Filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus*, Eph. c. 1, ℣. 6 et 7.

Ex enumeratis statibus tres, nempè naturæ puræ, naturæ integræ, et naturæ lapsæ non reparandæ, nunquàm exstiterunt, quamvis, ex dicendis, existere potuerint; unus, scilicet naturæ innocentis, exstitit quidem, antequàm peccarent protoparentes, sed ex quo peccàrunt, non ampliùs existit; duo tandem, naturæ lapsæ nimirùm, et naturæ reparatæ, nunc etiam existunt, in illisque nati sumus.

Porrò ex prædictis sex statibus duos duntaxat

considerabimus in præsenti dissertatione, statum naturæ puræ, et statum naturæ innocentis. Quod enim spectat ad status naturæ lapsæ et naturæ reparatæ, de illis agitur in omni ferè Tractatu; quod autem ad ipsos status naturæ integræ et naturæ lapsæ non reparandæ, nulla circa illos quæstio moveri potest, quæ non facilè resolvatur ex dicendis circa status naturæ puræ et naturæ innocentis.

## CAPUT PRIMUM.

### *De Statu naturæ puræ.*

CIRCA statum naturæ puræ duo quæri solent, 1.$^{um}$ utrùm existat, aut aliquandò exstiterit; 2.$^{um}$ utrùm saltem sit possibilis.

Quoad 1.$^{am}$ quæstionem, olìm docuerunt Pelagiani, hodièque docent Sociniani, genus humanum semper fuisse, et etiam nunc esse in statu naturæ puræ. Verùm, ex dicendis cap. sequenti, fide constat protoparentes, si non in ipso creationis instanti, saltem priusquàm peccarent, à Deo fuisse ad felicitatem supernaturalem ordinatos; et, ex dicendis in reliquo Tract., cùm ex hâc ordinatione per suum peccatum excidissent, eidem statìm, per Reparatoris promissionem, fuisse restitutos.

Quoad alteram quæstionem, utrùm status ille saltem sit possibilis, negant Lutherus, in c. 3 Gen.; Calvinus, lib. 1 Instit. cap. 15; Baius in suis suprà citatis, infràque citandis propositionibus; Jansenius, in tribus libris de Statu naturæ puræ; tandem Quesnellus, in variis pro-

positionibus, præsertìm 34 et 35. Adversùs illos sit

PROPOSITIO.

*Status naturæ puræ omni ex parte possibilis est.*

*Prob.* Status naturæ puræ, juxta ipsam definitionem, ille est in quo homo esset, 1.° sine peccato, 2.° sine gratiâ, 3.° cum concupiscentiâ, etiam contra spiritum insurgente, 4.° obnoxius morti cæterisque hujus vitæ miseriis: atqui homo creari potuit, 1.° sine, etc.

*Prob.* 1.ª *pars minoris,* hominem potuisse creari *sine peccato.* Quinimò repugnat ipsum fuisse creatum in peccato; aliàs enim Deus ipse verè et propriè foret auctor peccati.

*Prob.* 2.ª *pars,* hominem potuisse creari *sine gratiâ.* Et quidem

1.° *Ex definitionibus Ecclesiæ:* Probatum est in parte historicâ, Pii V, Gregorii XIII, et Urbani VIII contra Baium Constitutiones esse totidem irrefragabilia Ecclesiæ judicia: atqui Constitutionibus illis definitur hominem potuisse creari sine gratiâ. Illis enim damnatur hæc propositio, inter Baianas 21.ª: *Humanæ naturæ sublimatio et exaltatio in consortium divinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis; et proindè naturalis dicenda est, non supernaturalis.* Ad quam etiam revocantur propositiones 26.ª, 55.ª et 76.ª: atqui Ecclesia, damnando propositiones illas, id est, definiendo *humanæ naturæ sublimationem et exaltationem in consortium divinæ naturæ* non *debitam fuisse integritati primæ conditionis,* hoc ipso definivit eidem integritati indebitam fuisse gratiam; cùm gratia non alio fine detur, nec dari possit, quàm

ut *efficiamur divinæ consortes naturæ*, II Petri c. 1, ℣. 4. His adjunge Constitutionem Pii VI, *Auctorem fidei*, in quâ reprobatur Synodi Pistoiensis doctrina, propos. n. 16, *aliàs in Baio et Quesnellio damnata.*

2.° *Ex SS. PP.* S. August., lib. 12 de Civitate Dei, cap. 9, de Angelis sic loquitur : *Eos cum bonâ voluntate, id est, cum amore casto, quo illi adhærent, creavit* (Deus), *simul in eis et condens naturam, et largiens gratiam.* Cùm vox, *largiens,* meram sonet liberalitatem, nec in iis adhiberi possit quæ quomodocunquè debita sunt et naturalia, consequenter hìc significat Aug. gratiam Angelis in ipsâ creatione concessam, illis fuisse prorsùs indebitam : atqui non homini magis quàm Angelo debetur gratia, cùm humana natura non sit angelicâ perfectior, imò minùs sit perfecta; ergo, etc. D. Thomas, quæst. 4 de Malo, art. 1, asserit expressè *nullam creaturam in suis naturalibus posse pervenire ad visionem divinam*, atqui tamen, si, prout volunt Baius et Jansenius, homo non potuisset creari sine gratiâ, sicque ante lapsum ipsi gratia debita fuisset et naturalis, mera jam creatura *in suis naturalibus posset pervenire ad visionem divinam;* ergo, etc.

3.° *Ratione theologicâ,* ex eo quòd nimirùm sit contra gratiæ naturam, ipsam cuicunque creaturæ quocunque titulo debitam esse et naturalem. In tantùm enim illud non absolutè pugnaret cum essentiâ gratiæ, in quantùm, ut docet Jansenius, lib. 1 de Statu naturæ puræ, cap. ult., *gratiæ propriissimè dictæ* ratio solum excluderet personale debitum ex operibus proveniens, non naturale debitum ex naturæ exigentiâ procedens; atqui è contrà, cùm debitum naturæ strictius sit debito

personæ, ratio *gratiæ propriissimè dictæ* minùs adhuc cum priori, quàm cum posteriori debiti specie compati potest; ergo, etc.

*Prob.* 3.[a] *pars,* hominem à Deo potuisse creari *cùm concupiscentiâ* contra spiritum rebellante. Et quidem

1.° *Ex S. August.* Nam lib. 4 contra Julianum, cap. ult., de statu hominis innocentis hæc habet: *Gratia quippe magna ibi erat, ubi terrenum et animale corpus bestialem libidinem non habebat :* atqui in statu naturæ innocentis *magna* non *fuisset gratia, terrenum et animale corpus bestialem libidinem,* id est, pugnantem adversùs spiritum concupiscentiam *non habere,* si homini, vi creationis, talis concupiscentiæ debita fuisset immunitas; ergo, etc. Lib. autem 1 Retractationum, cap. 9, sic paucis contrahit et confirmat quæ contra Manichæos fusiùs disseruerat lib. 3 de libero Arbitrio, cap. 20 : *Etiamsi*, inquit, *ignorantia et difficultas* (id est, concupiscentia rebellans contra spiritum) *essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus, sed potiùs laudandus esset Deus, sicut in eodem libro* 3 (de libero Arbitrio) *disputavimus :* atqui tamen in prædicto casu *culpandus, non laudandus esset Deus,* si hominem creare debuisset immunem omni concupiscentiâ; ergo, etc. Illud idem repetit S. Doctor lib. de Dono perseverantiæ, cap. 11.

2.° *Ex D. Thomâ,* part. 1, quæst. 95, art. 1 : *Manifestum est, quòd illa subjectio corporis ad animam, et inferiorum virium ad rationem non erat naturalis : alioquin post peccatum mansisset; cùm etiam in dæmonibus data naturalia post peccatum permanserint* : atqui *subjectio corporis ad animam, et inferiorum virium ad rationem*

*rationem fuisset naturalis* homini innocenti, si Deus in nullâ hypothesi potuisset hominem creare cum concupiscentiâ contra rationem conspirante: ergo, etc.

3.° *Ex nativâ hominis conditione.* Homo, ratione corporis animalis, naturaliter appetit bona sensibilia; ratione verò animæ spiritalis, non minùs naturaliter appetit bona spiritalia. Cùm ergo bona sensibilia non semper consentiant cum spiritalibus, imò sæpiùs ipsis opponantur, homini quasi naturale est, ut intra seipsum experiatur pugnam appetitûs sensibilis adversùs appetitum spiritalem, id est, concupiscentiæ adversùs rationem.

*Prob. ultima pars*, hominem à Deo creari potuisse *morti cæterisque hujus vitæ miseriis obnoxium.* Cùm cæteræ vitæ præsentis miseriæ sint mortalitatis indivulsæ comites, et quasi totidem appendices, probâsse sufficiet hominem potuisse prodire mortalem è manu creatoris: atqui hominem à Deo condi potuisse mortalem, seu non esse suâpte naturâ immortalem, constat

1.° *Ex definitione Ecclesiæ,* quæ, in Constitutionibus SS. Pontificum Pii V, Gregorii XIII, et Urbani VIII, hanc damnavit propositionem, inter Baianas 75.^am^: *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis ejus conditio.* Accedit Constitutio Pii VI jam appellata, in quâ damnatur propositio Synodi Pistoiensis, n. 17. *Quatenùs insinuat mortem non fuisse naturalem conditionem hominis, quasi immortalitas non fuisset gratuitum beneficium, sed naturalis conditio.*

2.° *Ex SS. PP.* S. August., lib. de Genesi ad litteram, cap. 25, de Adamo innocente dicit,

*ipsum mortalem fuisse conditione corporis animalis, immortalem autem beneficio conditoris.* D. Thomas, 1.ae partis quæst. 97, art. 1, in corp., ait primum hominem non immortalem fuisse *per aliquem immortalitatis vigorem in eo existentem; sed... per vim quamdam supernaturaliter datam.*

3.° *Ratione.* Si enim ad integritatem humanæ naturæ pertineret immortalitas, hoc ipso quòd Deus corpus et animam univisset hypostaticè, non ampliùs posset duas illas substantias, nisi in peccati pœnam, ab invicem separare : atqui tamen, cùm Deus sit in omnibus suis operibus externis perfectè liber, eâdem libertate quâ duas illas substantias conjunxit, et illas, omni etiam secluso peccato, disjungere potest; ergo, etc.

*Solvuntur Objectiones.*

*Obj.* 1.° *adversus* 2.am *partem.* Sæpiùs, præsertim lib. 3 contra Julianum, Pelagianos ex eo reprehendit S. Aug. quòd dicerent infantes nasci sine peccato, et illos nihilominùs, si ante Baptismum morerentur, excluderent *à regno Dei* : atqui hanc Pelagianorum doctrinam, ut injustam non insequeretur S. Doctor, nisi crederet omnem hominem, vi suæ creationis, ad *regnum Dei* destinari, proindèque non posse creari sine gratiâ; ergo, etc.

*Resp. Dist. maj.* S. Aug. reprehendit Pelagianos, ex hypothesi statûs præsentis, *conc. maj.;* ex hypothesi cujuscunque statûs possibilis, *nego.* Itaque S. August. in locis objectis non loquitur de quolibet statu possibili, quasi mens ejus fuerit nullum esse statum possibilem, in quo homo moriens absque peccato *non admittatur in regnum*

*Dei.* Sed loquitur de solo statu præsenti, in quo omnes homines ad *regnum Dei* destinari fatebantur ipsi Pelagiani, dicentes, ipso teste Augustino, Serm. 294, *parvulum propterea baptizandum esse, ut intret in regnum Dei.* Porrò, si cum Catholicis in eo Pelagiani consenserint, quòd in actuali statu homo destinetur ad *regnum Dei,* summa fuit ipsorum contradictio simul et injustitia, quòd hinc vellent infantes nasci sine peccato, indè tamen eosdem sine Baptismo decedentes nollent *admittere in regnum Dei.*

*Obj.* 2.° S. Thomas, lib. 4 contra Gentes, affirmat creaturis intellectualibus inesse desiderium naturale intuendi creatorem; imò ipsas non quiescere, donec substantiam Dei videant : atqui non naturaliter appeterent visionem Dei intuitivam, nisi ad eam suâ ipsâ naturâ destinarentur; aliàs in ipsis admittendus esset appetitus naturalis simul et inutilis.

*Resp. Nego maj.* Nedùm in objecto loco dicat aut innuat D. Thomas creaturas intellectuales naturaliter appetere visionem Dei intuitivam, ibi è contrà supponit intuitivæ visionis appetitum iisdem creaturis non esse naturalem. Cùm enim non determinet expressè quæ sit hujus desiderii natura, an sit naturale, an supernaturale, illudque consideret tantummodò, prout *ex cognitione effectuum incitatur* (verba sunt S. Thomæ, ibid.); qualis sit in S. Doctoris mente desiderii illius natura, non aliundè judicare datur, quàm ex modo quo cognoscuntur effectus à Deo procedentes, quatenùs est objectum visionis intuitivæ, seu *auctor gloriæ :* si enim effectus illi cognoscantur naturaliter, eorum *cognitione incitatum* Dei intuitivè videndi desiderium erit naturale; et contrà

supernaturale, si non possint cognosci nisi supernaturaliter. Jam verò hoc essentiale discrimen est inter effectus productos à Deo ut *auctore naturæ,* qualia mundi visibilis phænomena, et effectus ab eodem productos ut *auctore gloriæ,* dona nempè supernaturalia, quòd priores naturaliter, posteriores verò nonnisi medio supernaturali, revelatione nimirùm, possimus cognoscere. Quod igitur ex posteriorum *cognitione effectuum incitatur* Dei, ut *auctoris gloriæ,* videndi desiderium, nobis quidem supernaturaliter, minimè verò naturaliter inesse potest.

Hinc Doctor angelicus in suis passim aliis operibus disertè tradit visionem Dei intuitivam in nullo statu homini esse posse debitam et naturalem : *Carentia divinæ visionis,* inquit, quæst. 4 de Malo, art. 1, immediatè ante verba inter probationes citata, *competeret ei qui in solis naturalibus esset, etiam absque peccato. Sic enim carentia divinæ visionis non est pœna, sed defectus consequens omnem naturam creatam.*

*Obj.* 3.° Non potuit homo creari, nisi cum vero amore Dei : atqui nullus est Dei verus amor, qui non sit supernaturalis; ergo impossibilis est status in quo homo non sit ad ordinem supernaturalem elevatus.

Prætereà homo naturâ suâ destinatur ad perfectam felicitatem, cùm eam appetat naturaliter : atqui non potest esse perfecta felicitas, citra visionem Dei intuitivam : *Satiabor,* inquit Psaltes, Ps. 16, ℣. 15, *cùm apparuerit gloria tua;* August. verò, 1 Conf. cap. 1 : *Fecisti nos ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te;* ergo homo creari non potuit absque gratiâ, ipsum ad visionem Dei intuitivam ordinante.

*Resp. ad* 1.^um 1.° Argumentum illud, quod ad nauseam obtrudunt Baius et Jansenius, contradictionem involvit manifestam. Si enim homo non possit creari, nisi cum amore Dei, ergò amor ille debetur hominis naturæ, nec proindè supernaturalis est; si verò idem amor sit supernaturalis, igitur hominis naturæ non debetur, proindèque sine illo potuit homo creari. 2.° *Nego min.* Sequenti dissertatione probabitur, etiam in præsenti statu, possibilem esse amorem Dei purè naturalem: atqui, si in præsenti statu possibilis sit amor Dei merè naturalis, quantò magis esse posset in statu naturæ puræ!

*Resp. ad* 2.^um *Nego min.* Fateor perfectæ felicitatis desiderium in ipsâ hominis naturâ fundari, adeòque hominem nullo in statu creari posse, quin ipsâ suâ creatione ad perfectam ordinis sui felicitatem destinetur. Sed nego perfectam illam felicitatem, in quocunque statu possibili, non aliundè manare posse quàm ex intuitivâ visione Dei. Reverà, cùm in præsenti statu homo gratuitâ Dei voluntate ad ipsius intuitivam visionem ordinetur, sine illâ perfectè beatus esse nequit: at, si non esset ad ordinem supernaturalem elevatus, nec nisi ad abstractivam, præsenti tamen perfectiorem, Dei visionem ordinatus, in illâ visione abstractivâ perfectam, id est, suæ conditioni suoque desiderio parem beatitudinem degustaret.

Igitur objecta Psaltis regii verba solum respiciunt statum præsentem, in quo homo, ad *auctorem gloriæ* intuitivè videndum destinatus, reipsâ non *satiabitur*, nisi *cùm apparuerit gloria* Dei. Verba autem Aug. de quolibet possibili statu possunt ac debent intelligi; quocunque enim in

statu nos creâsset Deus, non potuisset nos *facere* nisi ad seipsum, aut intuitivè, aut abstractivè possidendum; *et inquietum esset cor nostrum, donec* in ipsius alterutrâ possessione quiesceret.

*Inst.* 1.° Atqui in visione Dei intuitivâ non supernaturalis, sed merè naturalis hominis felicitas constituitur. Nam in eo constituitur hominis felicitas merè naturalis, in quo veram hominis felicitatem vel sola deprehendit ratio naturalis: atqui in visione intuitivâ sola etiam ratio, etc. Siquidem, Augustino teste, lib. 8 de Civit. Dei, cap. 8, Platonici veram hominis beatitudinem reponebant in fruitione Dei, ei simillimâ quâ luce fruitur oculus, id est, in visione Dei intuitivâ: porrò illud Platonicis sola dictitaverat ratio naturalis; ergo, etc.

*Resp.* 1.° Illa fruitio Dei in quâ, juxta August., hominis felicitatem ponebant Platonici, de merâ cognitione Dei abstractivâ intelligi potest; ita ut in eo instituerint paritatem inter unionem oculi cum luce, et animæ cum Deo, quòd, sicut lux primarium est oculi objectum, sine quo cætera non videret, sic et primarium animæ objectum Deus est, sine quo nil prorsùs cognosceret. 2.° Supponendo nonnullos ex illis Philosophis ipsam cognovisse visionem Dei intuitivam, non eam cognoverunt, solâ dictante ratione, sed prælucente divinâ revelatione, cujus, ex suo cum Judæi commercio, aliqualem cognitionem habuerint.

*Inst.* 2.° Saltem homo in statu naturæ puræ nunquàm assequi posset perfectam felicitatem, etiam purè naturalem. Nam in illo statu, juxta ipsius definitionem, homo foret concupiscentiæ,

ignorantiæ, peccato, morbis, morti cæterisque hujus vitæ miseriis obnoxius: atqui talis homo summè miser est, non summè felix; ergo, etc.

*Resp*. Homo quidem in statu naturæ puræ non posset esse perfectè beatus, quandiù in *viâ* foret, id est, vitæ suæ mortalis curriculum perageret: sed ubi, hoc peracto curriculo, pervenisset ad *terminum*, nihil impediret quin ipse, si laudabiliter vixisset, perfectâ beatitudine donaretur. Nam si, dùm viveret, legem naturalem, pro suis viribus naturalibus, fideliter observasset, ad hanc ejus remunerandam fidelitatem, ipsum Deus omnibus quibus hactenùs fuisset subjectus miseriis eximeret; eique, pro majori vel minori merito naturali, majorem vel minorem conferret mercedem naturalem, quâ tamen innatum ipsi perfectæ felicitatis desiderium impleretur.

*Obj*. 4.° *adversùs* 3.am *partem*, hominem non potuisse creari cum concupiscentiâ, et quidem ex Scripturis. 1.° I Joan. c. 2, ℣. 16, expressè dicitur concupiscentiam *non esse ex Patre, sed ex mundo*. 2.° Apost., Rom. c. 7, ℣. 16 et 17, sic loquitur: *Si autem quod nolo, illud facio... jam non ego operor illud, sed quod habitat in me, peccatum*. Apostolus hic concupiscentiam appellat *peccatum*: atqui, nemine diffitente, non potuit homo creari cum peccato; ergo, etc.

*Resp. ad* 1.um Capite sequenti probabitur Adamum à Deo fuisse conditum sine concupiscentiâ, quin et ipsam concupiscentiam nonnisi Adami peccato fuisse in mundum introductam. Ubi ergo dicit S. Joannes concupiscentiam *non esse ex Deo, sed ex mundo*, supponi potest ipsum loqui de solo præsenti statu naturæ lapsæ:

atqui ex eo quòd in præsenti statu naturæ lapsæ, non ex Deo, sed ex mundi principe diabolo proveniat concupiscentia, minimè sequitur illam in se, seclusoque libero consensu voluntatis, ita malam esse, ut in nullo statu possit ab ipso Deo provenire; ergo, etc.

*Resp. ad* 2.um Apostolus concupiscentiam *peccatum* appellat, non quòd in se, et ante liberum voluntatis consensum mala sit moraliter, sed quòd, ut modò dictum est, sit pœna peccati, et excitet ad peccandum. Hanc responsionem ipse subministrat Aug., lib. 1 de Nuptiis et Concupisc., cap. 23. Hinc Synodus Tridentina, Sess. 5, can. 5, sic definit: *Concupiscentiam, quam aliquandò Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat Ecclesiam Catholicam nunquàm intellexisse peccatum appellari, quòd verè et propriè in renatis peccatum sit; sed quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.*

*Obj.* 5.° S. Aug., lib. 3 contra Julianum, cap. 21, concupiscentiam, ab ipso etiam libero consensu sejunctam, quater *malum* appellat: atqui Deus nullâ in hypothesi hominem creare potuit cum propensione, quæ sit *malum* simpliciter; ergo, etc.

*Resp.* Concupiscentia in opere laudato dicitur quidem, ab ipso etiam seorsìm consensu, *malum*, sed *malum* naturale, quatenùs nimirùm, in præsenti statu, primigeniæ culpæ consectarium est et punitio, quod negabant Julianus aliique Pelagiani, dicentes Adamum cum eâdem concupiscentiâ, quâcum ipsi nascimur, è manu Creatoris prodiisse. Verùm minimè dicitur *ma-*

*lum* morale, quasi in se nudè, et ante liberum consensum voluntatis, sit peccatum. Nam, si crediderit S. Doctor concupiscentiam in se, et independenter à libero consensu voluntatis, esse *malum*, etiam *in genere moris*, cur ergo dicit, lib. 1 Retract. textu suprà laudato, *Etiamsi ignorantia et difficultas* (concupiscentia) *essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandum, sed potiùs laudandum esse Deum?* Cur, lib. 1 de Nuptiis, cap. 23, *Ipsam concupiscentiam non esse peccatum in regeneratis, quandò illi ad illicita opera non consentitur.* Ut ergo secum concilietur S. Doctor, necessariò dicendum est, ipsum, quoties ait concupiscentiam, etiam ante consensum voluntatis, esse *malum*, naturale *malum* intelligere, non morale. Jam verò minimè repugnat à Deo creari hominem cum propensione, quæ, etiam antequàm ei voluntas liberè consentiat, sit *malum* physicum et naturale; modò, vel nullatenùs, vel saltem nonnisi postquàm et quatenùs ei voluntas liberè consenserit, fiat *malum* morale et culpabile.

*Obj.* 6.° D. Thomas, 1.ª 2.æ, quæst. 82, art. 3, sic habet: *Concupiscentia... quatenùs limites rationis transgreditur, vitiosa est, et inest homini contra naturam:* atqui in nullo statu cum eo creari potest homo, quod sit *vitiosum*, ipsique *insit contra naturam;* ergo, juxta S. Thomam, homo non potuit à Deo creari cum concupiscentiâ, *non subjectâ imperio rationis.*

*Resp.* Nec nos ipsi dicimus hominem creari potuisse cum concupiscentiâ, non *subjectâ imperio rationis, quatenùs limites rationis transgrediatur.* Si enim ex unâ parte dicimus hominem à Deo creari potuisse cum concupiscentiâ

contra rationem rebellante, ex aliâ dicimus in hoc casu debuisse Deum homini dare media, saltem naturalia, quibus posset obluctanti concupiscentiæ resistere : atqui, quantumvìs contra rationem insurgat concupiscentia, dummodò præsto sint homini media quibus ei possit resistere, hoc ipso dicenda erit subjecta imperio rationis, saltem eo sensu, quòd limites rationis non transgrediatur; ergo, etc.

*Obj.* 7.° *adversùs ultimam partem*, hominem non potuisse à Deo creari morti, cæterisque hujus vitæ miseriis obnoxium. Etenim S. Aug., lib. 4 contra Julianum, cap. ult., post expositas miserias quibus in hâc vitâ cruciamur, ex illis concludit mala quæ in hâc vitâ mortali patimur, ita fluere ex originali delicto, ut, *nisi delicti originalis meritum præcessisset*, Deus esset vel injustitiæ vel impotentiæ accusandus; credit igitur S. Doctor hominem non potuisse creari miseriis quibus hodiè subjacet obnoxium.

*Resp.* Hìc probatum supponit August., quod alibi sæpiùs, v. g., lib. 1 de peccatorum Meritis cap. 2, et ipsius lib. 4 contra Julianum cap. 5, contra Pelagianos comprobavit, Adamum ab initio expertem fuisse malorum quæ deinceps expertus est, et ipsi nos ab ortu ad mortem experimur. Hinc autem Julianum urget, quasi diceret : Testantur Scripturæ protoparentes primùm à Deo factos fuisse immunes miseriarum quibus posteà subjecti sunt; et ipsi nos, illorum posteri, totâ hâc vitâ mortali subjicimur. Porrò, nisi peccâssent protoparentes, in eâdem semper mansissent immunitate, in eâque nasceremur omnes. Aliàs enim Deus accusandus foret, vel injustitiæ, qui hominem im-

merentem dato beneficio spoliàsset; vel impotentiæ, qui suum beneficium nequivisset reddere perpetuum. Quoties ergo S. Doctor originalis peccati existentiam probat ex præsentis vitæ miseriis, illas non spectat in seipsis absolutè, veluti foret contra Dei justitiam vel potentiam hominem creatum esse quibuscunque subjectum miseriis; sed comparatè ad statum felicitatis, in quo primus homo fuerat à Deo constitutus, et ex quo reverà illum excidisse testantur omnium populorum traditiones, ut probatum est in *Tract. de Religione*, Dissert. 1.ª, cap. 1, art. 2, § 2.

*Inst.* S. August., lib. 1 Operis imperfecti cap. 39, generatim pronuntiat *neminem sub Deo justo miserum esse posse, nisi mereatur* : atqui homo, in miseriâ creatus, miser foret, nec meruisset; ergo, etc.

*Resp.* Hæc Augustini sententia non est absoluta, sed relativa ad felicitatis statum, in quo Adamus aliquandiù versatus est. Idem est nimirùm ac si diceret : Impossibile est *sub Deo justo* hominem, qui ab initio factus est felix et beatus, posteà, si non peccaverit, factum esse miserum et infelicem. Nedùm enim dicere voluerit S. Doctor absolutè in omnique hypothesi repugnare, miserias ab aliâ causâ provenire quàm à peccato, contrà, lib. 3 de libero Arbitrio cap. 20, palàm agnoscit possibilitatem statûs, in quo *non esset ignorantia et difficultas supplicium peccati, sed proficiendi admonitio, et perfectionis exordium.*

Cæterùm, etiamsi S. Doctor, in duobus objectis locis, primordialem Adami felicitatem non supponeret, atque ex solis in se spectatis hujus vitæ miseriis originalis peccati probaret existen-

tiam, nondùm sequeretur, juxta ipsum, repugnare statum in quo creatus esset homo miseriis ipsique morti obnoxius. Plurimorum enim est hodiè Theologorum, ac proindè ipsius etiam Augustini potuit esse sententia, miserias in statu naturæ puræ fore quidem ejusdem speciei, sed non ejusdem acerbitatis ac in nostro præsenti statu. Porrò quicunque sentit, in præsenti statu miserias acerbiores esse quàm fuissent ac esse potuissent in statu naturæ puræ, ex actualibus miseriis concludere potest aliquod prævium peccatum exstitisse, quin ideò supponat hominem ab initio fuisse in statu felicitatis constitutum, vel etiam rejiciat possibilitatem statûs in quo homo conditus fuisset sine peccato, cum iisdem tamen, sin intensivè, saltem specificè, miseriis quibus nunc affligitur; ergo, etc.

SCHOLIUM.

Statum naturæ puræ *omni ex parte* possibilem esse non ita propugnamus, ut errore Baïano infectam esse velimus doctrinam quorumdam Theologorum qui contrarium opinantur. Videlicet, etsi illi Theologi, prælaudatis Ecclesiæ definitionibus firmiter inhærentes, doceant justitiam supernaturalem, immunitatem à morte et à quâcunque miseriâ non fuisse homini etiam innocenti debitam, proindèque statum naturæ puræ, *saltem ex parte*, possibilem esse, illæsis tamen Ecclesiæ judiciis negant possibilitatem ejusdem statûs, quoad *concupiscentiam* et *universas* præsentis vitæ miserias. Si enim ipsis opponas damnationem 15.ª Baii propositionis : *Deus non potuisset talem ab initio creare hominem, qualis nunc nascitur*, ut indè inferas : Ergo Deus po-

tuisset ab initio creare hominem obnoxium concupiscentiæ et universis miseriis, cum quibus nunc nascitur; reponent illi malè sic assignari suam damnatæ propositioni contradictoriam; quippè, inquiunt, exindè pariter concludendum esset, Deum potuisse hominem creare sive peccato infectum originali cum quo nunc nascitur, quod nemo dicere ausit, sive cum eodem concupiscentiæ excessu eàdemque aliarum miseriarum acerbitate, quibus obnoxius modò nascitur, quod tamen negant multi Doctores catholici. Igitur sic assignari volunt damnatæ propositioni contradictoriam : *Deus potuisset ab initio creare hominem* ex parte *talem, qualis nunc nascitur;* quæ reverà sufficit ad propositionem Baii refellendam. Sed de his plura apud Card. Norisium Vindic. August., cap. 3, § 2 et 3, et Estium in lib. 2, Sent., dist. 25.

Opinantur insuper illi Theologi statum naturæ puræ, quamvis possibilem de potentiâ Dei absolutâ, repugnare tamen *de congruo,* ut aiunt, seu attentâ illâ decentiâ quæ oritur ex attributis divinis, bonitate scilicet, sapientiâ, justitiâ, etc.

Hæc annotâsse juvabit theologiæ candidatos. Sic enim opiniones Theologorum à damnatis erroribus secernere discent, quod operæ pretium esse semper existimavimus.

## CAPUT II.

### *De Statu naturæ innocentis.*

Circa statum naturæ innocentis tria vulgò quæruntur : 1.um utrùm Adamus in statu innocentiæ

à Deo fuerit creatus; 2.um utrùm in alio statu creari potuerit; 3.um quale sit discrimen, quantùm ad gratiam, inter statum naturæ innocentis, et statum naturæ lapsæ. Secunda quæstio soluta manet ex capite præcedenti, in quo probatum est hominem à Deo creari potuisse in statu naturæ puræ. Restat igitur ut ad 1.um et 3.um respondeatur.

## ARTICULUS PRIMUS.

### *Utrùm Adamus creatus fuerit in statu naturæ innocentis.*

Negant Pelagiani, contendentes in eodem præcisè statu conditum esse Adamum, in quo volunt nos ipsos hodiè nasci, sine peccato nimirùm et sine gratiâ, concupiscentiæ tamen, morti, cæterisque præsentibus miseriis obnoxium. Pelagianis hâc in parte perfectè consentiunt Sociniani, contra quos omnes sit

### PROPOSITIO.

*De fide est Adamum,* si non in ipsâ creatione, *saltem ante lapsum, à Deo fuisse in statu innocentiæ constitutum.*

*Prob.* Status naturæ innocentis, seu justitiæ originalis, juxta datam definitionem, quatuor importat potissimùm : 1.um in intellectu scientiam, 2.um in voluntate gratiam sanctificantem, 3.um in appetitu inferiori omnimodam rationi subjectionem, 4.um in corpore immortalitatem : atqui de fide est Adamum, antequàm peccaret, à Deo fuisse quatuor prædictis donis exornatum.

1.° Quidem eâ omni donatus erat scientiâ, quæ felici ipsius conditioni congrueret. Eccli. enim

c. 17, ℣. 5 et 6, de protoparentibus hæc leguntur : *Disciplinâ intellectûs replevit illos; creavit illis scientiam spiritûs; sensu implevit cor illorum; et mala et bona ostendit illis.*

2.° A Deo receperat justitiam et sanctitatem; nam *fecit* Deus *hominem rectum,* ut dicitur Eccle. c. 7, ℣. 30 : atqui illa rectitudo fuit supernaturalis, tum quia Apostolus, Eph. c. 4, ℣. 24, eam comparat cum ipsâ justitiâ et sanctitate quæ per Christi merita acquiritur; tum quia S. Aug. locum illum Ecclesiastes de gratiâ sanctificante exponit, lib. de Corrept. et Grat., cap. 6, n. 9. Deindè Concil. Trid., Sess. 5, can. 1, sic definit: *Si quis non confitetur primum hominem Adam, cùm mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statìm sanctitatem et justitiam, in quâ constitutus fuerat, amisisse...; anathema sit.*

3.° Quandiù innocentes fuère protoparentes, in ipsis appetitus sensitivus perfectè subjectus erat rationi. *Placebant Deo,* inquit S. Aug. lib. 2 de Peccat. Meritis et Remiss. cap. 22, *et placebat illis Deus, et, quamvis corpus animale gestarent, nihil inobediens in illo adversùm se moveri sentiebant. Faciebat hoc quippe ordo justitiæ, ut, quia eorum anima famulum corpus à Deo acceperat, sicut ipsa eidem domino suo, ita illi corpus obediret.*

4.° Demùm Adamus, ante lapsum, morti non erat obnoxius. Sapient. c. 2, ℣. 23 et 24, sic legitur : *Deus creavit hominem inexterminabilem, et ad imaginem similitudinis suæ fecit illum. Invidiâ autem diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Et Rom. c. 5, ℣. 12 : *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors.* Hinc Concilium Milevita-

num II, an. 416, sic definit, can 1 : *Placuit ut quicunque dicit, Adam, primum hominem, mortalem factum, ita ut sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ; anathema sit.* Idem præcisè declarat Trid., Sess. 5, can. 1.

Dictum est autem in propositione, *si non in ipsâ creatione,* quia, licèt ex ipsis probationibus multò sit probabilius, non tamen de fide est, Adamum, in ipso præcisè creationis instanti, gratiam sanctificantem aliaque annexa dona recepisse. Et ideò Concilium Trident., mox adducto sessionis 5 can. 1, dicit Adamum à Deo fuisse in justitiâ *constitutum,* non verò in eâ fuisse *creatum* vel *conditum,* consultò abstinens à posterioribus istis vocibus, ne offenderentur nonnulli hujus ætatis Theologi, qui, teste Suaresio, lib. de Creatione hominis cap. 17, docebant hominem primùm conditum esse in rectitudine merè naturali, nec nisi paulò post fuisse ad supernaturalem sanctitatem elevatum.

Verùm illi ipsi Theologi inter creationem hominis, et ejus elevationem ad ordinem supernaturalem, tantillum ponunt temporis intervallum, ut in eorum ipsâ, quæ tamen est minùs probabilis, sententiâ, Adamus aliquatenùs dici possit creatus in sanctitate, et ejusdem justitia dicenda sit *justitia originalis.*

## ARTICULUS II.

*In quo status naturæ innocentis, quoad Gratiam, differat à statu naturæ lapsæ.*

Jansenius, lib. de Gratiâ primi hominis et Angelorum, et lib. 2 de Gratiâ Christi Salvat.,

post Lutherum et Calvinum, in eo statum naturæ innocentis à statu naturæ lapsæ, quantùm ad gratiam, discriminat, quòd in priori statu gratia libero arbitrio sic esset attemperata, ut homo innocens ei pro nutu posset obtemperare vel resistere; in posteriori verò tantam nostræ voluntati vim inferat, ut illi nullomodò possimus dissentire. Addit hoc ipsum esse discrimen quod inter utriusque statûs gratiam passim assignat Augustinus, præsertim lib. de Corrept. et Grat., cap. 11 et 12, ubi S. Doctor gratiam Adamo innocenti concessam, seu gratiam sanitatis, appellat *adjutorium sine quo*; gratiam autem homini lapso datam, seu gratiam medicinalem, *adjutorium quo*. Quinimò, si fides Jansenio, citati lib. de Gratià primi hominis et Ang. cap. 17, prædicta utriusque *adjutorii* differentia *est vera clavis, quâ aditus in scripta ejus* ( Augustini ) *aperiendus est, et sine quâ qui ea molitur ingredi, velut cæcus palpabit in meridie, ac tot tantisque difficultatibus implicabitur, ut quasi monstris occurrentibus territus, Augustinum tanquam perplexitatibus, imò, ut quidam ausi sunt dicere, mille erroribus refertum aversabitur.* Hic Yprensis error funditùs subvertetur ultimâ dissert., ubi ex professo monstrabitur, in præsenti statu nullam esse gratiam, quantumvìs efficacem, cui non possit humana voluntas consensum denegare.

Quamvis autem circa quæstionem præsentem à Jansenio recedant Catholici, non una tamen ipsorum est hàc de re sententia.

Alii statùs utriusque discrimen in eo constituunt, quòd Adamus innocens, ad bonum agendum aut in eo perseverandum, solâ indiguerit

gratiâ habituali, quam in ipsâ creatione aut statìm à creatione receperat, homo verò lapsus aliquâ generatim indigeat præveniente gratiâ actuali.

Alii, prædictis è diametro oppositi, contendunt gratiam actualem ipsius etiam voluntatis non minùs Adamo innocenti, quàm Adamo lapso fuisse necessariam ad bonum agendum, vel in eo perseverandum; omnemque in eo stare differentiam, quòd in præsenti statu abundantior sit et potentior.

Alii demùm, inter præcedentes medii, contra priores docent aliquam generatìm gratiam actualem, in ipso etiam innocentiæ statu, absolutè fuisse necessariam; sive ut bonum ageretur, sive ut in illo perseveraretur; sed contra posteriores asserunt istam gratiam, in præsenti quidem statu naturæ lapsæ, ad ipsam etiam pertinere voluntatem, in statu verò naturæ innocentis, ad solum pertinuisse intellectum.

# DISSERTATIO SECUNDA.

## DE NECESSITATE GRATIÆ IN GENERE.

Dicendum 1.° de necessitate gratiæ ad verum cognoscendum; 2.° de ejusdem necessitate ad bonum operandum.

## CAPUT PRIMUM.

### *De Necessitate Gratiæ ad verum cognoscendum.*

Veritates duplicis speciei sunt distinguendæ, naturales scilicet et supernaturales. Utriusque

autem speciei veritates sunt speculativæ, vel practicæ.

Certum videtur 1.° hominem lapsum posse sine gratiâ quasdam veritates naturales, etiam practicas, cognoscere. Hominis enim intellectus non fuit peccato penitùs exstinctus : atqui tamen peccato fuisset velut exstinctus, si nullas ordinis naturalis veritates, etiam practicas, absque gratiâ certò posset attingere; ergo, etc.

Hinc 1. Apostolus, Rom. c. 1, ℣. 20, declarat Philosophos gentiles à notitiâ rerum sensibilium ad Dei cognitionem devenisse. Hinc 2. S. Aug., Enarratione in Psal. 57 : *Manu,* inquit, *formatoris nostri veritas scripsit : Quod tibi non vis fieri, ne facias alteri.*

Certum est 2.° hominem lapsum multò pauciores veritates naturales, quàm hominem innocentem, solis naturæ viribus posse cognoscere. Quamvis enim, ut modò dictum est, hominis intellectus peccato non fuerit penitùs exstinctus, illo tamen quàm maximè fuit obscuratus et attenuatus.

Igitur quæstio movetur de veritatibus supernaturalibus, quæ sunt objectum fidei; idque solùm venit inquirendum, utrùm, absque quolibet gratiæ interioris adjutorio, fides haberi possit, aut saltem fidei initium. Affirmârunt quidem Semipelagiani, ut vidimus in parte historicâ; sed adversùs illos constanter negavit Ecclesia Catholica, cum quâ sit

PROPOSITIO.

*Homo, sine gratiæ interioris auxilio, ne fidei quidem initium habere potest.*

*Prob.* 1.° *ex Script.* I Cor. c. 4, ℣. 7, sic ait

Apostolus: *Quis te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Atqui homo seipsum *discerneret* in ordine ad salutem, et aliquid in eodem ordine haberet quod à Deo non accepisset, ex quo proindè posset gloriari *quasi non accepisset,* si ex solis naturæ viribus, et absque gratiâ interiùs præveniente, fidem haberet aut etiam fidei initium; ergo, etc. Et rursùs, II Cor. c. 3, ℣. 5: *Non sufficientes sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est:* atqui tamen nobismetipsis sufficeremus ad aliquid salutariter cogitandum, si ex nobis ipsis, et sine gratiæ interioris auxilio, fidem aut fidei initium haberemus. Quis enim dixerit fidem, etiam merè inchoatam, non esse cogitationem salutiferam?

*Prob.* 2.° *ex Conciliis.* Concilium Arausicanum II, can. 5, sic definivit: *Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsumque credulitatis affectum, quo in eum credimus qui justificat impium, non per gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritûs Sancti... sed naturaliter nobis inesse dicit, apostolicis dogmatibus adversarius approbatur.* Tridentinum verò, Sess. 6, can. 3: *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritûs Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur; anathema sit.*

*Prob.* 3.° *ex SS. PP.* S. Aug., lib. de Prædest. SS. cap. 2, postquàm retulit mox citata Apostoli verba, *Non sufficientes sumus, etc.,* ex illis ita premit Massilienses: *Sicut nemo sibi sufficit ad incipiendum vel perficiendum quod-*

*cunque opus bonum... undè in omni opere bono et incipiendo et perficiendo sufficientia nostra ex Deo est : ita nemo sibi sufficit vel ad incipiendam, vel ad perficiendam fidem : sed sufficientia nostra ex Deo est.*

*Prob.* 4.° Capite sequenti probabimus, ipsique fatentur Semipelagiani, nullum opus salutiferum absque gratiâ interiori perfici posse, vel etiam inchoari : porrò, quidquid dixerint iidem Semipelagiani, fides et fidei initium, in suo genere, sunt opus salutiferum operisque salutiferi initium; nec videtur cur ipsa fides, potiùs quàm aliud quodlibet salutiferum opus, ex solis naturæ viribus exordium habere possit, vel incrementum; ergo, etc.

### *Solvuntur Objectiones.*

*Obj.* 1.° S. Aug. in Exposit. Epist. ad Rom. hæc scribit : *Quod credimus nostrum est : quod autem bonum subsequens operamur, illius est qui credentibus dat Spiritum Sanctum;* ergo, juxta S. Doctorem, sic ex nobis ipsis et absque gratiâ credere possumus, ut per nostram fidem Spiritum Sanctum recipere mereamur.

*Resp.* Sic quidem sensit Aug., quandiù fuit Semipelagianus : sed illam posteà cum Semipelagianismo abjecit sententiam, ipsaque mox objecta verba sic revocat, lib. 1 Retract., cap. 23 : *Profectò non dicerem, si jam scirem etiam ipsam fidem inter Dei munera reperiri, quæ dantur in eodem spiritu. Utrumque ergo nostrum est propter arbitrium voluntatis; et utrumque tamen datum est per spiritum fidei et charitatis.*

*Obj.* 2.° Sit homo convictus de veritate Chris-

tianæ Religionis per sola præcisè externa credibilitatis motiva, v. g., per miracula: negari non potest suppositio, cùm, ad invictè probandam Christianæ Religionis veritatem, sola profectò miracula sufficiant: atqui prædictus homo fidem habet supernaturalem, nec ullâ tamen interiori gratiâ præventus supponitur; ergo, etc.

*Resp. Nego min.* Quantumvìs homo per externa credibilitatis motiva de Christi ejusque Religionis divinitate convictus supponatur, hæc ipsius convictio, si ex solis exterioribus motivis, non autem ex ipsâ etiam interiori gratiâ proveniat, non erit fides supernaturalis, de quâ agitur in nostrâ propositione. Agitur enim de fide salutiferâ, quæ nimirùm ad hominis justificationem concurrat; quâ *credatur,* inquit Trident., *sicut oportet ut gratia justificationis conferatur;* quâ *homo,* ait S. Thomas, 2.$^{\hat{a}}$ 2.$^{æ}$, quæst. 6, art. 10, *elevetur supra naturam suam:* atqui non quidem humanæ rationis, sed revelationis et Traditionis auctoritate constat, nemini *gratiam justificationis conferri,* neminem *elevari supra naturam suam,* nisi per fidem, cujus non modò motivum exterius, sed et principium interius sit supernaturale; quæ scilicet, ut dicit ibidem S. Thomas, *insit ex supernaturali principio interiùs movente,* seu, ut habent mox laudata Concilia Araus. et Trid., *ex præveniente inspiratione Spiritûs Sancti.*

*Nota.* Cætera quæ hìc objici possent, capite sequenti proponentur et solventur, ubi de Necessitate gratiæ ad quodlibet opus supernaturale, vel etiam inchoandum.

### COROLLARIUM.

*Ergo Fides non est prima gratia.*

Initium quippè fidei, seu pius ille affectus quo voluntas gratiâ Dei prævenitur, et ad credendum inclinatur, non est ipsa fides.

Hinc 1.° meritò proscriptæ sunt à Clemente XI in Constitutione *Unigenitus*, propositiones Quesnelli, n. 26 : *Nullæ dantur gratiæ nisi per fidem;* et n. 27 : *Fides est prima gratia.*

Hinc 2.° Synodi Pistoiensis «propositio, n. 22, » quæ innuit fidem, *à quâ incipit series gratia- » rum, et per quam velut primam vocem vo- » camur ad salutem et Ecclesiam,* esse ipsam- » met excellentem virtutem fidei, quâ homines » fideles nominantur et sunt; perindè ac prior » non esset gratia illa quæ *ut prævenit volun- » tatem, sic prævenit et fidem,* ex S. Aug. de » Dono perseverantiæ, cap. 16; » hæc, inquam, propositio reprobatur à Pio VI in prælaudatâ Constitutione tanquam « suspecta de hæresi, » eamque sapiens, aliàs in Quesnellio damnata, » erronea. »

## CAPUT II.

### *De Necessitate Gratiæ ad bonum operandum.*

Bonum morale, ut et verum, duplicis speciei distinguitur, naturale, quod ad naturalem; et supernaturale, quod ad supernaturalem finem dirigitur. De illâ duplici boni moralis specie duplici disseremus articulo.

## ARTICULUS UNICUS.

### *De Gratiæ Necessitate ad bonum ordinis naturalis operandum.*

Quæritur 1.° utrùm aliquod, 2.° quale bonum ordinis naturalis sine gratiâ sit possibile.

### § I.

### *Utrùm aliquod bonum ordinis naturalis sine Gratiâ sit possibile.*

Hìc duo veniunt inquirenda, 1.um utrùm sine gratiâ fidei, 2.um utrùm sine ullâ prorsùs gratiâ fieri possit bonum naturale.

#### I.

*An homini lapso Fides sit absolutè necessaria ad quodlibet agendum bonum opus ordinis naturalis.*

In quolibet opere morali duo sunt, ex Augustino, sedulò secernenda, officium et finis. *Officium*, inquit S. Doctor, lib. 4 contra Julianum, cap. 3, *est quod faciendum est* (seu ipsa est operis substantia); *finis verò, propter quod faciendum est.* Moralis autem operis bonitas non ex officio tantùm, sed etiam ac præsertìm ex fine metienda: *Non officiis*, ait ibidem Aug., *sed finibus à vitiis discernendæ sunt virtutes.* Finis autem in omni opere morali duplex, finis operis, et finis operantis.

Finis operis est ille ad quem opus naturâ suâ refertur. Sic in eleemosynâ finis operis est egeni sublevatio, quia eleemosyna suâpte naturâ destinatur ad egenum sublevandum. Finis autem operantis

operantis est ille quem agens in suo opere sibi proponit. Agens enim alium sibi, quàm ipsius operis finem proponere potest. Aliquis, v. g., potest dare eleemosynam ad gloriam sibi apud homines comparandam. Hinc opus bonum quoad finem operis, malum esse potest quoad finem operantis. Porrò hìc controvertitur de opere quod non ex officio tantùm et fine operis, sed etiam ex fine operantis bonum sit et laudabile. Nam sine fide, quinimò sine gratiâ fieri posse opus ex officio et fine operis bonum nemo diffitetur.

Circa quæstionem autem sic propositam erraverunt, 1.° Lutherus et Calvinus, qui docent quælibet, non infidelium modò, sed et peccatorum, imò justorum opera totidem esse peccata, cum hoc uno discrimine, quòd infidelibus quidem et peccatoribus, non autem justis à Deo in peccatum imputentur. 2.° Baius, præsertìm propositione inter damnatas 25.ª, quæ statìm referetur. 3.° Jansenius, qui, lib. de Statu naturæ lapsæ, cap. 20, hæc habet : *Verum est quòd tanquam verissimum Augustinus docet, non posse esse opus bonum, nisi ipsa justitia cœlesti charitate diligatur, et ad Deum ipsum velut ultimum finem referatur ; quorum neutrum sine gratiâ et fide perfici potest.* Adversùs illos, sit

PROPOSITIO.

*Homo lapsus sine Fide, imò sine ullâ veri Dei cognitione, bonum aliquod naturale potest operari ; proindèque non omnes Infidelium actiones sunt peccata.*

*Prob.* 1.° *ex Apostolo.* Hæc enim scribit Rom. c. 2, ℣. 14 et 15 : *Cùm gentes, quæ legem non*

*habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex; qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientiâ ipsorum.*

Juxta Apostolum, *gentes quæ legem* mosaicam *non habent,* nihilominùs bonum naturale sæpiùs operantur; quoties nempè *naturaliter ea quæ legis sunt faciunt* : atqui Apostolus per gentes legem Moysis non habentes, hìc Ethnicos designat et infideles. Vel enim ipsos intelligit Ethnicos et infideles; vel, ut volunt Baius et Jansenius, Gentiles recèns ad Christum conversos : atqui dici nequit posterius. Loquitur enim Apostolus de Gentilibus, qui *ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientiâ ipsorum;* porrò nemo dixerit Gentiles jam conversos ad Christum, ipsiusque legi acquisitos, *sibi esse legem*, non *ostendere opus legis scriptum*, nisi *in cordibus suis; testimoniumque reddere illis* solam *conscientiam ipsorum;* ergo, etc.

*Prob.* 2.° *ex Summis Pontificibus,* Pio V, Gregorio XIII, et Urbano VIII, qui propositiones Baii suis damnârunt Constitutionibus, inter quas hæc legitur 22.ª : *Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Rom.* c. 2, « *Gentes quæ legem non habent,* etc. », *intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus.* Ex hujus propositionis damnatione sequitur, cum Catholicis *sentire, qui textum Apostoli ad Rom.* c. 2, « *Gentes quæ legem non habent*, etc. », *intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus.* Porrò quicunque prædictum textum sic intelligunt, hoc ipso sentiunt sine fide fieri posse bonum opus

ordinis naturalis. Item damnata est prop. 25.ª, quæ sic habet : *Omnia Infidelium opera sunt peccata, et Philosophorum virtutes sunt vitia.* Propositionis hujus contradictoria est ipsa nostræ propositionis definitio.

*Prob.* 3.° *ex SS. PP.* S. Hieronymus, in c. 1 Epist. ad Galatas, sic loquitur : *Multi absque fide et Evangelio Christi, vel sapienter faciunt aliqua, vel sanctè, ut parentibus obsequantur, ut inopi manum porrigant, non opprimant vicinos, non aliena diripiant.*

S. Aug., Serm. 349 aliàs 52 de Tempore : *Charitas,* inquit, *alia est divina, alia est humana : alia est humana licita, alia illicita... non solùm ita licita est ut concedatur, sed ita licita ut, si defuerit, reprehendatur... Sed videtis istam charitatem esse posse et impiorum, id est, Paganorum, Judæorum, Hæreticorum.* Agnoscit igitur S. Doctor dari charitatem merè *humanam,* quæ non modò licita sit, sed et imperata, proindèque bona moraliter : atqui tamen pronuntiat in ipsis etiam *Judæis* ac *Paganis,* id est, hominibus verâ fide destitutis, talem esse posse charitatem ; ergo, etc. Consentit S. Thomas, 2.â 2.æ, quæst. 10, art. 4, ubi ex professo probat omnes actiones infidelium non esse peccata.

*Prob.* ultimò *Ratione theologicâ.* Ipsi docent adversarii opus sine fide factum, tum ex officio, tum ex fine proximo posse esse bonum ; hocque sub uno respectu essentialiter esse malum, quòd nunquàm possit ad Deum referri tanquam finem ultimum : atqui non est impossibile sine fide factum opus, imò sine veri Dei cognitione, ad verum tamen Deum, tanquam finem ultimum, ordinari. Ut enim opus absque veri Dei cognitione

ſactum, nihilominùs ad verum Deum ultimatìm debitoque modo referatur, hæc duo sufficiunt: 1.$^{um}$ non exigere Deum ut actio quælibet explicitè et formaliter, sed tantùm ut implicitè et virtualiter ad seipsum referatur; 2.$^{um}$ actionem absque veri Dei cognitione factam, ad ipsum nihilominùs isto posteriori modo tendere posse ac dirigi: atqui utrumque constat.

1.° Quidem Deus non exigit quamlibet actionem ad seipsum referri formaliter et explicitè. Audiatur Bellarminus, id invictè probans, lib. 5 de Gratiâ et lib. Arbit., cap. 9: *Non est necesse,* inquit eminentissimus auctor, *omnia referre in Deum explicitè, sed satis est si opus referatur in bonum finem proximum. Tunc enim per se dirigetur in Deum, ut in ultimum finem. Sicut enim omne agens particulare agit in virtute primi motoris, id est, Dei; sic etiam omnis bonus finis movet in virtute ultimi finis: alioquin non solùm infideles, sed etiam fideles et justissimi quique semper peccarent, cùm inter operandum de Deo non cogitant, sed operantur quia ratio dictat esse bonum et faciendum.*

2.° Actio facta etiam sine veri Dei cognitione, nihilominùs ad ipsum implicitè referri potest et virtualiter. Quidquid enim dicant adversarii, supponi potest homo infidelis, omnique veri Dei cognitione destitutus, qui in erogandâ eleemosynâ sincerè velit inopis sublevare miseriam, nec cogitet quidem de quovis inhonesto fine, vanâ gloriâ, v. g., sibi per suam actionem comparandâ: atqui, quantùmvis actio talis ab omni sit veri Dei cognitione separata, cùm tamen objectum ejus sit bonum, cùm fiat ex optimo fine proximo, nulloque sit perverso motivo vi-

tiata, non aliundè dimanare potest, quàm ex omnis boni principio, Deo nimirùm; in ipsumque, tanquam supremum omnis boni finem, innato quasi pondere, virtualique agentis intentione relabitur; ergo, etc.

*Solvuntur Objectiones.*

*Obj.* 1.° *adversùs* 1.am *prob.* petitam ex Epist. ad Rom. c. 2, *Cùm gentes quæ legem, etc.* S. Augustinus, lib. de Spiritu et Litterâ, cap. 27; S. Prosper contra *Collatorem,* cap. 22; et S. Fulgentius, lib. de Incarn. et Gratiâ, cap. 25, hunc Apostoli textum interpretantur de gentibus ad fidem Christi recèns conversis: atqui, hâc suppositâ textûs Apostoli interpretatione, nulla potest ex eo deduci probatio; ergo, etc.

*Resp.* 1.° S. Chrysost., Theodoretus, Theophylactus, OEcumenius, Ambros., Hieron. aliique PP. tum Græci, tum Latini, prædictum Apostoli locum exponunt de gentibus quæ Christum non noverint. Ad instar cæterorum, audiatur Hieron. in c. 29 Ezechielis: *Perspicuum est,* inquit, *condemnari nos comparatione Gentilium, si illi lege faciant naturali, quæ nos etiam scriptâ negligimus, de quo plenissimè Paulus ad Romanos disputat.*

2.° Ubi S. August. ejusque discipuli, Prosper et Fulgentius, Apostolum intelligunt de gentibus fide christianâ jam imbutis, non absolutè loquuntur et juxta propriam sententiam, quasi putent Apostoli textum esse reipsâ ad gentes fidei lumine collustratas referendum: sed hypotheticè loquuntur, et appositè ad mentem Pelagianorum, contra quos disputant. Cùm enim dicerent Pelagiani gentes, de quibus Apostolus, non ali-

qua tantùm, sed universa mandata legis naturalis implevisse; reponunt objecti PP. Apostolum, in hâc Pelagianâ suppositione, non esse de omnibus indistinctìm, sed de solis illis gentibus intelligendum, quibus Evangelii lumen affulserit. Nedùm verò crediderint laudatum Apostoli textum, si in se spectetur et absolutè, non accipiendum esse de gentibus quæ sine fide nonnulla legis naturalis præcepta servaverint; illum è contrà de his ipsis gentibus accipit Augustinus, et in ipso quidem objecto capite. Sic enim loquitur: *Qui naturaliter quæ legis sunt faciunt, nondùm sunt habendi in numero eorum quos Christi justificat gratia; sed in eorum potiùs, quorum etiam impiorum, nec Deum verum veraciter justèque colentium, quædam tamen facta vel legimus, vel novimus, vel audimus, quæ secundùm justitiæ regulam, non solùm vituperare non possumus, verùm etiam meritò rectèque laudamus: quanquam, si discutiantur quo fine fiant, vix inveniuntur quæ justitiæ debitam laudem defensionemque mereantur.* Fatetur igitur Augustinus textum Apostoli, *Gentes.... naturaliter quæ legis sunt faciunt*, meliùs accipi de *impiis*, qui, licèt *nec Deum verum veraciter justèque colant*, nihilominùs quandoquè faciunt opera, *quæ, non solùm vituperare non possumus, verùm etiam meritò rectèque laudamus*; quippe *quæ justitiæ debitam laudem defensionemque mereantur.*

*Obj.* 2.° *contra* 2.am *probationem*, desumptam ex Constitutionibus Sum. Pontificum: Supponere licet duas allatas Baii propositiones à Sum. Pontificibus fuisse damnatas, non propter substantiam doctrinæ quam continent, sed prop-

ter acerbiorem censuram, quâ notant doctrinam oppositam : atqui hoc ipso nulla est ex earum damnatione deducta probatio ; ergo, etc.

*Resp.* 1.° Ex duabus adductis Baii propositionibus sola prior, *Cum Pelagio sentiunt, etc.* non verò posterior, *Omnia infidelium opera, etc.*, notam affingit doctrinæ oppositæ. Hæc ergo saltem posterior propositio, quoad doctrinæ substantiam, damnata dici debet; ex ejusque proindè damnatione directè probata manet nostra propositio.

2.° Etiamsi prior ex illis propositionibus, *Cum Pelagio sentiunt, etc.*, censuram affingat contrariæ sententiæ, hancque propter censuram damnata dici possit, omnes nihilominùs in ipsâ damnantur Baii fautores et asseclæ. Hujus enim propositionis damnatione perstringuntur, quotquot dixerint, *cum Pelagio sentire, qui textum Apostoli ad Rom.* c. 2, « *Gentes quæ legem* » *non habent*, etc. », *intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus* : atqui nullum reperias Baii sectatorem, qui istam textûs expositionem non explodat, tanquam à Pelagianis confictam, ab omnibusque Patribus, Augustino præsertim, reprobatam ; ergo, etc.

Hoc autem semel dictum sit pro aliis similibus, in decursu proferendis, Baii propositionibus. *Modales* enim hujusmodi propositiones, sin quoad ipsam substantiam doctrinæ quam continent, saltem quoad modum quo notant doctrinam oppositam, proscribuntur ; idque unum ( quod nobis semper maximi momenti videtur ) ex earum damnatione colligere volumus, sententias quas perstringunt esse omninò catholicas.

*Obj.* 3.° *adversùs* 3.am *probationem*, depromptam ex SS. PP. : Supponi potest infidelium opera, de quibus loquuntur PP., ab ipsis non laudari, nisi tanquam bona ex officio et fine operis : atqui tamen ad probationem oporteret ab illis hæc opera laudari, præsertìm tanquam bona ex fine operantis; ergo, etc.

*Resp. Nego maj.* Quantumvìs opus aliquod bonum sit ex officio et fine operis, si ipse finis operantis malus sit et perversus, totum opus malum erit; non laudem merebitur sed vituperium, non mercedem sed pœnam : *Non officiis*, inquit August. verbis superiùs allatis, *sed finibus à vitiis discernendæ sunt virtutes.*

Præthereà, idem S. Doctor, citato cap. 27 lib. de Spiritu et Litterâ, disertè pronuntiat infideles in suis quibusdam operibus sibi posse finem proponere quem approbent, imò præscribant justitia et ratio : *Quanquam*, inquit, *si discutiantur quo fine fiant* (infidelium opera), *vix inveniuntur quæ justitiæ debitam laudem defensionemque mereantur.* Quod enim *vix invenitur,* verè tamen interdùm *invenitur.*

*Obj.* 4.° *contra rationem theologicam :* In eo tota fundatur ratio theologica, quòd nonnullæ infidelium actiones ad verum Deum, implicitè saltem, referri possint, si nimirùm sint ex officio bonæ, nec aliundè fiant nisi ex bono fine proximo, quia, v. g., rectâ ratione præscribuntur : atqui impossibile est, imò contradictorium, qualemcunque pagani actionem ad verum Deum, tanquam finem ultimum, vel implicitè, ordinari. Paganus enim, hoc ipso quòd paganus supponitur, explicitè, vel saltem implicitè, intendit omnes suas actiones facere propter suum idolum;

ergo reipsâ omnes ejus actiones explicitè aut implicitè ad idolum referuntur, nullaque proindè ex ipsis, vel etiam implicitè, ad verum Deum referri potest.

*Resp.* In omni pagano quasi duplex intentio sedulò distinguenda: prima generalis et indeterminata, quâ suas omnes actiones referre intendit ad verum Deum, quicunque et ubicunquè sit; altera specialis et determinata, quâ intendit easdem actiones referre ad idolum, quod falsò credit esse verum Deum. Porrò, si paganus opus faciat, tum ex officio, tum ex fine proximo bonum, nec illud faciendo suum ad idolum attendat, cùm talis actio naturâ suâ sit ad verum Deum, non ad idolum referibilis, reipsâ virtute prioris intentionis ad verum Deum, non autem vi posterioris ad idolum, vel etiam implicitè, referetur. Nam, vice versâ, quantumlibet fidelis se cunctaque sua ad verum Deum intendat referre, si patret actionem vel minimùm deordinatam, hæc actio ne virtualiter quidem ad verum Deum referetur, quia nempè naturâ suâ non est ad verum Deum referibilis: *Sicut habens fidem*, inquit S. Thomas, 2.ª 2.æ, quæst. 10, art. 4, *potest aliquod peccatum committere in actu quem non refert ad fidei finem, vel venialiter, vel etiam mortaliter peccando: ita etiam infidelis potest aliquandò actum bonum facere in eo quod non refert ad finem infidelitatis.*

*Obj.* 5.° *ex Script.* 1. Apost., Rom. c. 14, ℣. 23: *Omne*, ait, *quod non est ex fide, peccatum est:* atqui nullum infidelis opus esse potest *ex fide;* ergo, etc. 2. Tit. c. 1, ℣. 15, sic habet: *Omnia munda mundis: coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum.* Igitur

infideles nihil rectum et honestum possunt operari. 3. Hebr. c. 11, ℣. 6: *Sine fide impossibile est placere Deo:* atqui *sine fide* Deo placeret, qui *sine fide* bonum, etiam naturale, perficeret; ergo, etc.

*Resp. ad* 1.um 1.° Apostolus per fidem hìc non intelligit fidem propriè dictam, quæ sit virtus theologica, sed illam conscientiæ fidem seu fiduciam quâ quis persuasum habet id quod facit non esse malum. Agit enim Apostolus de quibusdam Judæis recèns ad Christum conversis, qui falsò putabant sese, quantùm ad ciborum delectum, semper esse legi mosaicæ mancipatos. De illis autem sic habet: *Qui autem discernit, si manducaverit, damnatus est: quia non ex fide. Omne autem quod non est ex fide, peccatum est.* Quasi diceret: Si quis discernens inter cibos et cibos, nonnullosque immundos perperàm existimans, ex iis nihilominùs comederit, non secùs *damnatus est,* ac si reipsâ forent adhuc immundi, *quia non est ex fide,* id est, quia facit quod ipsi conscientia dictitat non esse faciendum; *omne autem quod non est ex fide,* id est, quidquid fit, non approbante, sed reclamante conscientiâ, *peccatum est.* Ita locum hunc interpretati sunt SS. Ambrosius et Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, et Patres Concilii Lateranensis IV, generalis.

2.° Etsi locus ille de fide propriè dictâ seu theologicâ intelligeretur, ut videtur quandoquè fuisse ab Aug. intellectum, non ex eo major promeretur difficultas. Nam peccatum quidem est, quidquid hoc sensu *non est ex fide,* quòd sit contra fidem; ut si paganus in Jovis honorem aut ex superbiâ det eleemosynam. Sed nedùm peccatum sit, quidquid hoc solo sensu *non est ex*

*fide,* quòd ex fidei motivo non fiat, è contrà bonum erit naturale, si saltem fiat ex motivo naturaliter laudabili; putà, si paganus eroget eleemosynam, non de alio motivo cogitans, quàm de sublevandâ pauperis miseriâ. Porrò quis probabit unquàm, non ad solum priorem, sed et ad posteriorem sensum Augustinum respexisse, quandò textum Apost., *Quod non est ex fide, peccatum est,* de fide propriè dictâ intellexit?

*Resp ad* 2.um 1.° Longè plerique, sive Græci sive Latini interpretes istum ut et præcedentem Apostoli textum non accipiunt de propriè dictis infidelibus, sed de Judæis quibusdam recèns ad Christum conversis, quos ideò dicit Apostolus *coinquinatos* et *infideles*, quòd, *intendentes judaicis fabulis*, mundum inter et immundum distinguerent. Hic est ergo genuinus illius loci sensus: *Omnia munda mundis,* id est, fidelibus sanguine Christi mundatis nullus cibus immundus est; et cibo quolibet utantur, non peccant. *Coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum,* id est, Christianis judaizantibus nihil est mundum; atque perindè peccant, sive non utantur, sive utantur cibis lege mosaicâ prohibitis. Si enim iis non utantur, peccant ex superstitione, quâ se credunt lege mosaicâ semper obligatos. Si autem utantur, peccant ex erroneâ conscientiâ, quâ cibos illos sibi putant illicitos.

2.° Licèt Apostolus de ipsis loqueretur propriè dictis infidelibus, nil adhuc indè contra nostram assertionem sequeretur. Ubi enim ait *infidelibus nihil esse mundum,* subaddit infideles ex infidelitate, aut alio perverso motivo agere; quemadmodùm, quandò dicit *omnia munda mundis,* subintelligit *mundos* agere ex *mundâ* conscientiâ.

F 6

Sicut ergo peccat justus, si agat contra gratiam adoptionis quâ donatur; ita reciprocè non peccat infidelis, quoties non agit ex infidelitatis, sed ex solius rationis dictamine.

*Resp. ad* 3.um Loci hujus sensus est evidenter, neminem posse sine fide Deo carum esse et amicum : atqui, licèt infidelis aliquod faciat bonum naturale, sub eoque respectu Deo non displiceat, quin et aliquatenùs placeat, non ideò tamen Deo carus et amicus dici potest, quia sub alio respectu, infidelitatis nimirùm, Deo habitualiter odibilis est et infensus.

*Obj.* 6.° S. Aug., lib. 4 contra Julianum, cap. 3, totus est ut probet, apud infideles, nullam esse posse veram virtutem : *Absit*, inquit, *ut sit in aliquo vera virtus, nisi fuerit justus. Absit autem ut sit justus verè, nisi ex fide vivat;* ergo, juxta Augustinum, nulla est vera virtus sine justitiâ, nullaque justitia sine fide. Jam dixerat, libro de Nuptiis et Concupiscentiâ, cap. 4, *veram pudicitiam dicendam non esse, nisi quæ veræ fidei mancipatur.*

*Resp.* 1.° Omnibus quæ hìc objici solent S. Doctoris testimoniis, alia possunt opponi in quibus, nedùm dicat infidelium opera totidem esse peccata, dicit è contrà quasdam ipsorum actiones esse bonas moraliter. Textui inter probandum allegato unum aut alterum adjiciam. Epist. 130, quæ est ad Cirtenses, dicit Augustinus, Polemonis gentilis conversionem, motivis merè naturalibus nixam, non *humano operi, sed divino* tribuendam esse, et indè concludit ipsi (Polemoni) *tantùm ad præsentis vitæ honestatem, non verò ad futuræ immortalitatem valuisse.* Demùm, in ipso objecto cap. 3 lib. 4 contra Ju-

lianum : *Ipsa*, inquit, *bona opera quæ faciunt infideles, non ipsorum sunt, sed illius qui benè utitur malis.* Quædam ergo infidelium opera, juxta Aug., adeò bona sunt, ut sint ipsi Deo auctori tribuenda.

Jam verò, si, prout exigit bona fides, textus in quibus dicit Augustinus aliquam esse posse *veram virtutem* sine fide, cum iis comparentur in quibus dicit sine fide nullam esse posse *veram virtutem*, ex ipsâ textuum comparatione manifesta resultabit ad posteriores responsio. Nunquàm enim secum ipse conciliabitur S. Doctor, nisi dicatur ipsum per *veram virtutem*, in prioribus locis, intelligere virtutem merè naturalem, quæ ad vitam æternam nihil proficiat; in posterioribus autem, virtutem supernaturalem æternæque vitæ meritoriam : adeò ut id unum, cum omnibus Catholicis, significet, nullam virtutem esse posse supernaturalem, hominique verè salutarem, nisi ex fide, tanquam ex fonte, derivetur.

2.° Ut istud generale solutionis principium duobus objectis textibus applicetur, sedulò notandum, quæ circa virtutes fuerit Juliani sententia. Scilicet, docuit Julianus (ut ex propriis ejus verbis in objecto priori loco exponit Augustinus), *cunctarum originem virtutum in rationabili animo sitam esse*, illas *inesse omnibus naturaliter*, omnesque perindè seipsis aptas esse, sive ad æterna, sive ad temporalia bona capessenda; prout qui illas coluerit, *pro judicio voluntatis, cujus nutui serviunt*, eas ad hoc vel illud bonorum genus dirigere voluerit. Cùm igitur impiam hanc doctrinam confutans ait Augustinus, in nullo esse *veram virtutem, nisi fuerit justus*, et nullum esse *justum verè, nisi*

*ex fide vivat,* loquitur tantummodò de virtute salutis meritoriâ, et id unum definit adversùs Julianum, hominem quibuslibet præditum virtutibus, quantumvìs eas ad æterna bona dirigat, ad ea tamen nunquàm perventurum, nisi virtutum illarum actus ex gratiæ fideique motivo eliciat.

*Inst.* 1.° Postquàm Juliani de virtutibus opinionem ipsius verbis retulit Augustinus, apertè docet virtutes steriles non esse veras et germanas virtutes : atqui, si quæ forent virtutes infidelium, sanè steriles essent et infructuosæ; ergo, juxta S. Doctorem, nullæ prorsùs, aut saltem nonnisi falsæ virtutes in infidelibus esse possunt.

*Resp.* Dicit quidem Augustinus virtutes steriles non esse *veras virtutes,* sed ibi virtutes steriles accipit in sensu Juliani, contra quem disputat : porrò Julianus per virtutes steriles intelligebat virtutes quæ ad sola *temporalia dirigantur,* ideòque *solius quod appetiverunt præmii exilitate frustrentur;* sicut è contrario per virtutes fructuosas, eas intelligebat, quæ *ad æterna dirigantur,* et idcircò *quod appetiverunt præmii amplitudine ditentur :* atqui, nemine diffitente, virtutes eo sensu steriles, quòd ad sola *temporalia dirigantur,* nullo sensu dici possunt *veræ virtutes,* cùm, ipsâ judice ratione, ad *veram virtutem,* etiam merè naturalem, requiratur ut non in *temporalibus,* sed in ipso Deo, tanquam ultimo fine, conquiescat.

Jam autem fatemur virtutes omnes infidelium hoc esse sensu steriles, quòd non possint esse regni cœlestis meritoriæ; sed negamus omnes esse steriles in ipso sensu Juliani, quòd nimirùm quælibet earum ad sola *temporalia dirigatur.* Invictè namque probatum est aliquas esse posse

actiones infidelium, quæ, implicitè saltem et virtualiter, ad verum Deum, tanquam auctorem naturæ, referantur.

*Inst.* 2.° ex eo quòd ibidem expressè dicat Aug. singula infidelium opera totidem esse peccata. Sic enim Julianum alloquitur : *Si gentilis, inquis, nudum operuerit, nunquid, quia non est ex fide, peccatum est? Prorsùs, quantùm non est ex fide, peccatum est;* ergo, juxta Augustinum, ipsa misericordiæ opera, si *non sint ex fide,* vera sunt peccata.

*Resp.* S. August., ut jam notatum est, per *non esse ex fide* non meram designat fidei absentiam, quasi dicat omne opus absente fide factum, esse hoc ipso peccatum; sed ipsam designat positivam infidelitatem, aut saltem motivum fidei oppositum, et dicit quidquid fit ex infidelitate, aut motivo veræ fidei contrario, v. g., ex vanâ gloriâ, esse peccatum. Sensum illum evidenter manifestant verba proximè sequentia, *Prorsùs,* inquit S. Doctor, *quantùm non est ex fide, peccatum est. Non quia per seipsum factum, quod est nudum operire, peccatum est : sed de tali opere non in Domino gloriari, solus impius negat esse peccatum.*

Et certè mentem suam magìs ac magìs evolvens, S. Doctor paulò post sic habet : *Quòd si et ipsa per seipsam naturalis compassio opus est bonum, etiam isto bono malè utitur qui infideliter utitur; et hoc bonum malè facit, qui infideliter facit : qui autem malè facit aliquid, profectò peccat.* Ergo per opus quod non sit *ex fide,* Augustinus intelligit opus quod fiat *infideliter :* atqui opus quod fit *infideliter,* est opus factum ex ipso motivo infidelitatis; ergo, etc.

*Inst.* ultimò. Juxta datam responsionem, per opus quod *non sit ex fide,* August. intelligit opus quod sit fidei contrarium : atqui, in objecto cap. 3 lib. 4 contra Julianum, sæpiùs et indefinitè declarat infidelium opera *non esse ex fide;* ergo sentit S. Doctor, omnes et singulas infidelium actiones esse fidei contrarias, proindèque totidem esse peccata.

*Resp.* Ut generatìm et indefinitè pronuntietur infidelium opera esse fidei contraria, non requiritur ut semper, sed sufficit ut ferè semper fidei repugnent et contradicant. Nam rectè dicimus Æthiopem totum esse nigrum, licèt in aliquâ suî parte, oculis nimirùm, albus sit. Porrò sic asserimus aliquas infidelium actiones esse posse, tum ex officio, tum ex fine etiam ultimo bonas, ut tamen fateamur longè plerasque, propter dominantem concupiscentiam, esse vel infidelitate, vel saltem motivo fide proscripto, vanitate præsertìm, depravatas. Ut enim ait Augustinus ipse, textu citato lib. de Spiritu et Litt. cap. 27, *si discutiantur quo fine fiant, vix inveniuntur, quæ justitiæ debitam laudem defensionemque mereantur.* Verùm aliud est *vix*, aliud nusquàm inveniri infidelium opera, quæ *justitiæ debitam laudem defensionemque mereantur.*

## SCHOLIUM.

Non defuêre tamen Theologi qui ex mente, ut aiunt, S. Augustini asseruerint, *virtutes, si quæ sint in infidelibus, non nudæ eorum voluntati, sed divinæ gratiæ esse tribuendas, atque nonnisi per accidens, et ex auxilio gratiæ infideles in primâ bonorum suorum operum productione posse in seipsis non gloriari, quia,*

inquiunt, *tanta est hominis fragilitas, ut, nisi divinitùs adjuvetur, illicò ab actu virtutis in vitium proruat.* Ita Cardinalis Norisius in Vindiciis Augustinianis, cap. 3, § 4, cui plures alii adhæsère. Quod ideò hìc annotare opportunum duximus, ut non statìm Baianismi notâ perstringantur qui hanc opinionem tuentur, modò per auxilium gratiæ, cui *bona* omnia infidelium opera adscribunt illi Theologi, intelligatur (ut reverà ipsi intelligunt) gratia quæ *distincta sit à fide et charitate* theologicâ, in quibus gratiæ essentiam reponunt Baius ejusque asseclæ, ut ex dictis constat, et ex discendis patebit.

## II.

### *Utrùm aliqua saltem generatìm Gratia homini lapso sit absolutè necessaria ad quodvis bonum ordinis naturalis peragendum.*

Circa quæstionem illam errant,

1.° Qui dicunt opera facta sine gratiâ habituali seu sanctificante, essentialiter esse vitiosa; hincque concludunt quælibet opera peccatoris esse peccata. Sic Wiclefus et Joannes Hus, art. 16 inter 30 damnatos à Concilio Constantiensi. Sic etiam Lutherus, in c. 2 Epist. ad Gal., et Calvinus, lib. 3 Institut. cap. 14. Quin et isti duo progressi sunt ulteriùs. Volunt enim, ut jam notavimus, ipsorum etiam justorum opera totidem esse peccata, quæ tamen illis, ob Christi justitiam ipsis exteriùs applicatam, non imputentur.

2.° Qui nullum amorem medium admittentes inter *vitiosam cupiditatem, quâ mundus diligitur, et laudabilem charitatem quâ Deus amatur,* consequenter asserunt opera quæ non fiunt

ex propriè dictâ charitate, hoc ipso fieri ex vitiosâ cupiditate, proindèque mala esse. Sic Baius, præsertìm propositionibus 35.â et 40.â, paulò post referendis; et Jansenius, lib. 3 de Statu naturæ lapsæ, cap. 20, verbis suprà laudatis. Illi omnes à fortiori docent hominem lapsum non posse sine gratiâ quidquam boni naturalis operari.

Quamvis in illis respuendis erroribus unanimes sint Theologi catholici, non tamen inter se circa propositam quæstionem omninò consentiunt. Nam alii, comparatè ad cæteros paucissimi, fatentur quidem hominem lapsum posse sine charitate, imò sine fide, facere bonum aliquod ordinis naturalis; sed negant posse sine ullâ prorsùs gratiâ, vel, ut rectiùs loquar, negant in præsenti statu dari posse bonum opus merè naturale. Ita nonnulli veteres Theologi, quos citat Vasquesius in 1.â 2.æ, disp. 190, et à quibus ipse vel nullatenùs, vel saltem non multùm recedit. Hæc enim singularis est illius Theologi sententia, quòd homo lapsus, ad quodlibet bonum naturale faciendum, indigeat speciali Dei auxilio, non quidem supernaturali, sed tamen naturæ lapsæ indebito, nec ipsi nisi propter Christi merita concesso. Vasquesii opinioni saltem ex parte adhæsit cum pluribus Cardin. Norisius, cujus placita modò retulimus. Cæteri verò longè plerique Theologi docent, post D. Thomam, hominem, in præsenti statu naturæ lapsæ, sine ullo speciali Dei auxilio, seu per solas vires naturales, aliquod facere posse bonum ordinis naturalis. Cum illis sit

## PROPOSITIO.

*Homo lapsus, absque ullo speciali Dei adjutorio, seu ex propriis viribus, aliquod facere potest bonum naturale.*

*Prob.* 1.° *ex SS. PP.* S. Chrysostomus, Homil. 2.ª in Epist. ad Ephesios: *Indidit Deus*, inquit, *naturæ nostræ quoddam amatorium, ut alterutrum invicem diligamus: omne enim animal diligit sibi simile, et homo suum proximum. Vides quòd virtutum semina habemus à naturâ.*

S. Aug., lib. de Spiritu et Litterâ, cap. 28: *Veruntamen quia non usque adeò in animâ humanâ imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in eâ velut lineamenta extrema remanserint, undè meritò dici possit* infideles *etiam in ipsâ impietate vitæ jure facere aliqua legis vel sapere... Et ipsi* Judæi *homines erant, et vis illa naturæ inerat eis quâ legitimum aliquid anima rationalis et sentit et facit.*

*Prob.* 2.° *Ratione Theologicâ.* Peccato originali debilitatum est non verò prorsùs exstinctum liberum hominis arbitrium, ut satis evincit Concilium Arausicanum, can. 13: *Arbitrium voluntatis, in primo homine* INFIRMATUM, *nisi per gratiam baptismi non potest reparari:* atqui, si homo ex solis naturæ viribus nullum opus bonum naturalis ordinis exsequi potest, jam liberum ipsius arbitrium in Adamo peccante prorsùs interiit.

*Prob.* 3.° *ex auctoritate Theologorum.* S. Thomas 1.ª 2.æ, quæst. 109, art. 2: *In statu naturæ corruptæ etiam deficit homo ad hoc quod secundùm suam naturam potest, ut non possit*

*totum hujusmodi bonum naturæ suæ proportionatum implere per sua naturalia. Quia tamen natura humana per peccatum non est totaliter corrupta, ut scilicet toto bono naturali privetur, potest quidem, in statu naturæ corruptæ, per virtutem suæ naturæ aliquod bonum particulare agere : non tamen totum bonum sibi connaturale, ita ut in nullo deficiat. Sicut homo infirmus potest per seipsum aliquem motum habere, non tamen perfectè potest moveri motu hominis sani, nisi sanetur auxilio medicinæ.* Doctori Angelico concinunt S. Bonaventura in 2.um Sent., dist. 28, art. 3, quæst. 3; Medina, in 2.â 2.æ, quæst. 109, art. 2; Lemos in Panopliâ, lib. 3; Dominicus Soto, lib. 1, de naturâ et gratiâ, cap. 2; Salmanticenses, Tract. 14, disput. 2.â; Estius, Sylvius, Cajetanus, Cardin. *d'Aguirre.* Porrò illos commemoramus gratiæ per se et ex naturâ suâ efficacis vindices, ut Pelagianismi eos incusare non possint adversarii : cæteros verò, nempè Suarezium, Bellarminum et innumeros alios prætermisimus.

Ex his patet quàm injustè Pelagianismi notam contrariæ sententiæ inusserit Baius, propos. 37 : *Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex solis naturæ viribus ortum ducit, agnoscit.*

## SCHOLIUM.

Observabis diligenter Vasquesii et Norisii doctrinam suprà expositam Baiani erroris omninò esse expertem. Si enim ipsis objicias damnationem Baii propositionis 27.æ : *Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio, nonnisi ad peccandum valet;* respondent 1.° hanc propositionem

damnatam fuisse *in proprio verborum sensu ab assertoribus intento*, qui gratiam *charitatis propriè dictæ*, in quâ reponi volunt gratiæ essentiam, ad non peccandum requirebant; 2.° Summ. Pontif. Benedictum XIV in Brevi ad Magnum Hispaniæ Inquisitorem, anno 1748, vetuisse ne Norisii doctrina Baianismi argueretur. De hoc argumento fusè disserit *Leclerc de Beauberon*, in suo Tractatu de homine lapso et reparato, tom. 1, pag. 388 et seqq.

COROLLARIUM.

*Ergo omnia peccatoris opera non sunt totidem peccata* : est contra Wiclefum, Baium, Jansenium, Quesnellum, etc.

Etenim, ex probatis, sine gratiâ quâlibet fieri possunt opera bona naturalis ordinis; à fortiori igitur fieri possunt sine charitate vel habituali vel actuali : jam verò, si opera sine charitate facta, id est, opera peccatoris possint esse bona naturaliter, quantò magis possunt non esse peccata. Sed insuper

*Prob.* 1.° *ex Scripturis*, in quibus passim invitatur peccator ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, aliisque pœnitentiæ operibus sese disponat ad justificationem, ut cùm dicitur Dan. c. 4, ℣. 24 : *Peccata tua eleemosynis redime*, quæ tamen peccatoris opera, si forent totidem peccata, nedùm illum conducerent ad justitiam, ipsum magis ac magis à justitiâ removerent.

*Prob.* 2.° *ex Conciliis*. Constantiense, Sess. 15, damnavit decimum sextum Joannis Hus articulum, in quo sic legitur : *Si homo est vitiosus, et agat quidquam, tunc agit vitiosè... quia peccatum mortale inficit universaliter actus ho-*

*minis vitiosi.* Tridentinum verò, Sess. 6, can. 7: *Si quis dixerit opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quâcunque ratione facta sint, verè esse peccata...; anathema sit.*

*Prob.* 3.° *ex Sum. Pontif. Constitutionibus*, nempè Pii V, Greg. XIII, et Urb. VIII, in quibus duæ istæ Baii propositiones confixæ sunt, 35.ª: *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est;* et 40.ª: *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati:* imò videbimus infrà posse hominem absque charitate, non modò naturalis, sed et supernaturalis ordinis bonum operari.

## *Solvuntur Objectiones.*

*Obj.* 1.° loca Scripturarum in quibus dicitur opera ante justificationem, id est, sine charitate facta, totidem esse peccata. 1.° Matth. c. 7, ℣. 18, dicitur, *non posse... arborem malam bonos fructus facere.* 2.° Joan. c. 9, ℣. 31, sic legitur: *Scimus quia peccatores Deus non audit: sed, si quis Dei cultor est, et voluntates ejus facit, hunc exaudit.* 3.° Apost. scribit ad Cor., I Epist. c. 16, ℣. 14: *Omnia vestra in charitate fiant.*

In illis, et omnibus aliis similibus Scripturarum locis dicitur aut supponitur peccatorum opera, seu opera ante justificationem et absque charitate facta, totidem esse peccata: porrò, si opera facta sine charitate, sint totidem peccata, multò magis illa quæ sine ullâ prorsùs gratiâ fiunt; ergo, etc.

*Resp. ad* 1.um Arboris malæ comparatio non spectat ad peccatorem, nisi quatenùs agit ex animo peccandi. Quemadmodùm enim ipse justus non est arbor bona, nec facit bonos fructus, nisi in quantùm agit ex amore justitiæ, sic et peccator

non est arbor mala, nec facit malos fructus, nisi in quantùm agit ex affectu peccati : *Non in quantùm,* inquit August. lib. 4 contra Julianum, cap. 3, *homo est, quod est opus Dei; sed in quantùm malæ voluntatis est, quisque arbor mala est, et bonos fructus facere non potest.*

*Resp. ad* 2.um 1.o Hæc verba, ut notat Aug, tract. 44 in Joan., non ab ipso Christo prolata sunt, sed à cæco nato; et quidem priusquàm fuisset fidei lumine collustratus. 2.o Ubi ait cæcus, Joan. c. 9, ℣. 31, *Scimus quia peccatores Deus non audit,* non loquitur de quibuslibet precibus peccatorum, quasi credat à Deo nullas omninò peccatorum preces exaudiri; sed de solis loquitur precibus quibus peccatores à Deo peterent ut patraret miraculum, ut satis indicat ipse contextus.

*Resp. ad* 3.um *Charitatem* non hic accipit Apostolus pro gratià habituali vel sanctificante, sed pro pace et concordiâ, ad quam hortatur Corinthios. Inter ipsos videlicet, occasione eorum à quibus Baptisma receperant, orta fuerant dissidia. Dicebat alius, *Ego quidem Pauli;* alius, *Ego autem Apollo;* alius, *Ego verò Cephæ* : I Cor. c. 1, ℣. 12. Igitur, ubi in fine suæ epistolæ Corinthiis dicit Apostolus, c. 16, ℣. 14 : *Omnia vestra in charitate fiant,* non aliud ab ipsis petit, quàm quod c. 1, ℣. 10 : *Idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata : sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eâdem sententiâ.*

*Obj.* 2.o loca Scripturarum in quibus dicitur hominem sine gratiâ nihil omninò boni posse facere. Joan. c. 15, ℣. 5, Christus ait : *Sine me nihil potestis facere.* Apostolus, II Cor. c. 3, ℣. 5 : *Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis : sed sufficientia*

*nostra ex Deo est, etc.* Ergo passim in Scripturis asseritur hominem nil omninò boni posse facere, nisi supernaturaliter adjuvetur.

*Resp.* 1.° Cùm Christus Dominus, et post Christum Apostoli, non aliud sibi proposuerint quàm homines ad salutem informare, atque Judæos revincere, sic propriis viribus confidentes, ut illas, ad integram legem implendam salutemque comparandam, sine gratiâ sufficere jactitarent; meritò supponi potest ipsos in objectis textibus loqui de solis operibus disponentibus ad salutem. Porrò fatemur, et sequenti probabimus articulo, sine gratiâ nullum opus fieri posse, quod vel minimùm æternæ saluti proficiat; ergo, etc.

2.° Supponendo tamen iis in textibus agi de quolibet bono generatìm, quid eos vetaret, per accommodatam distributionem, hoc accipi sensu, quòd nullum prorsùs bonum fieri possit sine auxilio Dei, vel naturali, si bonum illud sit naturale; vel supernaturali, si sit supernaturale?

*Obj.* 3.° Ex Conc. Arausicano II, can. 9 et 20, nulla bona opera facere potest homo gratiâ destitutus; imò et ex can. 22 : *Nemo habet de suo, nisi mendacium et peccatum;* ergo, etc.

*Resp.* Citati canones eodem planè sensu sunt accipiendi, quo mox objecti Scripturæ textus. De genuino enim illorum canonum sensu judicandum ex Pelagianorum et Semipelagianorum doctrinâ, contra quam editi sunt : atqui hæc vana fuit et superba Pelagianorum et Semipelagianorum sententia, hominem per solas liberi arbitrii vires valere plurimùm in salutis negotio. Hoc unum ergo statuitur citatis canonibus, hominem sine gratiâ nihil posse in ordine ad salutem, nisi peccare : quatenùs nimirùm homo ex se solo

solo facere quidem potest undè salutem amittat, peccatum nempè; non autem undè illam acquirat, bonum scilicet salutare.

Idem prorsùs respondebitur ad istam Concilii Diospolitani contra Pelagium definitionem : *Nihil boni possumus sine Deo.*

*Obj.* 4.° ex S. Aug., qui passim docet opera sine charitate facta totidem esse peccata.

1. Lib. 1 Retract. cap. 15, dicit voluntatem sine charitate *totam esse cupiditatem.* 2. Enchiridii cap. 117, *regnare carnalem cupiditatem, ubi non est Dei charitas.* 3. Lib. de Gratiâ et libero Arbitrio cap. 18, *quidquid se putaverit homo facere benè, si fiat sine charitate, nullomodò fieri benè.* 4. Tandem, lib. 9 de Trinitate cap. 7, quidquid fit ab homine, fieri *aut charitate aut cupiditate.*

In illis quatuor locis, ultimo præsertìm, asserit S. Doctor opera quæ fiunt sine charitate, hoc ipso fierì ex cupiditate, seu totidem esse peccata : sed qui sentit opus sine charitate factum, esse peccatum, multò magis credit sine gratiâ nullum fieri posse bonum opus ordinis naturalis; ergo, etc.

*Resp.* 1.° *generatìm.* Si supponatur Augustinum, in textibus objectis, nomine charitatis, non solam intelligere propriè dictam charitatem, sed quemlibet amorem Dei laudabilem, nulla prorsùs erit difficultas, cùm fateantur omnes nihil posse fieri boni naturalis sine aliquo amore Dei laudabili : atqui reipsâ supponi potest charitatem, in locis citatis, ab Augustino sumi pro recto quolibet amore Dei, etiam merè naturali. Nedùm enim S. Doctor nomen charitatis ad solam restringat propriè dictam charitatem, illud ad ipsum etiam extendit amorem naturalem, quo meras creaturas

diligimus : *Charitas,* inquit, Serm. 52 de Tempore, *alia est divina, alia est humana : alia est humana licita ; alia est illicita.... Licita est humana charitas, quâ uxor diligitur ; illicita, quâ meretrix, vel uxor aliena.* Quoniam tamen plerique textus objecti nostræ propositioni nil officerent, etiamsi de propriè dictâ charitate intelligerentur, ideò

*Resp.* 2.° *specialiter. Ad* 1.um Voluntas sine charitate idcircò dicitur ab Augustino *tota cupiditas,* quòd homo à quo charitas exulat, hoc ipso sit peccator, et sub cupiditatis dominio constitutus; non autem, quòd non possit agere nisi ex dominante cupiditate, et peccet in omnibus suis actibus. Quamvis enim in peccatore non sit charitas, imò dominetur cupiditas, in ipso nihilominùs remanent fides, spes, aut saltem ratio et conscientia, ex quibus aliquos in suo genere bonos actus elicere potest.

*Ad* 2.um Regnat quidem in homine vel charitas habitualis, si sit justus; vel habitualis cupiditas, si peccator : sed, quemadmodùm justus non semper agit ex habituali charitate, cùm amissibilis sit justitia; sic nec semper peccator, ex habituali cupiditate.

*Ad* 3.um Hìc Augustinus per *facere benè* intelligit, ut alibi sæpiùs, facere modo meritorio vitæ æternæ, cùm reipsâ solus ille completo et perfecto sensu *faciat benè,* qui actiones vitâ æternâ dignas facit : atqui fatemur hominem charitate destitutum, seu peccatorem, nihil agere posse quo vitam æternam mereatur; ergo, etc.

*Ad* 4.um Recurrit responsio generalis : Augustinus ibi charitatem accipit lato sensu, pro quolibet amore Dei legitimo, etiam ordinis naturalis;

adeò ut id unum significet, quidquid non fit ex aliquo amore Dei supernaturali vel naturali, hoc ipso fieri ex cupiditate.

Idem planè respondebitur ad similem textum S. Leonis, qui sic legitur Serm. 5 de Jejunio septimi mensis : *Duo amores sunt, ex quibus omnes prodeunt voluntates. Rationabilis enim animus, qui sine dilectione esse non potest, aut Dei amator est, aut mundi. In dilectione Dei nulla nimia; in dilectione autem mundi cuncta sunt noxia.*

*Inst.* S. Aug., lib. 3 contra duas epistolas Pelagianorum, sic habet : *Liberum arbitrium captivatum nonnisi ad peccatum valet; ad justitiam verò, nisi divinitùs liberatum adjutumque, non valet.* Et Serm. 156 de Verbis Apostoli, cap. 11 : *Prorsùs, si defuerit* (gratia), *nihil boni agere poteris. Agis quidem illâ non adjuvante, liberâ voluntate, sed malè.* Sentit igitur Augustinus liberum hominis arbitrium sibi soli derelictum, nedùm quidquam boni possit agere, ne posse quidem à peccato abstinere.

*Resp.* S. Doctor, lib. de Corrept. et Grat. cap. 11, dicit *liberum arbitrium... ad bonum* PARUM *esse, nisi adjuvetur ab omnipotenti Deo.* Idem omninò repetit in lib. de Perfectione justitiæ, in resp. ad 3.$^{am}$ Cœlestii objectionem; et in lib. 1 de Nuptiis et Concupiscentiâ. Pluries ergo fatetur Augustinus liberum arbitrium *PARUM* quidem, sed aliquid tamen boni posse sine gratiâ. Ne ergo sibi contradicat, ubi dicit in objecto loco, *liberum arbitrium captivatum nonnisi ad peccatum valere,* alterutrum necessum est, vel ibi non strictè loqui, sed moraliter; vel, si strictè loquatur, ipsius verba esse intelligenda de operibus quæ aliquid conferant ad salutem.

Colliges fucum facere velle, quicunque non cessant obtrudere Augustini textus in quibus dicit *non posse hominem boni aliquid velle, nisi adjuvetur... gratiâ Dei per J. C.* (lib. I contra duas epist. Pelag. cap. 3), et altum silent de textibus in quibus ait esse *impii aliqua bona opera*, quæ *ad salutem æternam nihil prosunt* (lib. de Spiritu et Litterâ cap. 28). Affectato enim illo silentio satis ostendunt quantùm timeant ne vel solâ textuum comparatione suggeratur ad sua sophismata responsio.

## § II.

### *Quale bonum ordinis naturalis sine gratiâ sit possibile.*

Quæritur utrùm homo lapsus per solas vires naturales possit 1.° præcepta legis naturalis implere, 2.° Deum ut auctorem naturæ diligere, 3.° tentationes superare.

## I.

### *Utrùm homo lapsus possit sine Gratiâ legis naturalis mandata servare.*

Certum est hominem lapsum, sine gratiâ quâlibet, nonnulla posse legis naturalis officia perficere. Nam, ex propositione præcedenti, per solas naturæ vires aliquod facere potest bonum ordinis naturalis : atqui homo nullum facere potest bonum ordinis naturalis, quin hoc ipso faciat aliquid conforme tali vel tali præcepto legis naturalis; ergo, etc. Itaque de hoc uno controvertitur, utrùm homo nullâ gratiâ præventus possit in actuali statu totam legem naturalem adimplere.

PROPOSITIO.

*Homo, in statu naturæ lapsæ, prorsùs impar est, qui sine gratiâ cuncta legis naturalis mandata perficiat.*

*Prob.* 1.° *ex Script.* Lex naturalis homini præcipit continentiam servare, et linguam suam cohibere: atqui constat ex sacris codicibus nec illud, nec istud præceptum ab homine posse sine gratiâ observari. Non quidem præceptum continentiæ. Nam Sap. c. 8, ℣. 21, sic legitur: *Scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det.* Nec etiam mandatum linguæ cohibendæ. Nam S. Jacobus, Epist. c. 3, ℣. 7, hæc scribit: *Omnis natura bestiarum, et volucrum, et serpentium, et cæterorum domantur, et domita sunt à naturâ humanâ: linguam autem nullus hominum domare potest.*

*Prob.* 2.° *ex Conc. Carthag. II*, an. 416. Nam, in Epistolâ synodicâ ad Innoc. I, testantur Patres ideò damnatos esse Pelagianos, quòd *assererent in eo Dei gratiam deputandam, quòd talem hominis instituit creavitque naturam, quæ per propriam voluntatem legem Dei possit implere, sive naturaliter in corde conscriptam, sive in Litteris datam.*

*Prob.* 3.° *ex SS. PP.* S. August., lib. 10 Confess. cap. 29, post relata Sapientiæ verba, *Scivi quoniam aliter, etc.*, Dominum sic alloquitur: *Continentiam jubes. Da quod jubes, et jube quod vis.* Et iterùm, cap. 37, respiciens ad textum Jacobi mox citatum: *Imperas nobis et in hoc genere continentiam. Da quod jubes, et jube quod vis. Tu nosti de hâc re gemitum*

*cordis mei, et flumina oculorum meorum.* Agnoscit ergo S. Doctor frustrà homini jubere Deum, sive libidinem, sive linguam continere, nisi det ipse quod jubet.

Accedit auctoritas S. Thomæ, 1.ª 2.æ quæst. 109, art. 2. Vide textum in præcedenti § relatum.

Quæ in contrarium objiciuntur, non ita difficilè solvuntur, ut in iis immorari necessarium sit.

## II.

### *Utrùm homo lapsus possit sine Gratiâ Deum ut auctorem naturæ diligere.*

Dilectio Dei, ut auctoris naturæ, pro objecto habet Deum, vel quatenùs in se bonus est seu infinitè perfectus, et dicitur amor *benevolentiæ;* vel quatenùs bonus est diligentibus se, et dicitur amor *concupiscentiæ.*

Uterque autem amor ille, vel talis est ut Deus rei cuilibet anteponatur, et dicitur *super omnia,* seu *appretiativè summus;* vel talis ut abstrahatur ab omni comparatione Dei cum creaturis, et Deus nondùm quidem omni creaturæ præponatur, sed nec etiam ulli creaturæ postponatur, et dicitur amor Dei *non super omnia,* seu *non appretiativè summus.*

Idem uterque Dei amor spectari potest, vel quatenùs *effectivus,* vel quatenùs *affectivus.* Dicitur *effectivus,* in quantùm mandata à Deo, ut auctore naturæ, manantia, id est, præcepta legis naturalis exsequitur. *Affectivus* autem, in quantùm ad eadem exsequenda verè et sincerè disponitur.

Jam verò circa propositam quæstionem non

una est omnium sententia. Quæ nobis probabilior videatur, ostendet sequens

PROPOSITIO.

*Homo lapsus potest propriis viribus Deum ut auctorem naturæ diligere; non tamen super omnia* effectivè, *vel etiam* affectivè.

*Prob.* 1.ª *pars*, aliqualem Dei, ut auctoris naturæ, amorem homini lapso possibilem esse sine gratiâ. Nam, ex præcedenti parag., homo lapsus sine gratiâ facere potest aliquod bonum opus ordinis naturalis: atqui nullum opus ordinis naturalis rectum esse potest, quin adjunctum habeat aliquem Dei amorem, quo nimirùm opus illud ad Deum tanquam ultimum finem explicitè vel implicitè referatur; ergo, etc.

Quamvis autem illam nostræ propositionis partem, ut articulum fidei non definierit Ecclesia, hanc tamen omnis immunem erroris, adversùs Baium, declaravit. Nam, inter Baii propositiones ab Ecclesiâ damnatas, sic habet 34.ª: *Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturæ, et gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana est et commentitia, et ad illudendum sacris Litteris, et plurimis Veterum testimoniis excogitata.*

*Prob.* 2.ª *pars*, repugnare hominem lapsum, sine gratiâ, Deum amare plus omnibus amore *effectivo*. Ex ipsâ enim amoris effectivi definitione, solus ille Deum plus omnibus amat effectivè, qui servat omnia præcepta legis naturalis: atqui, ex probatis, homo prorsùs impar est in præsenti statu, qui suis solis viribus omnia præcepta legis naturalis adimpleat; ergo, etc.

*Prob.* 3.ª *pars*, hominem lapsum non posse naturaliter Deum amare plus omnibus, amore etiam *affectivo*. Deum enim, ut auctorem naturæ, solus ille super omnia diligit *affectivè*, qui verè et sincerè vult totam legem naturalem observare : atqui talis voluntatis naturaliter incapax est homo lapsus. Cùm enim, ex dictis, homo lapsus non possit sine gratiâ totam servare legem naturalem, nec ergo veram totius servandæ legis naturalis voluntatem habere potest, nisi priùs certus sit ad tanti operis exsecutionem se fore divinâ gratiâ roborandum : atqui nullo medio naturali, sed solâ supernaturali revelatione homo certò scire potest adfuturam sibi gratiam, quâ possit integram legem naturalem adimplere; ergo, etc.

Hinc D. Thomas, 1.ª 2.æ, quæst. 109, art. 3, sic concludit : *Dicendum est; quòd homo in statu naturæ integræ non indigebat dono gratiæ superaddito naturalibus bonis ad diligendum Deum naturaliter super omnia... sed in statu naturæ corruptæ indiget homo, etiam ad hoc, auxilio gratiæ naturam sanantis.*

Quæ opponuntur ex SS. PP. et Conciliis non difficilè solves, ea intelligendo vel de amore supernaturali, de quo in præsenti quæstio non est, vel etiam de amore naturali appretiativè summo : uterque autem naturæ vires excedit in præsenti statu, ut jam dictum est.

## III.

### *Utrùm homo lapsus possit sine Gratiâ tentationi resistere.*

Triplex de tentationibus victoria distinguitur :

1.ª inhonesta et damnabilis, si nimirùm una tentatio vincatur per aliam, avaritia, v. g., per superbiam; 2.ª honesta et salutaris, si, v. g, tentationi resistatur ex motivo charitatis; 3.ª honesta quidem, sed ad salutem inutilis, si nempè aliqua tentatio superetur ex motivo naturaliter tantùm laudabili.

Hìc non agitur de primo vel secundo genere victoriæ. Certum est enim primum victoriæ genus, cùm sit peccatum, ex gratiâ non esse; et secundum contrà, cùm ad salutem disponat, non esse posse nisi ex gratiâ; nam articulo sequenti videbitur hominem sine gratià nil omninò posse in ordine ad salutem. Sed ambigitur de tertio genere victoriæ; et quæritur utrùm in præsenti statu quædam esse possit de tentationibus victoria verè laudabilis, et tamen merè naturalis. Quæstionem resolvet sequens

PROPOSITIO.

*Homo lapsus, solis naturæ viribus, potest quidem leviores quasdam, nullas tamen graves tentationes superare.*

*Prob.* 1.ª *pars.* Ex præcedenti paragrapho, potest homo lapsus sine gratiâ bonum aliquod naturale perficere: porrò, si non posset sine gratiâ leviores quasdam vincere tentationes, nec etiam sine gratiâ facere posset ullum bonum opus naturale; ad id enim sufficit, in præsenti statu, nullum fieri posse bonum opus ordinis naturalis, quin aliqua, levissima saltem, tentatio superetur: atqui, etc. Nullum enim homo lapsus aggredi potest bonum opus, etiam naturale, quin statìm plus minùsve renitentem experiatur concupis-

centiam, quæ ipsum inclinet, vel ad istud bonum opus penitùs omittendum, vel saltem ad illud ex aliquo malo motivo faciendum.

Quamvis autem nemo teneatur hanc nostræ propositionis partem, ut ab Ecclesiâ definitam, admittere, nulli tamen licet eam velut erroneam respuere. Baianas enim inter propositiones, quas proscripsêre SS. Pontifices Pius V, Greg. XIII, et Urbanus VIII, hæc occurrit 30.ª : *Fures sunt et latrones... qui dicunt tentationi ulli sine gratiæ Dei adjutorio hominem posse resistere, sic ut in eam non inducatur, aut ab eâ non superetur.*

*Prob.* 2.ª *pars.* Et quidem 1.° *ex Script.*, Psal. 17, ℣. 30 : *In te eripiar à tentatione :* regius Vates in hoc loco, sicut in pluribus aliis, tentationum repressionem absolutè tribuit auxilio gratiæ. Matth. c. 26, ℣. 41 : *Orate ut non intretis in tentationem :* porrò, ut loquitur D. Aug., *oratio gratiæ necessitatis testificatio est.*

2.° *Ex Synodo Diospolitanâ* adversùs ipsum Pelagium habitâ, anno 415, quæ istam damnavit illius propositionem : *Victoria nostra non est ex Dei adjutorio, sed ex libero arbitrio :* atqui ex hujus propositionis damnatione sequitur, ut notat Augustinus, Epist. 106 ad Bonifacium, *quandò contra tentationes concupiscentiasque illicitas dimicamus, quamvis et illic habeamus propriam voluntatem, non tamen ex illâ, sed ex adjutorio Dei nostram provenire victoriam.*

3.° *Ex SS. PP.* Cœlestinus, in suâ ad Gallos Epist. : *Nemo*, ait, *etiam Baptismatis gratiâ renovatus, idoneus est ad superandas diaboli insidias, et ad evincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei.*

*Obj.* In laudatis Scripturarum et Traditionis textibus, nullum fit discrimen inter graves et leves tentationes, sed omnium indiscriminatim repressio divinæ gratiæ tribuitur; ergo nec nos ipsi tale discrimen facere debemus, sed fateri nullam omninò esse, quantumvìs levem, tentationem, quæ possit sine gratiâ superari.

*Resp.* 1.° *Nego cons.* Tentationis nomen, ut observat Bellarminus, quoties sumitur absolutè et sine addito, gravem duntaxat significat tentationem, non verò levissimam, quæ, ut ait idem auctor, *titillatio* meliùs quàm *tentatio* diceretur. Ideò autem factam à nobis differentiam Antiqui non fecêre, quòd nihil conduceret ad causam quam tuebantur adversùs Pelagianos, omnium promiscuè tentationum repressionem solis naturæ viribus tribuentes.

2.° Quemadmodùm paucissima sunt legis naturalis mandata, quæ possit homo lapsus servare sine gratiâ; sic et paucissimæ tentationes, quas possit sine gratiâ reprimere : atqui, ut generatìm dicant SS. PP. nullas tentationes ex solis naturæ viribus vinci posse, sufficit paucissimas esse modo vincibiles; cùm, ex adagio, *Parùm,* (præsertìm in moralibus) *pro nihilo reputetur.*

3.° Scripturæ et SS. PP., ut plurimùm, non loquuntur nisi de tentationum refrenatione, quæ prosit ad salutem : atqui fatemur, et art. sequenti probabimus, nullam, ne levissimam quidem, tentationem posse sine gratiâ salutariter refrenari; ergo, etc.

## ARTICULUS II.

### *De Gratiæ ncessitate ab bonum ordinis supernaturalis operandum.*

Quatuor hìc veniunt expendenda: 1.um utrùm gratia sit absolutè necessaria ad opus quodlibet salutare faciendum, 2.um utrùm homini justificato sola sufficiat gratia habitualis ad opus tale producendum, 3.um utrùm justus possit ex ordinariis gratiæ auxiliis omnia vitare peccata, 4.um utrùm homo justus sine speciali gratiâ possit in justitiâ perseverare.

Per opus autem *salutare* vel *salutiferum,* non illud solum intelligitur quod hominem salute dignum efficiat, sed etiam illud omne quod eum ad salutem quoquo modo, vel remotissimo, præparet ac disponat.

### § I.

### *Utrùm Gratia sit absolutè necessaria ad opus quodlibet salutare faciendum.*

Negaverunt Pelagiani, quibus hâc in parte quadantenùs suffragantur Jansenius ejusque discipuli. Dicunt enim hominem lapsum sine ullo gratiæ subsidio salutariter agere posse, non quidem, ut volebant Pelagiani, potentiâ expeditâ, quæ suum effectum sortiatur; sed potentiâ impeditâ, nec unquàm ad actum reducendâ. Ipsos autem ita loqui non adeò demiremur; nam, cùm doceant homini lapso sæpissimè deesse gratiam ad Dei mandata servanda necessariam, eumque nihilominùs peccare quoties non servat mandata Dei; consequenter, sin re, verbo saltem, admittere coguntur qualemcunque mandata sine gratiâ

servandi potentiam. Adversùs illos omnes sit cum omnibus Catholicis

### PROPOSITIO.

*Homo sine Gratiæ interioris auxilio nullum opus salutare perficere potest, vel etiam inchoare.*

*Prob.* 1.° *ex Script.* Joan. c. 6, ℣. 44, ait Christus : *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum :* atqui homo sine gratiæ interioris auxilio perficiens, vel etiam incipiens opus salutare, veniret ad Christum, quin Pater traxisset eum; ergo, etc. Ibid. c. 15, ℣. 5: *Sine me*, inquit Christus, *nihil potestis facere*, dubio procul in ordine ad vitam æternam.

*Prob.* 2.° *ex Conciliis :* Carthaginensi III, anno 417; Arausicano II, can. 7 : *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquid, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare ut expedit, aut eligere, sive salutari, id est, evangelicæ prædicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione et inspiratione Spiritûs Sancti... hæretico fallitur spiritu.* Trident. verò, Sess. 6, can. 3 : *Si quis dixerit sine præveniente Spiritûs Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur ; anathema sit.*

*Prob.* 3.° *ex SS. Pontificibus* qui hæresim Pelagianam profligârunt : instar omnium sit Innocent. I, in suo Rescripto ad Concilium Milevitanum, ubi dicit, *voluntatem liberam... nihil posse cœlestibus præsidiis destitutam.*

*Prob.* 4.° *ex SS. PP.* Unum Augustinum ci-

tabimus, eo quòd ipsius præsertìm auctoritate abutantur Jansenii defensores, ut dicant hominem lapsum, quamvis sine gratiâ nunquàm faciat bonum salutare, sine gratiâ tamen illud posse facere. Jam verò pluribus in locis, præsertìm Tract. 81 in Joan. ad citata Christi verba, *Sine me nihil potestis facere*, sic habet : *Non ait* (Christus), *quia sine me parùm potestis facere, sed nihil potestis facere. Sive ergo parùm, sive multùm, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest.*

*Prob.* demùm 5.° *Ratione theologicâ.* Opus omne salutiferum, cùm conducat ad finem supernaturalem, scilicet vitam æternam, est supernaturale : sed impossibile, quinimò contradictorium est, hominem sine gratiæ interioris auxilio, seu ex solis viribus naturalibus, opus aliquod supernaturale perficere, vel etiam incipere; quidquid enim fit ex solis naturæ viribus non est supra naturæ vires, nec proindè supernaturale.

*Solvuntur objectiones.*

*Obj.* 1.° ex Scripturis, et quidem ex locis in quibus initium salutis soli libero arbitrio tribuitur. Proverb. c. 16, ℣. 1, dicitur *hominis esse animam præparare*. Zachariæ c. 1, ℣. 3, sic legitur : *Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, et convertar ad vos*. Lucæ c. 11, ℣. 9, suos Christus sic alloquitur : *Petite, et dabitur vobis : quærite, et invenietis : pulsate, et aperietur vobis*. Undè sic argumentari licet : In istis aliisque innumeris Scripturarum locis asseritur nos in negotio salutis incipere, Deum verò nostris primis conatibus per suam gratiam aspirare ; ergo, etc.

*Resp. Nego ant.* In illis aliisque similibus textibus Scripturarum, declaratur quidem libertas voluntatis ab operatione gratiæ, sed ita ut supponatur, nedùm excludatur, absoluta gratiæ ad quodlibet opus salutare necessitas. Si enim sensus istorum, *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos,* esset, primam conversionem venire ex solo homine, cur ergo dicitur Jerem. c. 31, ℣. 18: *Converte me, et convertar.* Si istorum, *Hominis est animam præparare,* sensus foret, animam non à Deo, sed ab homine solo ad salutem præparari, cur ergo Proverb. c. 8, juxta versionem LXX, quam sequitur Aug. dicitur : *Præparatur voluntas à Domino.* Si demùm in istis, *Petite, et dabitur vobis : quærite, etc.,* significetur orationes nostras ex solis naturæ viribus, non ex gratiâ, suam vim habere et efficaciam; cur ergo dicitur Rom. c. 8, ℣. 26 : *Quid oremus, sicut oportet, nescimus : sed ipse Spiritus postulat pro nobis.* Ut igitur secum concilientur illi textus, dicendum est, quemadmodùm in posterioribus gratiæ prævenientis ad opus quodlibet salutare necessitas, non exclusâ libertate, prædicatur; sic et in prioribus perfectam hominis sub gratiâ libertatem, non exclusâ gratiæ necessitate, commendari. *In sacris litteris,* inquiunt Trid. PP., Sess. 6, de Justificat. cap. 5, *cùm dicitur, « Convertimini ad me, et ego convertar ad vos, » libertatis nostræ admonemur. Cùm respondemus, « Converte nos, Domine, ad te, et con» vertemur »* (Thren. 5, 21.), *Dei nos gratiâ præveniri confitemur.*

*Obj.* 2.° veterum PP. Græcorum et quorumdam Latinorum testimonia, in quibus dicitur hominem posse sine gratiâ justificationem ipsam-

que salutem obtinere, aut saltem justificationis initium. Ita SS. Justinus, Irenæus, Clemens Alexandrinus, Joannes Chrysost., etc.

*Resp.* 1.° Si Patres Græci et nonnulli ex Latinis ante S. August. à verâ fide circa gratiæ necessitatem defecissent, dicendum esset interruptam fuisse Traditionem circa dogma catholicum: porrò quis verè catholicus id affirmare ausit?

2.° Non desunt testimonia in quibus Patres antiqui ita clarè et expressè docent dogma catholicum de gratiæ necessitate, ut S. Aug. eorum auctoritate utatur ad debellandos Pelagianos.

3.° Si reipsâ antiqui illi Patres, præsertìm Græci, ut dicunt adversarii, erroribus Pelagii favissent, quî factum est ut ab utrâque Ecclesiâ, Græcâ et Latinâ, proscripta fuerit Pelagiana hæresis in Concilio Ephesino, generali III?

4.° SS. PP. dicta facilè ad sensum catholicum adduci possunt, modò attendatur eos in eo totos esse ut adversùs Marcionitas, Manichæos, et alios ejusmodi Hæreticos liberum arbitrium vindicent. Ut enim notat S. Aug., cùm defenditur liberum arbitrium, gratiæ videtur detrahi: sicuti, cùm defenditur gratia, libertas perimi videtur, licèt tamen duo hæc, adhibitâ benignâ interpretatione, ut æquum est, in objectis SS. PP. locis conciliari possint.

5.° Si nonnulli in citatis PP. inveniantur textus solutu difficiliores, dicendum cum eodem S. Aug., illos non ex professo, sed *breviter* et *transeunter,* de gratiæ difficillimâ quæstione scripsisse, et, cùm nondùm exortus esset Pelagianus error, idcircò minùs castigatè locutos fuisse.

Cæterùm, qui collecta et vindicata legere voluerit Græcorum Patrum testimonia, consulat

illustr. Habertum, Vabrensem Episcopum, in erudito opere cui titulus, *Theologia Græcorum Patrum vindicata, circa materiam Gratiæ.*

*Obj.* 3.° S. Aug., speciatim lib. de Prædest. Sanctorum, cap. 5: *Posse habere fidem*, inquit, *sicut posse habere charitatem, naturæ est omnium; habere autem fidem, quemadmodùm et habere charitatem, gratiæ est fidelium;* ergo, juxta S. Aug., quamvis homo non habeat à naturâ fidem et charitatem, ab illâ tamen habet eas virtutes comparandi potestatem.

*Resp. Nego cons.* Ibi S. Doctor per *posse habere fidem, posse habere charitatem*, non ipsam intelligit activam fidei aut charitatis habendæ potentiam, veluti credat hominem habere à naturâ quidquid requiritur ut actus fidei vel charitatis eliciat; sed de merâ loquitur capacitate, de nudâ potestate passivâ, quatenùs homo, per oppositionem ad bruta animantia, subjectum est capax fidei et charitatis recipiendæ. Ita magistrum interpretatur S. Fulgentius, lib. de Incarnat. et Grat., cap. 24: *Naturam*, inquit, *habemus credulitatis fidei capacem, quod animalibus irrationabilibus datum divinitùs non est.* Et certè, nisi hanc interpretationem admittas, perpetuò erit sibi contrarius S. Doctor, cùm passìm doceat hominem sine gratiâ nihil facere posse, quod vel minimùm ad salutem pertineat. Vide lib. 1 ad Bonifac. cap. 2; lib. 2 contra duas epist. Pelag. cap. 5; lib. de Grat. et lib. Arb. cap. 17.

*Obj.* 4.° ex S. Thomâ, de Veritate, quæst. 24, art. 1, ad 2.um: *Quamvis gratiam, quæ opera meritoria facit, non possit homo ex libero arbitrio acquirere; potest tamen se ad gratiam*

*habendam præparare, quæ ei à Deo non denegabitur, si fecerit quod in se est.* Igitur, juxta Doctorem angelicum, homo potest se ad gratiam habendam præparare : atqui actus quo homo se ad gratiam habendam præparat, est actus salutaris, nec tamen ex gratiâ procedit; ergo, etc. Hinc tritum istud in scholis theologicis adagium: *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam.*

*Resp.* In isto et alio simili operis citati loco supponit S. Doctor, hominem ex præveniente gratiâ actuali sese ad justificationem præparare; vel saltem, si id non supponat, atque dicere voluerit eum qui ex solis naturæ viribus facit quod in se est, certò gratiam obtinere, istam posteà mutavit et retractavit sententiam. Nam in Summâ, quæ ipsius postremum est et accuratissimum opus, nimirùm 1.â 2.æ, quæst. 109, art. 6, sibi objicit prædictum axioma, *Si homo facit quod in se est, Deus ei non denegat gratiam,* ad illudque sic respondet: *Dicendum quòd nihil homo facere potest nisi à Deo moveatur, secundùm illud Joan.* c. 15, ℣. 5 : « *Sine me nihil potestis facere.* » *Et ideò cùm dicitur homo facere quod in se est, dicitur hoc esse in potestate hominis, secundùm quod est motus à Deo.*

Nec aliud intelligunt Theologi catholici, quandò dicunt, *facienti quod in se est, Dèum non denegare gratiam.* Quamvis enim semper non exprimant, semper tamen supponunt hominem facere quod in se est, ex viribus gratiæ; hocque solo sensu accipiunt prædictum axioma, quòd facienti ex gratiæ viribus quod in se est, Deus ulteriorem gratiam non deneget.

## COROLLARIUM PRIMUM.

*Ergo homo, omni gratiæ interioris auxilio destitutus, ne potentiâ quidem ab actu sejunctâ, nullum potest salutiferum opus facere, aut etiam velle facere.* Est contra Jansenium et ejus asseclas.

Siquidem, juxta Jansenium, hæc ab actu sejuncta potentia, vera est potentia, quâ homo non utens, peccat: atqui, ex ratione theologicâ in præcedenti propositione allatâ repugnat, quin implicat in terminis, homini sine gratiâ veram inesse salutariter operandi potentiam; ergo, etc.

Prætereà, si percurras Scripturarum vel Traditionis testimonia in probationibus propositionis adducta, nullum reperies in quo dicatur duntaxat hominem sine gratiâ salutiferum opus non facere; sed in omnibus, ne uno excepto, dicitur non posse facere. Christus Dominus, v. g., non ait, *Nemo venit ad me;* sed, *Nemo* POTEST *venire ad me, nisi Pater, etc.* Non, ait, *Sine me nihil facitis;* sed, *Sine me nihil* POTESTIS *facere.* Et sic de aliis textibus citatis.

Et certè, si homo lapsus absque gratiâ potest, etiam potentiâ ab actu sejunctâ, supernaturaliter operari, ergo multò magìs Adamus innocens absque ullo gratiæ subsidio potuisset in justitiâ perseverare. Ratio est, quòd libertas multò vegetior et robustior fuerit in homine innocente, quàm nnnc est in homine lapso: atqui tamen, si Adamus innocens non fuisset auxilio gratiæ roboratus, nullam prorsùs, nec ab actu quidem separatam, perseverandi potestatem habuisset: *Si autem,* inquit August., lib. de Corrept. et Grat. cap. 11, *hoc adjutorium, vel Angelo,*

*vel homini, cùm primùm facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine adjutorio divino posset manere, si vellet; non utiquè suâ culpâ cecidisset. Adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent;* ergo, juxta S. Doctorem, si protoparenti, post creationem, nullum adfuisset gratiæ adjutorium, nullam culpam admisisset, non perseverando; nec proindè veram habuisset, ne ab actu quidem sejunctam, perseverandi potentiam.

### COROLLARIUM II.

*Ergo gratia prorsùs est gratuita.* Est contra Pelagianos et Semipelagianos.

Illud enim est omninò gratuitum, quod nedùm homo ex seipso mereri possit, ne potest quidem ad illud obtinendum sese, propriis viribus, utcunquè præparare: atqui, etc. Actus enim quo sese homo ad gratiam obtinendam vel minimùm præpararet, foret actus salutaris: atqui, ex propositione, homini prorsùs est impossibile quodcunque salutiferum opus solis naturæ viribus perficere, vel etiam inchoare; ergo, etc.

Hinc 1.° Conc. Trident., Sess. 6, de Justific., cap. 5, *declarat ipsius justificationis exordium in adultis à Dei, per Christum Jesum, præveniente gratiâ sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione, quâ, nullis eorum existentibus meritis, vocantur.*

Hinc 2.° meritò proscripta est, tanquam *favens hæresi Semipelagianæ,* doctrina Synodi Pistoiensis contenta in propos. n. 18 et 20, inter damnatas à Pio VI, in prælaudatâ Constitutione, *Auctorem fidei,* quatenùs in eâ doctrinâ vel intelligitur vel intelligi datur hominem posse,

absque gratiâ, gratiæ Christi desiderium concipere vel ad illud concipiendum sese movere.

COROLLARIUM III.

*Ergo prorsùs respuendum est omne* «pactum » inter Christum fidejussorem nostrum et Patrem » initum, ad gratiam hominibus conferendam » propter Christi merita, respiciendo naturalia » opera, ut purum terminum, non ut meritum » ullum, aut rigorosam conditionem. » (*Propositio* 6.ª *inter damnatas à Clero Gallic. an.* 1700.)

Tali namque pacto supposito, quodlibet bonum opus naturale non quidem proprio merito disponeret ad salutem, sed tamen esset veluti conditio sub quâ Deus sese obstrinxisset ad gratiam, ob Christi merita, conferendam. Undè semper sequeretur hominem absque ullâ gratiâ præcedente agere posse sicut oportet ad salutem, contra verbum Apostoli, I Cor. c. 4, ℣. 7 : *Quis te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?*

Hinc Clerus Gallicanus de præfato pacto sic pronuntiat : *Pactum quod inter Deum et Christum asseritur, commentum est temerarium, erroneum, nec solùm tacente, sed etiam adversante Scripturâ, et SS.PP. traditione, prolatum.*

§ II.

*Utrùm homini justificato sola sufficiat Gratia habitualis ad aliquod agendum opus supernaturale.*

Docuit Thomassinus hominem justificatum, ex

solâ gratiâ habituali, et absque ullo gratiæ actualis auxilio, vires habere sufficientes ad aliquod bonum ordinis supernaturalis exercendum. Singularem hanc opinionem confutabit sequens

PROPOSITIO.

*Homo, quamvis justificatus, seu gratiâ habituali prædituis, nihilominùs indiget actualis gratiæ interioris auxilio ad quodcunque bonum supernaturale producendum.*

*Prob.* 1.° *ex Conciliis :* ex Synodo Diospolitanâ, quæ septimam hanc damnavit Pelagii propositionem : *Gratia Dei atque adjutorium non ad singulos actus donatur.* Igitur, ut meritò concludit Aug., Epist. 106, *Gratia Dei et adjutorium, etiam ad singulos actus, donatur :* atqui gratia quæ ad singulos actus donatur, est ipsa gratia actualis interior; ergo, etc.

*Prob.* 2.° *ex SS. PP.* S. Aug., lib. de Naturâ et gratiâ, cap. 26 : *Sicut,* inquit, *oculus corporis, etiam plenissimè sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere; sic homo, etiam perfectissimè justificatus, nisi æternâ luce justitiæ divinitùs adjuvetur, rectè non potest vivere.* Consonat S. Thomas, 1.ª 2.æ, quæst. 109, art. 9.

*Nota.* Quæcunque hic objici solent, efficiunt quidem gratiâ habituali justum disponi ad supernaturaliter operandum, non autem ex solâ gratiâ habituali, nullo accedente gratiæ actualis auxilio, completam habere supernaturaliter operandi potentiam.

## § III.

### *Utrùm justus possit ex ordinariis Gratiæ auxiliis omnia peccata vitare.*

Quæstio non est de peccatis mortalibus; nam ad finem usque omnia vitare mortalia, idem est ac in justitiâ usque ad mortem perseverare : quod utrùm fieri possit sine speciali gratiâ, parag. sequenti datâ operâ perpendetur. Verùm quæstio est de solis venialibus; et quæritur utrùm homini justo ad omnia vitanda venialia sufficiant ordinaria gratiæ auxilia. Circa quæstionem sic propositam,

Certum est 1.° non modò justum, sed et peccatorem posse singula distributivè peccata venialia devitare : *Quis enim,* inquit Aug. lib. de libero Arbit., cap. 18, *peccat in eo quod caveri nullomodò potest?*

Certum est 2.° justum, ex speciali Dei privilegio, posse toto vitæ tempore ab omnibus, etiam collectivè, peccatis venialibus abstinere.

Itaque de hoc uno controverti potest, utrùm sine speciali privilegio, et ex ordinariis gratiæ auxiliis, justus possit per totam vitam omnia venialia, non modò distributivè, sed et collectivè declinare. Affirmârunt quidem Pelagius et Cœlestius, sed adversùs illos constanter negârunt Catholici, cum quibus sit

PROPOSITIO.

*Nullus potest homo justus, nisi ex speciali Dei privilegio, per totam vitam omnia peccata venialia declinare.*

*Prob.* 1.° *ex Script.* II Paralip. c. 6, ℣. 36,

sic legitur : *Non est homo qui non peccet.* Eccle. c. 7, ℣. 21 : *Non est homo justus in terrâ qui faciat bonum, et non peccet.* I Joan. c. 1, ℣. 8 : *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.*

*Prob.* 2.° *ex Conciliis.* Concilium Milevitanum II, can. 6, sic decernit : *Placuit, quod ait S. Joannes Apostolus, « Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est, » quisquis sic accipiendum putaverit, ut dicat propter humilitatem oportere dici, nos habere peccatum, non quia verè ita est; anathema sit.* Trident. verò Sess. 6, can. 23 : *Si quis hominem semel justificatum dixerit...* POSSE *in totâ vitâ peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodùm de B. Virgine tenet Ecclesia; anathema sit.*

*Prob.* 3.° *ex SS. PP.* S. Hieron. lib. 2 contra Pelag. hæc habet : *Quandiù finis ille adveniat, necesse est nos subjacere peccato, non naturæ et conditionis vitio, sed fragilitate et mutatione voluntatis humanæ, quæ per momenta variatur.* S. Aug. Epist. 89, quæst. 1 : *Omnibus,* inquit, *necessaria est Oratio dominica, quam ipsis Apostolis suis Dominus dedit, ut unusquisque Deo dicat : « Dimitte nobis debita nostra. »*

D. Thomas, 1.ª 2.æ, quæst. 109, art. 8 : *Non potest,* inquit, *homo abstinere ab omni peccato veniali propter corruptionem inferioris appetitûs sensualitatis, cujus motus singulos quidem ratio reprimere potest., et ex hoc habent rationem voluntarii et peccati; non autem omnes, quia dùm uni resistere nititur, fortassis alius insurgit; et quia ratio non potest esse semper pervigil.*

SCHOLIUM.

Dissentiunt Theologi de genere impotentiæ quâ, secluso speciali privilegio, homo in totâ vitâ omnia venialia devitare nequit. Alii impotentiam physicam defendunt: scilicet, juxta ipsos, homo omnia venialia devitare nequit ex defectu virium his vitandis proportionatarum. Ut autem explicent quà ratione peccet homo in eo quod non potest physicè devitare, negant hanc impotentiam determinatam esse, sed vagam et generalem esse affirmant; remque exemplo familiari sic explicant. Sit collectio latronum successivè cuidam viatori vitanda: supponamus quòd, si devitaret primum, secundum, tertium, in quartum necessariò incideret; ex hypothesi verò quòd incidat in primum, secundum aut tertium, facilè quartum devitare posset: in hâc hypothesi, viator singulos latrones vitare poterit, collectionem autem eorum non potest impotentiâ physicâ et vagâ. Ita est, inquiunt, de peccatis venialibus, quæ singula seorsìm et *distributivè* devitari possunt; *collectivè* autem non possunt, absque speciali privilegio.

Alii verò propugnant impotentiam duntaxat moralem, quæ scilicet, quamvis absolutè posset superari, ejusmodi est, ut nemo, secluso privilegio speciali, propter nimiam difficultatem, unquàm omnia venialia in totâ vitâ de facto vitaverit aut vitaturus sit. Talis impotentia, ut evidens est, nullam veram necessitatem inducit. Porrò inter probationes quibus suam hanc sententiam probare nituntur illi Theologi, huic præcipuè confidere videntur: Concil. Trid., inquiunt, eam solummodò impotentiam in can. 23 præcitato

definire voluit, cujus in Scripturâ et Traditione fit mentio: atqui in Scripturâ et Traditione mentio fit solius impotentiæ moralis. 1.° Quidem in Scripturâ, ut satis evincunt textus inter probationes relati. 2.° In Traditione; nullus enim, præter S. Hieron., afferri potest, qui impotentiæ physicæ faveat; ergo, etc. Addunt in hâc sententiâ libertatem circa venialia facilè explicari, dùm in alterâ opinione non claræ ipsis videntur responsiones quas illius patroni afferre solent ad ea quæ ipsis opponuntur.

Cæterùm prædictum omnia per totam vitam venialia peccata vitandi privilegium nulli unquàm puro homini, præterquàm B. Mariæ Virgini, concessum est; *Exceptâ S. Virgine Mariâ,* inquit S. August. lib. de Naturâ et Gratiâ, cap. 36, *si omnes alios Sanctos et Sanctas, cum hìc viverent, congregare possemus et interrogare, utrùm essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus...? Unâ voce clamâssent: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est.*

## § IV.

### *Utrùm justus sine speciali Gratiâ possit in justitiâ perseverare.*

Homo justus, vel aliquandiù tantùm, vel ad mortem usque perseverat in justitiâ. Solus posterior perseverandi modus propriè et sine addito dicitur *perseverantia;* de eoque præsertìm agitur in isto paragr. Igitur perseverantia finalis non ducit initium à quâcunque justitiâ, sed ab illâ solâ ex quâ ad mortem usque non exciditur.

Finalis autem perseverantia spectari potest,

vel quatenùs *activa*, vel quatenùs *passiva* : quatenùs activa, ipsa est in malo vitando bonoque faciendo ad mortem usque constantia; quatenùs passiva, est ipsa mors in justitiâ. Undè colliges perseverantiam finalem in adultis activam esse simul et passivam; in infantibus verò, post Baptismum, sed ante rationis usum decedentibus, passivam esse tantummodò.

His præmissis, quæritur utrùm et qualis, præter gratiam habitualem, requiratur gratia actualis, ut homo perseveret in justitiâ. Huic quæstioni respondebit

PROPOSITIO.

*Justus non potest activè perseverare solius gratiæ habitualis ope : potest autem ex ordinariis gratiæ actualis auxiliis, ita tamen ut ipsa perseverantia finalis sit donum Dei speciale.*

*Prob.* 1.ª *pars*, adversùs Semipelagianos, justo nimirùm ad activè perseverandum, præter gratiam habitualem quâ donatur, opus esse gratiâ actuali. Nam activa justi perseverantia consistit in eo quòd omnia Dei mandata ad mortem usque fideliter exsequatur : atqui non potest justus sine gratiæ actualis adjutorio omnia Dei mandata, etc. Nam omnia Dei mandata fideliter implere, est profectò facere bonum supernaturale : atqui, ex parag. 2, impar est homo justus, qui ex solâ gratiâ habituali et absque gratiæ actualis auxilio bonum ullum ordinis supernaturalis operetur; ergo, etc.

Hinc Concilium Araus. II, can. 10, sic pronuntiat : *Adjutorium Dei, etiam renatis ac Sanctis, semper est implorandum, ut ad finem*

*bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare.*

*Prob.* 2.ª *pars*, justum tamen ex ordinariis gratiæ actualis auxiliis usqûe ad finem activè perseverare posse. Nam usque ad finem activè perseverat, qui ad mortem usque Dei mandata servat : atqui justus quilibet ex ordinariis gratiæ actualis auxiliis omnia Dei mandata ad mortem usque servare potest. Auxilia enim illa non extraordinaria sunt, sed ordinaria, quæ non aliquibus tantùm sed omnibus indistinctìm justis conferuntur, iis etiam qui usque ad finem non perseverant : atqui, ex dicendis in sequenti dissertatione, nullus est justus cui, quolibet urgente præcepto, non adsit gratia sufficiens ad illud observandum ; ergo, etc.

*Prob.* 3.ª *pars*, nihilominùs perseverantiam finalem esse donum Dei speciale. Finalis enim perseverantia tanta est hominis justi in mandatis servandis constantia, ut in justitiâ certò moriatur et infallibiliter : atqui talis in bono constantia speciale Dei donum est, quod non omnibus justis indiscriminatìm, sed solis inter justos prædestinatis conceditur; ergo, etc.

Hinc perseverantia finalis multoties ab August. dicitur Dei donum per excellentiam. Sic lib. de Corrept. et Grat., cap. 6 : *Negare non possumus*, inquit, *perseverantiam in bono proficientem usque in finem, magnum esse Dei munus.* Undè Trid., Sess. 6 de Justific., can. 16, perseverantiam vocat *magnum usque in finem perseverantiæ donum.* Porrò singulare illud perseverantiæ donum, inquit S. Aug. lib. de Dono Persever., *suppliciter emerèri potest*, id est, precibus assiduis obtineri; sed de hoc paulò fusiùs ubi de Merito.

Colliges, quòd justus aliquis possit finaliter perseverare, non esse speciale Dei munus, cùm id omnibus justis conferatur; sed quòd reipsà finaliter perseveret, singulare esse Dei donum, quod solis Electis conceditur.

*Obj. contra 3.am partem propositionis :* Supponatur justus qui statim post acceptam justitiam moriatur, ut infantibus christianis contingit sæpissimè : atqui saltem in illo justo perseverantia finalis non est donum Dei speciale; ergo, etc.

*Resp.* Ipsa mors in tali circumstantià singulare beneficium est divinæ providentiæ, quæ ab æterno decrevit ut justus ille nec citiùs nec tardiùs, sed in ipso instanti quo justus foret, moreretur : *Raptus est,* inquit Sapientia, c. 4, ℣. 11 et 14, *ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius... Placita enim erat Deo anima illius : propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum.* In quibus ipsa mortis cum justitià conjunctio tanquam specialissimum divinæ misericordiæ donum commendatur.

# DISSERTATIO TERTIA.

## DE PRÆCIPUIS GRATIÆ SPECIEBUS.

Gratia in genere dividitur in actualem, quæ justitiam producit, aut saltem ad eam disponit; et habitualem, quæ justitiam formaliter constituit. De utrâque gratiæ specie duplici capite tractabitur.

# CAPUT PRIMUM.

## *De Gratiâ actuali.*

Dicemus 1.° de gratiâ actuali generatìm, 2.° de gratiâ actuali sufficiente, 3.° de gratiâ actuali efficaci, 4.° de variis Scholæ systematibus circa gratiæ actualis efficaciam vel sufficientiam.

## ARTICULUS PRIMUS.

### *De Gratiâ actuali generatìm.*

Gratia actualis ab ipso limine Tract. definita fuit, *Illa quæ per modum actûs transeuntis intellectum boni cognitione collustrat, et ejusdem amore voluntatem accendit.* Circa gratiam actualem in genere, quæritur 1.° utrùm in præsenti statu pertineat ad solum intellectum, an etiam ad voluntatem; 2.° supponendo quòd ad ipsam etiam pertineat voluntatem, utrùm omnis gratia voluntatis sit charitas.

### § I.

### *Utrùm Gratia actualis in præsenti statu pertineat etiam ad voluntatem.*

PROPOSITIO.

*Gratia actualis, in præsenti statu, non tantùm pertinet ad intellectum, sed etiam ad voluntatem.*

*Prob.* 1.° *ex Script.* Ps. 118, ℣. 36, sic legitur: *Inclina cor meum in testimonia tua.* Philipp. verò c. 2, ℣. 13, scribit Apost.: *Deus*

*est qui operatur in vobis et velle et perficere:* atqui in hoc utroque textu agitur de gratiâ, quæ voluntatem afficiat immediatè; ergo, etc.

*Prob.* 2.° *ex Concilio Milevit.* II, can. 4, juxta quem gratia actualis non in solâ consistit intellectûs illuminatione, sed et in voluntatis immediatâ motione.

*Prob.* 3.° *ex S. August.*, qui passìm in suis libris contra Pelagianos, ab ipsis exigit ut admittant gratiam internam, non tantùm intellectûs, sed et voluntatis.

## § II.

### *Utrùm omnis interior gratia voluntatis sit essentialiter charitas.*

Charitas propriè dicta, de quâ solâ hìc agitur, definiri potest, *Amor supernaturalis, quo Deus propter seipsum diligitur.* Dicitur, *supernaturalis* ut distinguatur ab amore naturali, quo Deus, ex dictis, etiam ut auctor naturæ, propter seipsum diligi potest.

Si autem amor ille non sit *super omnia*, vocatur charitas imperfecta; si verò sit *super omnia*, seu appretiativè summus, perfecta charitas appellatur. Hujus amoris actus dicitur charitas actualis; ejusdem verò habitus, charitas habitualis.

Cùm Baius, et post ipsum Jansenius, nullum medium agnoscant inter *vitiosam cupiditatem, quâ mundus diligitur, et laudabilem charitatem, quâ Deus amatur,* indè concludunt omnem omninò gratiam interiorem voluntatis essentialiter consistere in aliquo motu charitatis. Adversùs illos sit

## PROPOSITIO.

*Omnis gratia interior voluntatis non consistit in charitate.*

*Prob.* 1.° *argumento positivo.* Si omnis interior gratia voluntatis essentialiter foret charitas, omne bonum supernaturale procederet essentialiter ex charitate : atqui tamen, tum ex Scripturis, tum ex Concilio Trid., tum ex SS. PP., invictè probatur hominem lapsum posse sine charitate supernaturaliter operari.

1. Quidem ex Scripturis. Deus enim passim in illis hortatur peccatores, ut per bona opera sese disponant ad remissionem peccatorum obtinendam, ut cùm dicit, Ezech. c. 18, ℣. 30 : *Convertimini, et agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris.* Et Dan. c. 4, ℣. 24 : *Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum :* atqui opera quibus peccatores disponuntur ad justificationem, sunt supernaturalia, et tamen fiunt sine charitate habituali, quin et sine charitate actuali, saltem perfectâ ; ergo, etc.

Et certè Apostolus ita scribit, Coloss. c. 3, ℣. 12 et 14 : *Induite vos, sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam... Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Misericordia, benignitas, humilitas, modestia, patientia, de quibus hìc Apostolus, totidem sunt virtutes christianæ et supernaturales : atqui tamen supponit idem Apostolus virtutes illas in iis esse posse, in quibus nondùm sit charitas; siquidem in Christo

Colossenses obtestatur ut prædictis virtutibus, ad cumulum perfectionis, ipsam adjiciant charitatem : *Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis ;* ergo, etc.

2. Ex Concilio Trid., quod Sess. 6 de Justif., cap. 6, hoc ordine recenset dispositiones ad justificationem requisitas : *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dùm excitati divinâ gratiâ et adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera esse quæ divinitùs revelata et promissa sunt... Et dùm peccatores se esse intelligentes, à divinæ justitiæ timore quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque, tanquam omnis justitiæ fontem, diligere incipiunt.* In illâ dispositionum enumeratione, 1.° loco ponitur fides, 2.° divinæ justitiæ timor, 3.° spes divinæ misericordiæ, 4.° tandem charitas initialis, quâ nempè peccatores Deum, *tanquam omnis justitiæ fontem, diligere incipiunt.* Supponit ergo sacra Synodus peccatores, qui nondùm vel ipsum habent initium charitatis, nihilominùs per fidem, timorem et spem disponi posse ad justificationem : atqui essentialiter supernaturalis est omnis, etiam remotissima, ad justificationem dispositio; ergo, etc.

3. *Ex SS. PP.* S. Aug., Serm. 156 de Verbis Apost. : *Qui adhuc,* inquit, *ideò benè agit quia pœnam timet, Deum non amat, nondùm est inter filios ; utinam tamen vel pœnam timeat ! Timor servus est ; charitas libera est ; et ut sic dicamus, timor est servus charitatis. Ne possideat diabolus cor tuum, præcedat servus in*

*corde tuo, et servet dominæ venturæ locum.* Timor, de quo S. Doctor, *est servus charitatis*, ipsam præcedit in corde hominis, ne illud possideat diabolus; ac tandem *servat dominæ venturæ locum* : atqui talis timor supernaturalis est, simulque prævius cuilibet charitati; ergo, etc. Consentit S. Thomas 3.æ partis quæst. 85, art. 5.

Hinc illustr. Bossuetius, in libro cui titulus, *Quietismus redivivus*, sect. 4, cap. 2 : *Omnes*, inquit, *Theologi uno ore sentiunt charitatem quidem non sine fide et spe, sed fidem ac spem sine charitate esse posse; contrariamque sententiam reputant erroneam.*

*Prob.* 2.° *argumento negativo*, ipsum nempè subvertendo oppositæ sententiæ fundamentum. Ex eo potissimùm inferunt Baius et Jansenius nullam esse gratiam interiorem voluntatis, præter charitatem, quòd nullum sit medium inter laudabilem charitatem et vitiosam cupiditatem : atqui fundamentale istud Baiani Jansenianique systematis principium falsum est et absurdum. Si enim verum esset illud principium, quidquid ergo non fieret ex charitate, hoc ipso fieret ex cupiditate, proindèque foret peccatum : atqui nedùm peccatum sit quidquid ex charitate non procedit, è contrà dissert. præcedenti monstratum est, sine ullâ charitate fieri posse bonum naturale; quin et statìm probatum fuit sine illâ fieri posse bonum aliquod supernaturale; ergo, etc.

Hinc SS. Pontifices Pius V, Greg. XIII, et Urbanus VIII istam damnârunt propositionem, inter Baianas trigesimam octavam : *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, quâ mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, quâ per*

*Spiritum Sanctum in corde diffusâ, Deus amatur.*

*Obj.* Quilibet amor vel hæret in Deo, vel in creaturâ : si in Deo hæreat, est propriè dicta charitas; si in creaturâ, est vitiosa cupiditas; ergo, etc.

*Resp. Nego min.* Omnis quidem amor qui hæret in creaturâ, id est, in creaturâ tanquam ultimo fine conquiescit, est vitiosa cupiditas : sed reciprocè dici nequit omnem amorem qui hæret in Deo, id est, ad Deum tanquam finem ultimum terminatur, esse propriè dictam charitatem. Amor enim quo Deum aliquis diligit tanquam finem suum ultimum naturalem, ad Deum profectò tanquam ultimum finem refertur, nec tamen est propriè dicta charitas.

Quæ hìc ex Scripturis, SS. PP. ac præsertìm Augustino possent objici, præoccupata sunt dissertationis præcedentis cap. 2, art. 1, parag. 1.

### SCHOLIUM.

Opinantur Scholæ Lovaniensis Theologi Christianos, præcepto divino et positivo, teneri omnes et singulas actiones ex motivo charitatis actualiter ad Deum referre, ita ut quicunque huic relationi liberè deest, in suo opere, quantumvìs de se, id est ratione objecti, circumstantiarum et finis bono, peccet peccato omissionis quo agens, *non autem actio ejus,* vitiatur. Verùm, quod hìc sedulò notari volumus, hæc opinio maximè distinguenda est à suprà dictâ doctrinâ de duplici amore, cupiditatis scilicet et laudabilis charitatis; ista enim damnata est, ut jam diximus, illa verò à Theologis de Ecclesiâ benè meritis tutò propugnatur.

## ARTICULUS II.

### *De Gratiâ sufficiente.*

Dicendum 1.° de gratiæ sufficientis existentiâ, 2.° de illius distributione.

### § I.

### *De existentiâ Gratiæ sufficientis.*

Gratia purè sufficiens, de quâ solâ hìc agitur, comparatè ad gratiam efficacem, definitur, *Gratia cum quâ homo, non tantùm absolutè, sed et relativè ad omnes in quibus versatur circumstantias, potest bonum operari; cum quâ tamen, defectu liberæ cooperationis, bonum non operatur.*

Illa verò gratia vel est proximè, vel tantùm remotè sufficiens. Est proximè sufficiens, si det proximam seu immediatam potentiam ad exsequendum opus quod ultimatìm intenditur à Deo; v. g., ad continentiæ præceptum observandum; est verò duntaxat remotè sufficiens, si non det quidem potentiam immediatam ad agendum opus ultimatìm intentum à Deo, sed det tamen vires immediatè sufficientes ad implorandum per orationem Dei auxilium, quo hæc immediata potentia conferatur. Hinc gratia remotè sufficiens sub uno respectu, semper est proximè sufficiens sub alio.

Jansenius, post Lutherum et Calvinum, ut vidimus in parte historicâ, non aliam gratiam admisit in præsenti statu, præter efficacem. Gratiam autem exposito sensu sufficientem sugillat *veluti monstrum quoddam singulare gratiæ, so-*

*lummodò peccatis faciendis majorique damnationi accersendæ serviens*, lib. 3 de Gratiâ Christi alv. cap. 3. Adversùs istud erroris portentum, sit

PROPOSITIO.

*In præsenti statu naturæ lapsæ, Gratia datur exposito sensu sufficiens.*

*Prob.* 1.° *ex Script.* Proverb. c. 1, ℣. 24, 25 et 26, populum suum sic objurgat Dominus : *Vocavi, et renuistis : extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo.* Isaiæ c. 5, ℣. 3, 4, 5 et 7, Dominus sub figurâ vinitoris ita conqueritur de domo Israel, quam vineæ comparat : *Judicate inter me et vineam meam. Quid est quod debui ultrà facere vineæ meæ, et non feci ei?... Exspectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas... Auferam sepem ejus, et erit in direptionem... Vinea Domini exercituum, Domus Israel est.* Matth. c. 23, ℣. 37, Christus Jerusalem sic compellat : *Jerusalem,.. quoties volui congregare filios tuos, quemadmodùm gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti.* Deniquè, ne plura referam, Act. c. 7, ℣. 51, Judæos sic increpat Stephanus : *Durâ cervice et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis.*

Ex his autem et aliis quæ possent afferri Scripturarum locis, hoc unum, sed invictum, argumentum conficimus : In illis textibus Judæos ex eo gravissimè corripit Dominus, quòd non conversi sint per gratias, quas ipsis contulerat ut sese converterent; imò in pervicaciæ pœnam iis maxima

mala comminatur : *In interitu vestro rideo et subsannabo; Auferam sepem ejus, et erit in direptionem :* atqui non absurdè minùs quàm injustè Judæos ex eo redargueret Dominus, quòd per gratiam non conversi sint, injustiùs adhuc in eosdem, eam ob causam, punitiones decerneret, nisi veram, expeditam, et mediatam saltem haberent sese convertendi potentiam; igitur in omnibus citatis textibus supponitur esse gratias quæ frustrentur effectu, cui tamen producendo vires præstent, non *absolutè* tantùm, sed et *relativè* sufficientes.

Nec dicatur cum nonnullis Jansenii discipulis, in textibus laudatis agi tantummodò de gratiâ exteriori, qualis missio Prophetarum, patratio miraculorum, etc., minimè verò de gratiâ interiori, quæ animam immediatè afficiat et intrinsecè. Ut enim statìm probatum est, talis fuit illa gratia, ut Judæi cum illâ verè et *relativè* potuerint sese convertere, pœnitentiam agere, suamque salutem operari : atqui nullus dicet, nisi Pelagianus, hominem lapsum cum solâ gratiâ exteriori, nulloque accedente gratiæ interioris auxilio, veram et perfectam habere salutem operandi potentiam; ergo, etc.

*Prob.* 2.° *ex Conciliis.* Concilium Araus. II, can. 25, sic definit : *Hoc secundùm fidem catholicam credimus, quòd, acceptâ per Baptismum gratiâ, omnes baptizati, Christo auxiliante et cooperante, quæ ad salutem animæ pertinent possint et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.* Igitur *secundùm fidem catholicam credendum est* omnibus baptizatis inesse gratiam interiorem, quâ *ad salutem animæ pertinentia possint et debeant... adimplere :* atqui

tamen constat plerosque baptizatos non adimplere quæ ad salutem animæ pertinent; ergo, etc.

Tridentinum, Sess. 6, de Justific., cap. 11: *Deus*, inquit, *suâ gratiâ semel justificatos non deserit, nisi ab eis priùs deseratur*. Quid est autem Deum *priùs* ab hominibus deseri, nisi hominem Dei gratiæ resistere, eamque privare effectu ad quem datur? Et ejusdem Sess. cap. 13: *In Dei auxilio firmissimam spem collocare et reponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle et perficere*. Supponit ergo sacra Synodus hominem sæpiùs Dei *gratiæ deesse*, id est, illud cum gratiâ non facere, quod cum illâ facere potest.

*Prob.* 3.° *ex SS. Pontif.* Probatum est in parte historicâ, Constitutiones quibus SS. Pontifices, Innoc. X, Alex. VII, et Clemens XI, proscripserunt quinque famosas propositiones, irrefragabilia esse universalis Ecclesiæ judicia: atqui, ex damnatis illis quinque propositionibus, directè contradicunt nostræ propositioni, 1.ª *Aliqua Dei præcepta hominibus justis, etc.*, et præsertim 2.ª: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquàm resistitur*; ergo, etc. Accedit Constitutio Pii VI, *Auctorem fidei*, in quâ damnatur propositio Synodi Pistoiensis n. 21, tanquam *inducens in errorem in 2.â Jansenii propositione damnatum ut hæreticum, eumque renovans*.

*Prob.* 4.° *ex SS. PP.* Ad instar cæterorum unum proferam Augustinum, eo quòd adversarii de illo ferè solo glorientur. Centies asserit Yprensis nostram de gratiâ sufficienti doctrinam ab Augustino propugnari pro statu naturæ in-

nocentis, nec ab eodem rejici, nisi pro nostro præsenti statu. Quin lib. de Gratiâ primi hominis et Angelorum, cap. 14, pag. 63, expressè dicit *adjutorium sine quo,* quod unum in Adamo innocente agnovit Augustinus, ipsi *non aliud fuisse... quàm id quod Schola passìm sufficiens vocat.* Ita quoque, post magistrum, omnes discipuli. Si igitur eodem planè modo loquatur S. Doctor de gratiâ quam habet justus præsentis statûs ad non peccandum, quandò peccat, ac de gratiâ quam Adamus innocens habebat ad perseverandum, quandò lapsus est, fateantur oportet Augustinum non minùs pro statu naturæ lapsæ, quàm pro statu naturæ innocentis gratiam purè sufficientem admisisse : atqui reipsâ verbis iisdem loquitur Augustinus, tum de gratiâ, etc.

De adjutorio enim cum quo perseverare poterat Adamus innocens, et cum quo non perseveravit, sic habet, lib. de Corrept. et Grat. cap. 11 : *Quod adjutorium si homo ille per liberum non deseruisset arbitrium, semper esset bonus : sed deseruit, et desertus est.* De gratiâ verò cum quâ justus in præsenti statu mandata servare potest, cum quâ tamen illa non servat, ita loquitur, ejusdem lib. cap. 6 : *Si autem jam regeneratus et justificatus in malam vitam suâ voluntate relabitur, certè iste non potest dicere, Non accepi, quia acceptam gratiam suo libero amisit arbitrio :* atqui idem est utrinquè loquendi modus; ergo, etc.

*Prob.* demùm 5.° duplici *Ratione theologicâ.* 1.ª Vel homo non servans mandatum cujus ipsum urget obligatio, gratiam habet quâ possit actualiter et *relativè* ad hìc et nunc stimulantes

tentationes illud observare, vel non habet : si talis adsit ipsi gratia, erit gratia dicto sensu merè sufficiens, cùm non producat effectum ad quem producendum conceditur, nimirùm observationem mandati; si verò talis ipsi desit gratia, cùm ad impossibile nemo teneatur, nec ipse tenebitur ad istud mandatum exsequendum; quod tamen est contra hypothesim, juxta quam, ipsum urget illius mandati obligatio; ergo, etc.

Reponunt quidem adversarii, *homini lapso, etiam sine gratiâ, possibilia esse mandata.* Verùm istud ipsis effugium jamdudùm præclusum est. Divina namque mandata vel sunt ordinis supernaturalis, vel ordinis naturalis : atqui, ex dissert. præcedenti, nulla prorsùs ordinis supernaturalis, naturalis verò nonnisi paucissima mandata, eaque facillima, possunt ab homine lapso sine gratiâ servari; ergo, etc.

2.ª Absurdum est nullum esse hominem in cœlis, vel terris, imò vel inferis, qui non possit jure gloriari se vitâsse malum omne quod potuit vitare, fecisseque bonum omne quod facere potuit : atqui posito quòd, ut vult Jansenius, præter gratiam efficacem, nulla sit gratia verè sufficiens, nullus unquàm exstitit vel existet homo, qui de hoc non possit meritò gloriari. Ille namque jure gloriari potest se vitâsse malum omne quod vitare potuit, sicut et fecisse bonum omne quod facere potuit, qui vitare non potuit nisi malum quod vitavit, nec facere nisi bonum quod fecit : atqui si, præter gratiam efficacem, nulla sit gratia dicto sensu sufficiens, nullus unquàm fuit homo lapsus qui veram et *relativam* habuerit potestatem vitandi mali quod non vitavit, vel faciendi boni quod non fecit, cùm

talem potestatem solâ dari posse gratiâ sufficiente, vel una demonstret illius gratiæ definitio; ergo, etc.

*Solvuntur Objectiones.*

*Obj.* 1.° ex Scripturis: 1. Joan. c. 6, ℣. 45: *Omnis qui audivit à Patre, et didicit, venit ad me;* nullus igitur internæ vocationi seu gratiæ interiori resistit, proindèque nulla est gratia purè sufficiens.

2. Rom. c. 9, ℣. 19, ait Apostolus: *Voluntati ejus* (Dei) *quis resistit?* atqui homo gratiam habens merè sufficientem, Dei voluntati resisteret; ergo, etc.

3. Idem Apost., ejusdem capitis ℣. 15, Deum inducit sic loquentem: *Miserebor cujus misereor: et misericordiam præstabo cujus miserebor:* undè statìm concludit gratiam *non esse volentis, neque currentis, sed miserentis esse Dei;* ergo non est penes hominis voluntatem, gratiæ consentire vel dissentire, ideòque omnis gratia est efficax.

4. Demùm, I Cor. c. 4, ℣. 7: *Quis te discernit?* ait idem Apostolus; *quid autem habes quod non accepisti?* porrò, si daretur gratia, sensu prædicto sufficiens, posset homo sese per arbitrii sui vires ab aliis discernere, et aliquid *habere quod non accepisset;* ergo, etc.

*Resp. ad* 1.um *et* 2.um Ex illis similibusve Scripturarum locis probatur quidem dari gratias efficaces, atque in Deo esse voluntates absolutas. Sed ex iisdem nunquàm probabitur omnes omninò gratias esse efficaces, omnesque Dei voluntates esse absolutas: quemadmodùm, vice versâ, ex textibus inter probandum citatis colligitur

quidem dari gratias sufficientes, in Deoque esse voluntates conditionatas; minimè verò, nullam esse gratiam nisi sufficientem, nullamque in Deo esse voluntatem, præter conditionatam. Hæc responsio fusiùs evolvitur in *Tract. de Deo*, ubi de Voluntate Dei circa salutem eorum qui non salvantur.

*Resp. ad* 3.um Si in seipsis perpendantur Domini verba, *Miserebor, etc.*, quæ ex lib. Exod. c. 33, ℣. 19, deprompsit Apostolus, statìm videbitur ea non esse de gratiæ efficacitate, sed gratuitate intelligenda. Nec aliter ab ipso intellecta sunt Apostolo. Nam ex his sic concludit: *Igitur non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, id est, si homini gratia conferatur, donum istud non ipsius est conatibus et meritis, sed soli Dei misericordiæ tribuendum: quibus gratiæ quidem gratuitas, non autem efficacitas commendatur.

*Resp. ad* 4.um Quòd homo gratiæ reluctetur, id quidem est ad ejus solam libertatem, vel potiùs pravitatem referendum. Sed quòd gratiæ obsequatur, illud magìs est divinæ gratiæ quàm humanæ voluntati tribuendum. Ipse namque *Deus est*, ait Aug. lib. de Gratiâ et libero Arbit. cap. 17, *qui præparat voluntatem, et cooperando perficit quod operando incœpit.*

*Obj.* 2.° ex S. Aug., qui lib. 8 de Prædest. SS. cap. 8, super citata Christi Domini verba, *Omnis qui audivit à Patre, et didicit, etc.*, sic habet: *Si omnis qui audivit à Patre, et didicit, venit, profectò omnis qui non venit, non audivit à Patre, nec didicit. Nam, si audivisset et didicisset, veniret.* Igitur, si fides Augustino, quoties homo bonum aliquod non facit,

certò concludendum est ipsi defuisse gratiam ad illud faciendum; atqui inepta foret consecutio, si daretur gratia purè sufficiens; ergo, etc.

*Resp.* Fateor gratiam, de quâ Augustinus in loco objecto, suo cum effectu certò et infallibiliter conjungi, seu ipsam esse gratiam efficacem. Sed alii sunt innumeri S. Doctoris textus, in quibus non minùs perspicuè loquitur de gratiâ quæ suo frustretur effectu, adeòque sit in exposito sensu merè sufficiens. Nam, præter ipsius verba inter probationes citata, hæc iterùm habentur, lib. 83 Quæstionum, quæst. 68: *Itaque nec illi debent sibi tribuere, qui venerunt, quia vocati venerunt: nec illi qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantùm sibi; quoniam, ut venirent, vocati erant in liberâ voluntate.* Idem repetit lib. 1 ad Simplic. quæst. 2.

*Inst.* 1.° Idem S. Doctor, lib. de Gratiâ et libero Arbitrio, cap. 17: *Qui vult*, inquit, *facere Dei mandatum et non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam et invalidam: poterit autem, cùm magnam habuerit et robustam.* Supponit igitur August. dari gratiam quâcum homo *vult* facere Dei mandatum, et *non potest,* quæ proindè non dat ipsi veram et *relativam* complendi mandata potentiam.

*Resp.* Supponit quidem S. Doctor dari gratiam quâ homini non conferatur proxima et immediata mandatis obsequendi potentia; minimè verò, quâ ne remota quidem et mediata. Centies enim docet homini semper adesse gratiam quâ possit orare, et orando potentius obtinere subsidium, quo proximè et immediatè possit urgens mandatum perficere. Ipsius objecti libri cap. 16

sic loquitur : *Ideò jubet* (Deus) *aliqua quæ non possumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus. Ipsa est enim fides, quæ orando impetrat quod lex imperat.*

*Inst.* 2.° Gratia sufficiens nihil aliud est quàm *adjutorium possibilitatis*, admissum à Pelagianis: atqui *adjutorium possibilitatis* in Pelagianis acriter profligavit Augustinus, solemniterque proscripsit Ecclesia; ergo, etc.

*Resp. Nego maj.* Multiplex est discrimen inter gratiam sufficientem, qualis à nobis admittitur, et adjutorium possibilitatis quale à Pelagianis admissum est. 1.° Pelagiani suum adjutorium possibilitatis in lege tantùm atque doctrinâ, vel, ad summum, juxta multos, in aliquâ mentis illustratione reponebant. Nos verò gratiam sufficientem etiam in internâ motione voluntatis reponimus. 2.° Dicebant Pelagiani adjutorium possibilitatis esse necessarium duntaxat *secundùm quid*, id est, ad faciliùs operandum. Nos verò dicimus gratiam sufficientem *absolutè* necessariam esse ad bonum faciendum. 3.° Pelagiani docebant suo adjutorio possibilitatis ita voluntatem juvari ad volendum et agendum, ut tamen sola voluntas propriâ virtute vellet et ageret. Nos contrà sic profitemur voluntatem ope gratiæ sufficientis posse velle et agere, ut, si velit et agat, Deus magìs quàm ipsa in ejus volitionem influat et actionem.

*Obj.* 3.° ex ratione : Non potest admitti gratia quæ Deo sit injuriosa, homini inutilis, quin et ipsi perniciosa : atqui talis est gratia sufficiens.

1.° Quidem Deo est injuriosa : nam ejus ipsa definitio supponit et importat hominem divinæ voluntati resistere. 2.° Homini est inutilis; cùm talis sit, sicut ait Jansenius, lib. 3 de Gratiâ Christi

Salvat. cap. 3, ut *eâ adjuvante, nullum unquàm opus factum sit, aut fiat unquàm.* 3.° Homini est perniciosa : *Quid* enim *homini misero perniciosius,* inquit idem Jansenius ibid.cap. 2, *quàm illâ gratiâ abundare, quâ nemo unquàm, fatentibus etiam Scholasticis, nisi majorem damnationem assecutus est?*

*Resp. ad* 1.$^{um}$ Deo quidem omnipotenti summam faceret injuriam, qui supponeret hominem resistere ejus absolutæ voluntati. Sed in Deum nequaquàm injuriosus est, qui supponit tantùm hominem resistere Dei voluntati conditionatæ, quâ nempè Deus aliquid velit sub conditione, quam ipse in libero hominis arbitrio posuerit. Porrò, quandò Deus dat homini gratiam sufficientem ad aliquod mandatum servandum, nedùm absolutè velit mandatum istud observari, non vult nisi sub conditione, quam ab æterno scit implendam non esse; sub conditione scilicet, quòd homo consentiat isti gratiæ, cui tamen, ex hypothesi, et ex suâ culpâ dissensurus est.

*Resp. ad* 2.$^{um}$ Quòd cum gratiâ sufficiente *nullum unquàm opus factum sit, aut fiat unquàm,* quidquid dixerit Jansenius, non ita mirum videri debet, cùm gratia sufficiens, prout est merè sufficiens, et opponitur efficaci, definiatur illa quæ, ex culpâ hominis, fraudatur effectu, ad quem producendum conceditur. Cæterùm, si hæc gratia homini semper sit inutilis, illud nunquàm est ex hujus gratiæ infirmitate repetendum, sed semper ex pravitate voluntatis, quæ isti gratiæ dissentit, cùm illi posset et deberet consentire.

*Resp. ad* 3.$^{um}$ Non ipsa gratia sufficiens, sed solus gratiæ sufficientis abusus homini perniciosus est et funestus. Quis enim dixerit ipsa perniciosa

esse sacramenta, ex eo quod illis plerique Christiani suam in perniciem abutantur? Nedùm enim ex se homini nociva sit gratia sufficiens, ipsi summæ est utilitatis, imò necessitatis; siquidem ab illâ completam et perfectam habet mali vitandi bonique faciendi potestatem.

Quàm meritò igitur, anno 1690, Alexander VIII sequentem confixit Synnichii propositionem : *Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis quàm perniciosa est; sic ut meritò possimus petere : A gratiâ sufficienti libera nos, Domine.*

*Inst.* Si gratia sufficiens homini verè foret utilis, illam homo posset à Deo petere : atqui absurdè peteretur à Deo gratia sufficiens; ergo, etc.

*Resp. Dist. min.* Si gratia sufficiens spectetur ut *merè* sufficiens, id est, quatenùs voluntas ei resistit, sub illo quidem respectu nonnisi absurdè peteretur à Deo, cùm idem foret ac à Deo peti gratiæ contemptum et abusum. Verùm, si eadem gratia consideretur prout est *verè* sufficiens, nobisque perfectam confert mandata servandi potestatem, illam à Deo postulare possumus et debêmus; ipsamque pro nobis postulat Ecclesia, quoties sic orat generatìm : *Gratiam tuam, Domine, mentibus nostris infunde, etc.* Hâc enim oratione generali et indefinitâ omnem indistinctim gratiam petit, quâ nostram possimus salutem operari : atqui talis est profectò quælibet gratia, sensu catholico sufficiens.

SCHOLIUM.

Vix unum est ex objectis argumentis, quod non possit multò magis contra Jansenium intorqueri. Nam 1.°, cùm pleraque hæc argumenta eò

tendant ut gratiam sufficientem suâmet naturâ impossibilem demonstrent, hujus proindè gratiæ possibilitatem non minùs impugnant pro statu naturæ innocentis, quàm pro statu naturæ lapsæ: atqui tamen sciunt omnes Jansenium eamdem omninò pro statu naturæ innocentis admisisse gratiam sufficientem, quam ipsi nos pro statu naturæ lapsæ admittimus; ergo, etc. 2.° Docet Jansenius, ut vidimus in parte historicâ, nullum esse peccatorem, in quo sic dominetur delectatio terrena seu concupiscentia, ut in ipso nihil prorsùs remaneat delectationis cœlestis seu charitatis; hæcque charitas concupiscentiæ inferior, Jansenianis in partibus, nomine *gratiæ parvæ* designatur: porrò, quidquid contra sufficientem Catholicorum gratiam deblaterat Yprensis, ejusdem *parvæ gratiæ* multò meliùs applicatur. Hæc enim enormis est differentia inter gratiam sufficientem, qualis à Catholicis, et *parvam gratiam,* qualis à Jansenio defenditur, quòd homo cum gratiâ sufficienti certò quidem peccet, sed tamen liberè; cum *parvâ* autem *gratiâ* Jansenii non certò tantùm, sed et necessariò, sicut probatum est in parte historicâ.

## § II.

### *De Distributione Gratiæ sufficientis.*

Expendemus 1.° utrùm dentur gratiæ sufficientes justis omnibus, 2.° an peccatoribus etiam obduratis, 3.° an infidelibus, 4.° an Judæis in antiquâ lege concessæ fuerint, 5.° tandem an omnibus infantibus sint præparatæ.

I.

## I.

### *Utrùm Justis omnibus dentur Gratiæ sufficientes.*

Circa hanc quæstionem erraverunt, 1.° Lutherus et Calvinus. Cùm enim velint, ut suprà vidimus, omnia et singula justorum opera, ob inhærentem concupiscentiæ labem, essentialiter esse peccata; volunt hoc ipso nullum esse justum in præsenti statu, qui, quâcunque gratiâ præventus supponatur, possit ullum Dei mandatum, ut pars est, adimplere.

2.° Jansenius, præsertim lib. 3 de Gratiâ Christi Salv. cap. 13, et post illum Arnaldus, dissert. de Gratiâ efficaci part. 1. Isti quidem non docent cum Luthero et Calvino, omnia prorsùs, sed *aliqua* tamen *Dei præcepta hominibus justis volentibus et conantibus secundùm præsentes quas habent vires, esse impossibilia; deesse quoque illis gratiam quâ possibilia fiant.* Ipsa est propositio prima inter quinque famosas. Ad errores illos confutandos, sit

#### PROPOSITIO.

*Justo cuilibet adest gratia sufficiens, quâ possit urgens quodlibet mandatum hìc et nunc observare.*

*Prob.* 1.° *ex Apost.* I Cor. c. 10, ℣. 13 : *Fidelis Deus est*, inquit, *qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* De omnibus quidem hominibus, sed præsertim de omnibus justis, hæc verba debent intelligi : atqui sanè justi tentarentur *supra id quod pos-*

*sunt sustinere,* si, urgente præcepto, deesset ipsis gratia sufficiens ad illud observandum; ergo, etc.

*Prob.* 2.° *ex Conciliis :* Concilio Araus. II, can. 25, suprà inter probationes præcedentis paragr. relato. Et Tridentino, Sess. 6 de Justif., cap. 11 : *Nemo,* ait, *temerariâ illâ et à Patribus sub anathemate prohibitâ voce uti debet, Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non jubet; sed jubendo monet, et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis.* Quæ verba deprompsit sacra Synodus ex Aug. lib. de Naturâ et Grat. cap. 43. Et ejusdem Sess. can. 18 : *Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam justificato et sub gratiâ constituto esse ad observandum impossibilia; anathema sit.*

*Prob.* 3.° *ex SS. Pontif.* Pius V et Gregorius XIII suis Constitutionibus damnârunt istam propositionem, inter Baianas quinquagesimam quartam : *Definitiva hæc sententia, Deum homini nihil impossibile præcepisse, falsò tribuitur Augustino, cùm sit Pelagii.* Innocentius verò X, in suâ Constit. anni 1653, *temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam declarat, et uti talem damnat* primam Jansenii propositionem, *Aliqua Dei præcepta justis volentibus, etc.* Ex probatis autem in parte historicâ, citatæ Constitutiones infallibilia sunt Ecclesiæ judicia, ergo, etc.

Ex ipso tenore hujus propositionis sequitur, ejus damnationi sicut par est non assentiri, qui *in justis volentibus et conantibus secundùm præsentes quas habent vires,* admiserit tantummodò gratiam, quâ *velint et conentur* urgens mandatum exsequi; non autem, quâ *pos-*

*sint* illud completæ et perfectæ exsecutioni demandare.

*Prob.* 4.° *auctoritate S. August.*, quâ potissimùm abutuntur adversarii. Lib. enim de Naturâ et Gratiâ, cap. 26, sic loquitur : *Medicus homo, cùm sanaverit hominem... dimittit. Ipse autem Deus, cùm... justificat impium, et cùm ad perfectam sanitatem justitiamque perduxerit, non deserit, si non deseratur, ut piè semper justèque vivatur :* atqui Deus hominem justificatum priùs desereret quàm ipse desereretur, si illi gratiam ad hic et nunc urgens mandatum servandum necessariam denegaret ; ergo, etc. Lib. autem de Corrept. et Grat. cap. 7 : *Corripimus eos*, inquit, *justèque corripimus, qui, cùm benè viverent, non in eo perseverârunt. Ex bonâ quippe in malam vitam suâ voluntate mutati sunt.* Addit autem hanc eorum excusationem, *Perseverantiam non accepimus quâ permaneremus in bono*, inanem fore in die Judicii, quoniam illorum cuique dici potest : *In eo quod audieras et tenueras, in eo perseverares, si velles.*

*Prob.* tandem 5.° *Ratione theologicâ.* Deus nulli prorsùs homini, minùs adhuc homini justo, præcipere potest aliquid impossibile : *Quis non clamat*, inquit Aug. lib. de Fide, contra Manichæos, cap. 10, *stultum esse præcepta dare ei, cui liberum non est quod præcipitur facere ?* Atqui, si justo, quem urget præceptum, omnis desit gratia quâ possit illud observare, Deus, ut evidens est, ipsi aliquid impossibile præcipiet ; ergo, etc.

## *Solvuntur Objectiones.*

*Obj.* 1.° cum Jansenio : Licèt homini justo desit gratia sufficiens ad aliquod Dei mandatum implendum, nihilominùs mandatum istud ipsi tantùm est possibile, quantùm sufficit ut Deus ei jubeat illud adimplere. Quamvis enim aliquis justus non habeat gratiam sufficientem ad aliquod servandum mandatum, nihilominùs 1. istud, non quidem *relativè* ad dominantem hic et nunc concupiscentiam, sed *absolutè* tamen implere potest; 2. id certò impleret, si vellet, etsi velle non possit; 3. illud perfectè posset implere, nisi Adamus peccâsset : atqui sufficit vel uno ex tribus prædictis sensibus esse possibile mandatum, ut Deus urgere possit ejus observationem, inobservantiamque punire; ergo à fortiori, si hoc triplici sensu possibile sit.

*Resp. Nego min.* Ex tribus illis mandata servandi potentiis, quas in justis omni gratiâ destitutis lubenter admittunt adversarii, nulla est quæ verè et propriè *potentia* dici possit, adhocque sufficiat ut Deus instantis mandati jubeat exsecutionem, vel puniat infractionem.

Non prima, quâ mandatum in se quidem et *absolutè*, non *relativè* tamen ad hic et nunc titillantes tentationes impleri possit. Nam homo sanos oculos habens absurdè legere juberetur, si deesset ipsi lumen sufficiens ad legendum : atqui tamen *absolutè* et in aliâ hypothesi legere posset homo iste, si nimirùm ipsi daretur lumen ad legendum necessarium. Itaque ut alicui rationabiliter præcipiatur aliquid hic et nunc agere, non satis est ut illud agere possit pro alio tem-

pore ; sed requiritur ut id facere possit hoc ipso instanti quo faciendum injungitur.

Non etiam secunda potentia, quâ videlicet homo mandatum implere possit, si velit, licèt velle non possit. Quoties enim dicimus aliquem hominem hoc vel illud facere posse, si velit, semper affirmamus aut saltem supponimus eum hoc vel illud velle posse, adeò ut, si id velle non possit, absurdè et illusoriè dicatur id posse facere, si velit. Quis, v. g., ausit dicere Deum posse peccare, Deum posse mentiri? Atqui tamen Deus peccaret, si vellet peccare; mentiretur, si vellet mentiri : quamvis neutrum velle possit; ergo, etc.

Non demùm tertia, quâ scilicet justus tale præceptum implere posset, si Adamus non peccâsset. Nam, si talis potestas sufficiat ut Deus aliquid homini lapso præcipiat, nobis præcipere poterit non mori, nec indeliberatos concupiscentiæ motus experiri. Si enim Adamus non peccâsset, non moreremur, nec indeliberatos concupiscentiæ motus experiremur. Itaque, quamvis actualis impossibilitas alicujus exsequendi mandati, in quâ versaretur justus, ex protoparentis peccato proflueret, nihilominùs stultum foret et iniquum actualem ab illo justo talis mandati exsecutionem exigere. Nonne enim stultus haberetur herus, si servo suo, qui etiam culpâ suâ sibi crura fregisset, currere præciperet? Nonne meritò feritatis argueretur, si servum istum ideò virgis cæderet, quòd, fractis cruribus, non curreret?

*Obj.* 2.° exemplum S. Petri : Petrus justus erat antequàm Christum negaret, secundùm illud ipsius Christi, Joan. c. 13, ℣. 10 : *Vos*

*mundi estis ; sed non omnes*, quâ restrictione solus Judas excipitur : atqui tamen Petro defuit gratia sufficiens ad Christum confitendum. Ipsi enim, ibid. ℣. 36, ait Christus : *Non potes me modò sequi : sequeris autem posteà ;* ergo, etc. Ita Jansenius, ac præsertìm Arnaldus, in dissert. de Gratiâ efficaci.

*Resp.* 1.° Petrus quidem justus erat, quandò Christus, ipsum unà cum cæteris Apostolis alloquens, dixit : *Vos mundi estis, sed non omnes.* At paulò post, et antequàm Christum negaret, exciderat à justitiâ, ubi nempè, suis viribus nimiùm confidens, temerariâ præsumptione magistro respondit, Matth. c. 26, ℣. 33 : *Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquàm scandalizabor ;* et ℣. 35 : *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Ad hoc enim Petri responsum respiciens Chrysost., Homiliâ 93 in Matth. : *Nimiùm*, inquit, *sibi confisus hæc dicebat, et in alios insurgebat dicens : Et si omnes scandalizati, etc.* Augustinus verò, Serm. 284 : *Præsumpserat ille in viribus suis, non de Dei dono, sed de libero arbitrio.*

2.° Supponendo Petrum, quandò magistrum negavit, adhuc fuisse justum, saltem nunquàm probabitur ipsi hoc in instanti defuisse gratiam ad magistrum confitendum necessariam. Objecta namque verba Christi, *Non potes me modò sequi : sequeris autem posteà*, non ad Christum confitendi præceptum, sed ad ipsum, quod tunc non urgebat, pro Christo moriendi mandatum referuntur. Dixerat enim Petrus magistro suo : *Domine, quò vadis?* Reponit verò Christus : *Quò ego vado, non potes me modò sequi : sequeris autem posteà ;* hoc unum signifi-

cans, nondùm quidem venisse, sed aliquandò venturum esse tempus, quo Petrus idem supplicium pro magistro pateretur, quod ipse magister jam passurus erat pro omnibus hominibus.

*Inst.* ex SS. Chrysost. et August. S. Chrysost., Homil. 31 in Epist. ad Heb., sic habet: *Negatio Petri non tam erat socordiæ ac negligentiæ, quàm ex eo quòd Deus eum deseruerat... ut sciret quòd absque Deo nihil potest fieri;* ergo, juxta Chrysostomum, negatio Petri repeti debet ex eo quòd fuerit à Deo derelictus: atqui à Deo derelinqui, nihil aliud est quàm gratiâ ad urgens mandatum servandum necessariâ privari; ergo, etc. August. verò, Serm. 124 de Tempore: *Quid est,* inquit, *homo sine gratiâ Dei, nisi quod fuit Petrus, cùm negaret Christum....? Et ideò Petrum Dominus paululùm subdeseruit, ut in illo totum humanum genus possit agnoscere, nihil se sine Dei gratiâ prævalere;* hæc igitur fuit Augustini sententia, Petrum fuisse *sine gratiâ Dei...* cùm negaret Christum.

*Resp.* Quandò SS. Chrysost. et Aug. aliive PP. dicunt Petro Christum neganti gratiam defuisse ad Christum confitendum, non de omni gratiâ loquuntur, etiam de illâ quæ ad orandum viresque sufficientes impetrandas sit necessaria; sed de solâ gratiâ efficaci, quâ nimirùm Petrus adjutus, magistrum infallibiliter confessurus erat; quâ verò destitutus, liberè quidem, sed certò tamen illum erat negaturus. Nisi enim de solo posteriori gratiæ genere loquantur illi PP., secum ipsi pugnabunt evidenter, cùm alibi doceant expressè Petro, ne Christum negaret, aliquam gratiam adfuisse. Nam Chrysostomus,

Homiliâ 83 in Matth., sic ait : *Cùm dicendum esset : Opem nobis feras, ne scandalizemur; è contrà nimiùm sibi arrogans... totum sibi attribuebat.* Quibus verbis agnoscit Petro datam esse gratiam orationis, quâ divinum potuisset auxilium implorare.

Augustinus verò, lib. de Unitate Ecclesiæ, cap. 9, ait : *Petrus, si voluisset, ter Dominum non negâsset.* Quæ verba prorsùs nugatoria sunt et ridicula, si Petro defuerit gratia, quâ magistrum suum verè potuerit confiteri. Cæterùm Sermo 124 de Tempore, undè textus objectus depromitur, non ipsius est Augustini, tum quia Sermonis hujus stylus ab Augustini stylo penitùs abhorret; tum quia in eo dicitur culpam Petri fuisse *exiguam*, quam tamen ubiquè gravissimam prædicat S. Doctor. Hinc in novâ Augustini edit. Sermo ille fuit à PP. BB. inter opera S. Doctori mendaciter adscripta relegatus.

Meritò igitur sacra Facultas Parisiensis, in suâ censurâ 1 Febr. anni 1656, sequentem notavit Antonii Arnaldi propositionem : *SS. PP. nobis in B. Petro exhibent hominem justum, cui gratia, sine quâ nihil possumus, in eâ defuit occasione, in quâ eum non peccâsse dici non potest.*

*Obj.* 3.° S. Aug., lib. de Dono Perseverantiæ, cap. 22, docet istam sententiam, *Et si qui estis qui obeditis, si prædestinati estis rejiciendi, substrahentur obediendi vires, ut obedire cessetis*, docet, inquam, hanc sententiam durioribus quidem exprimi verbis, sed tamen, quoad rem ipsam, posse defendi : atqui hujus sententiæ sensus est, justis non prædestinatis substrahi gratiam ipsis necessariam ad perseverandum in justitiâ,

id est, ad Dei mandata ad finem usque servanda; ergo, etc. Insuper fatentur omnes Augustinum, per *adjutorium sine quo* Adamus perseverare non poterat, intellexisse gratiam merè sufficientem perseverantiæ : atqui testatur expressè S. Doctor justis præsentis statûs aliquandò deesse adjutorium *sine quo : Nunc autem,* inquit lib. de Corrept. et Grat. cap. 11, *quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est ;* ergo, etc.

*Resp. ad* 1.um Fateor objectam sententiam non quoad seipsam, sed quoad modum quo exprimitur, ab Augustino improbari. Verùm hanc sententiam non intelligit eo sensu, quòd justis ad mortem prædestinatis denegetur gratia ipsis ad perseverandum necessaria; sed isto, quòd reipsâ non sint in justitiâ perseveraturi, nec proindè gratiam efficacem perseverantiæ recepturi. Nam addit S. Doctor nil præfatæ *sententiæ deperire,* imò *veriùs* EAMDEM REM *et congruentiùs* exprimi, si dicatur : *Si qui autem obediunt, sed in regnum ejus et gloriam prædestinati non sunt, temporales sunt, nec usquè in finem in eâdem obedientiâ permanebunt.* Atqui, si verbis istis enuntietur objecta sententia, significabit quidem, justos qui non sunt ad gloriam prædestinati, non esse donandos gratiâ quâ usque ad mortem in justitiâ perseverent; minimè verò privandos esse omnibus omninò gratiis, iis etiam sine quibus non possint in justitiâ perseverare; ergo, etc.

*Resp. ad* 2.um 1.° Textus ille minimè spectat ad præsentem quæstionem; hìc enim non quæritur, utrùm justis postquàm per peccatum à justitiâ defecerint, sed utrùm justis quandiù justi sunt, adsit gratia sufficiens ad servanda mandata : porrò S. Doctor ibi non loquitur nisi de justis

qui peccando justitiam amiserint, in quibus nimirùm *adjutorii sine quo* privatio sit *pœna peccati.*

2.° Quamvis Augustinus de illis etiam justis loqueretur, qui sint actualiter justi, non ideò nobis adversaretur. *Adjutorium* enim *sine quo* perseverare non poterat Adamus, erat quidem mera gratia sufficiens perseverantiæ; sed gratia sufficiens, quæ protoparenti proximam et immediatam dabat perseverandi potentiam. Licèt ergo sensisset S. Doctor, aliquibus interdùm statûs nostri justis *deesse tale adjutorium,* id unum concludendum foret, juxta ipsum, nonnullis quandoquè justis non adesse gratiam quâ proximè et immediatè valeant aliquod mandatum servare, non autem ipsis omnem omninò deesse gratiam, illam etiam quâ remotè et mediatè possint istud mandatum adimplere. Nedùm enim crediderit Augustinus esse justos in præsenti statu, quibus, urgente mandato, desit omnis omninò gratia, etiam remotè sufficiens ad illud exsequendum, sæpiùs docet nullum esse justum, cui non semper præstò sit gratia saltem orationis, quâ possit ad Deum confugere, ab eoque gratiam impetrare quæ ad instantis præcepti exsecutionem proximè sufficiat : *Ad hoc valet,* inquit lib. de Gratiâ et lib. Arb. cap. 15, *quod scriptum est, si volueris, conservabis mandata; ut homo qui voluerit et non potuerit, nondùm se plenè velle cognoscat, et oret ut habeat tantam voluntatem, quanta sufficit ad implenda mandata.*

## II.

### *Utrùm Peccatoribus etiam obduratis dentur Gratiæ sufficientes.*

Inter peccatores fidei christianæ mancipatos, alii sunt obdurati, quorum scilicet voluntas in malo ita est obfirmata, ut vix unquàm cogitent quàm exitiosus sit peccati status, nullisque saltem gravioribus pungantur conscientiæ stimulis; alii verò non item, ita ut delictorum recordatio conscientiam remordeat, et de peccatis dolere identidem statuant. De utrisque controversia movetur, utrùm scilicet gratiam habeant ipsi, ut ad Deum convertantur et mandata ejus fideliter adimpleant necessariam.

Certum est, 1.° ipsis etiam peccatoribus gratiæ recipiendæ idoneis non omni tempore et quolibet instanti gratiam tribui vel offerri : *Hodiè,* inquit Psaltes regius, Psal. 94, ℣. 8, *si vocem* Domini *audieritis, nolite obdurare corda vestra :* quibus innuitur gratiam non singulis instantibus dari.

Certum est 2.° quibusdam etiam obduratis gratiam concedi, ut patet exemplo Manassis regis, qui cùm in profundum iniquitatis venisset, Dei sui tandem recordatus, pœnitentiam egit auxiliatus à Deo, II Paralip. c. 33, ℣. 12. Itaque status quæstionis est, utrùm cunctis fidelibus peccatoribus, etiam obduratis, conferatur vel præparetur gratia proximè vel remotè sufficiens, ut mandata Dei, quæ sine gratiâ Dei impleri non possunt, fideliter exsequantur, et ad Deum tempore opportuno convertantur. Circa hanc quæstionem dividuntur Theologi, quorum alii quibusdam obcæcatis et obduratis gratiam relativè sufficientem, in pœnam scelerum præcedentium denegari vo-

lunt; cæteri verò gratiæ beneficium ad omnes fideles, etiam obduratos, extendunt. Cum illis sit

PROPOSITIO.

*Omnibus fidelibus, etiam obduratis, confertur vel offertur gratia saltem remotè sufficiens, ut ad Deum aliquandò convertantur, et præcepta ejus, quæ sine gratiâ impleri non possunt, fideliter exsequantur.*

*Prob.* 1.° *ex Script.* Ezech. c. 33, ℣. 11: *Dicit Dominus Deus: Nolo mortem impii, sed ut convertatur impius à viâ suâ et vivat. Convertimini, convertimini à viis vestris pessimis: et quare moriemini, domus Israel?* Porrò Deus non vult impossibile, nec ad illud homines hortatur; ergo cùm quemlibet impium converti velit, ipsumque ad pœnitentiam hortetur, meritò concluditur cuilibet fideli, etiam obdurato, conferri vel præparari gratiam, etc. II Petri c. 3, ℣. 9: *Dominus patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti:* porrò inter omnes quorum pœnitentiam Deus sincerè intendit, locum obtinent etiam obdurati ipsi fideles.

*Prob.* 2.° *ex SS. PP.* S. August. Enarrat. in Ps. 6, n. 8, expendens verba Apost. ad Rom. 1, *Dedit illos in reprobum sensum,* ait: *Ea est cæcitas mentis. In eam quisquis datus fuerit, ab interiori Dei luce secluditur, sed nondùm* PENITUS, *cùm in hâc vitâ est. In die Judicii, penitùs extra Deum erit quisquis, dùm tempus est, corrigi* NOLUERIT. Et lib. 1 Retract. cap. 19, n. 17: *De quocunque, quamvis pessimo, hâc in vitâ constituto, non est utiquè desperandum.*

S. Prosper, Resp. ad object. Vincent. : *Nemini Deus correptionis adimit viam, nec quemquam boni possibilitate dispoliat;* ergo nequidem obdurati gratiâ destituuntur, alioqui correptionis viam Deus ipsis adimeret, et boni possibilitatem auferret.

*Prob.* 3.° *Rationibus theologicis.* 1.ª Peccatores, quantumvìs obdurati, etiam consequenter ad obdurationem, mandata Dei servare et pœnitentiam agere tenentur : atqui peccatores obdurati nec mandata Dei servare, etc., si gratiâ omni etiam remotè sufficienti careant; tunc enim hæc duo verè ipsis impossibilia sunt : nemo autem hìc et nunc ad impossibilia tenetur. 2.ª peccatores obdurati, cùm mandata Dei transgrediuntur et conversionem de die in diem differunt, actualiter peccant : atqui tamen, si omnis gratia etiam remotè sufficiens ipsis deesset, jam non peccarent actualiter, sed tantùm olìm peccâssent, nempè cùm in duritiam cordis, quæ malorum quibus jam obnoxii sunt causa est necessaria, liberè prolapsi sunt; nemo enim hìc et nunc peccat in iis quæ hìc et nunc vitare non potest. 3.ª Nemo in præsenti vitâ de suâ salute desperare debet : atqui, si peccatoribus obduratis omnis etiam remotè sufficiens gratia auferretur, jam suæ salutis spem abjicere possent. 4.ª Exhortationes, consilia ad peccatores etiam obduratos diriguntur : porrò insulsæ essent exhortationes illæ, risumque moverent illa consilia, si Deus omnem obduratis negare gratiam statuisset. 5.ª Habent etiam ipsi obdurati sensum suæ libertatis intimum circa mandatorum observationem; ergo liberi sunt ad illa observanda; ergo gratiam habent, cùm, ex dictis, sine gratiâ impleri non possint.

*Obj.* 1.° Joannis c. 12, ℣. 39 et 40 : *Propterea non poterant credere* Judæi, *quia iterùm dixit Isaias : Excæcavit oculos eorum, et induravit cor eorum ;* ergo ii quorum cor obduratum est rectè agere non possunt.

*Resp. Nego cons. Quarè non poterant credere?* inquit S. Aug. tractatu 53 in Joan., n. 6, *quia nolebant ;* ergo velle adhuc poterant ; et proindè ab iis excluditur tantùm potentia credendi in sensu composito voluntariæ eorum obdurationis, vel potentia proxima ; aut etiam potentia in actu secundo, seu efficax.

*Obj.* 2.° S. Greg., lib. 1 Moral., cap. 5, dicit Cain mutari non potuisse, quia, exigente culpæ malitiâ, jam Deus cor reliquerat. S. Aug. lib. 1 ad Simplicianum, n. 16, dicit Deum obdurare peccatores non ipsis impertiendo misericordiam, id est, gratiam ; ergo obdurati carent gratiâ quâ bonum præstare valeant.

*Resp. Dist. cons.* Obdurati carent gratiâ quâ bonum proximè et immediatè præstare possint, *conc. ;* quâ possint remotè et mediatè, *nego.* Itaque SS. PP. de induratis loquuntur quasi nullatenùs possent rectè operari, eo quòd nonnisi remotè ad bonum servent potestatem ; cùm enim solâ orationis gratiâ moveantur, quâ quidem benè uti nolunt, sequitur consequenter ad illum abusum, benè agendi impotentiâ ipsos laborare ; hinc verè dicitur eos rectè agere non posse. Hoc discrimen inest inter illum qui potestate agendi proximâ instruitur, et alium qui remotam tantùm habet, quòd prior eam in actu non semper reducat, sed tamen verè semper possit ; posterior verò, consequenter ad abusum potestatis remotæ, verè non possit.

*Obj.* 3.° Juxta Conc. Trid. Sess. 6, cap. 11, Deus neminem *deserit, nisi deseratur;* ergo Deus aliquandò deserit.

*Resp.* 1.° *Nego cons.* Etenim Patres Trid. non dicunt hominem in hâc vitâ à Deo deseri, cùm Deum ipse deseruit; sed ab eo abstrahunt: hoc unum volunt, quòd si Deus hominem aliquandò deserat, priùs ab eo desertus fuerit. Expressè autem non affirmant quosdam à Deo penitùs deseri. Scilicet, mens Conc. Trid. fuit ut Theologorum opiniones intactæ relinquerentur: hinc verba nobis objecta ita temperata sunt, ut nullus lædatur Theologus. At, si positivè docuisset aliquos à Deo prorsùs deseri, illos læsisset qui ad obduratos etiam gratiæ opem extendunt.

*Resp.* 2.° *Dist. cons.* Aliquandò Deus hominem deserit, denegando auxilia uberiora, *conc.;* omne denegando auxilium, *nego.* Solutio patet.

## III.

### *Utrùm Gratia sufficiens Infidelibus concedatur.*

Infideles duplicis sunt generis, *negativi* scilicet, qui de Christo nihil audierunt, quorum infidelitas ad culpam non imputatur; et *positivi,* quibus est annuntiatum Evangelium, ita ut non credendo peccent.

Certum est 1.° quibusdam saltem infidelibus gratiam tribui. Illam sanè habuerunt Judæi, quibus incredulitatem hisce verbis exprobrabat Stephanus Act. c. 7, ℣. 51: *Durâ cervice et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis.*

Certum est 2.° infidelibus negativis gratiam fidei proximè sufficientem deesse. Etenim gratia

ad fidem proximè sufficiens Evangelii prædicationem includit, cùm fides sit *ex auditu :* atqui infideles negativi de Christo et Evangelio ejus nunquàm audierunt.

Itaque status quæstionis est, utrùm omnibus infidelibus, etiam negativis, conferatur aut saltem offeratur gratia proximè vel remotè sufficiens ad fidem amplectendam. Negat Jansenius, lib. 3 de Gratiâ Christi, cap. 11, et deridet Theologos aliter sentientes. Cum quibus tamen sit

PROPOSITIO.

*Omnibus Infidelibus etiam negativis confertur aut offertur gratia proximè vel remotè sufficiens ad fidem.*

*Prob.* 1.° *ex Script.* Joan. c. 1, ℣. 9: Verbum *erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum :* quod Patres, maximè Græci, ita interpretantur, ut Verbum, *quantùm in se est,* sicut loquitur S. Chrysost., omnes lumine supernaturali collustret. Item, I Timoth. c. 2, ℣. 4: Deus *vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire :* quæ verba, ut pote generaliora, ad ipsos etiam infideles sunt extendenda: jam verò quomodò possent infideles salvari, si omni gratiâ destituerentur; ergo, etc.

*Prob.* 2.° *ex SS. PP.* S. Ambr. in Ps. 118, n. 57: *Sol justitiæ omnibus ortus est... Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio sese fraudat, ut si quis clausis fenestris radios solis excludat.*

S. Chrysost. Homil. 8 in Joan.: *Si illuminat omnem hominem, quonam pacto tot homines*

*sine lumine permanent, neque enim omnes Christum cognoscunt? Illuminat profectò quantùm in ipso est : si qui autem mentis aciem ad hujus lucis radios dirigere noluerint, non ex luminis naturâ in tenebris perstiterunt, sed malitiâ suâ; nam gratia in omnes diffusa est.*

S. Aug. in Ps. 18, n. 7 : *Cùm Verbum caro factum est, mortalitatem nostram suscipiens, non permisit ullum mortalium excusare se de umbrâ mortis; et ipsam enim penetravit Verbi calor.*

Eodem modo loquuntur, sive Orosius in Apologetico contra Pelagium, ubi dicit, *Deum adjutorium suum non solùm in corpore suo, quod est Ecclesia, sed etiam universis in hoc mundo gentibus subministrare;* sive auctor libri de Vocatione Gentium, qui ait, lib. 2, c. 5, *Inexcusabiles esse etiam nationes, quia semper adhibita fuit universis hominibus quædam supernæ mensura doctrinæ, quæ, etsi parcioris occultiorisque gratiæ fuit, sufficit tamen quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium.*

Accedit auctoritas D. Thomæ, qui sic loquitur, quæst. 14 de Veritate, art. 2, ad 1.um : *Hoc ad divinam pertinet providentiam, ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodò ex parte ejus non impediatur. Undè, si aliquis enutritus in silvis, inter bruta animalia, ductum rationis naturalis sequeretur in appetitu boni et fugâ mali, certissimè est tenendum quòd ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium.*

S. Thomæ vestigiis insistunt alii Scholastici, ut ipsemet fatetur Jansenius. Eamdem æquivalenter doctrinam profitetur Cardinalis Norisius, in suis Vindiciis Augustinianis; Thomassinus, Commentariis de Gratiâ; Nicolius, tractat. de Grat. generali; Bossuetius, *Justification des réflexions morales*, parag. 17 : *Dieu met dans leurs cœurs (des infidèles négatifs) des préparations plus éloignées, dont s'ils usaient comme ils doivent, Dieu leur trouverait, dans les trésors de sa bonté, des moyens capables de les amener de proche en proche à la connaissance de la vérité.* Lege textum integrum, *Tract. de Deo*, cap. 5, sect. 2, art. 2.

*Prob.* 3.° *Ratione theologicâ.* Certa sunt hæc principia : 1.um Deus vult salutem omnium hominum; 2.um Christus pro omnibus mortuus est; 3.um mandata sunt omnibus possibilia; 4.um nemo perit, nisi quia salutem liberè noluit : atqui ex istis principiis quasi naturali consecutione existentia auxiliorum sufficientium, etiam pro infidelibus, derivat; ergo omnibus infidelibus, etc.

*Obj.* 1.° Ex S. Aug. lib. de Prædest. Sanct. c. 18, n. 16 : *Fides et inchoata et perfecta Dei donum est. et hoc donum quibusdam dari, quibusdam non dari, omninò non dubitat qui non vult manifestissimis sacris Litteris repugnare;* ergo quibusdam deest gratia fidei.

*Resp. Dist. cons.* Quibusdam deest gratia fidei efficax, *conc.;* sufficiens proximè vel remotè, *nego.* De ipsâ fide, non verò de possibilitate fidei etiam remotâ pronuntiat August., quòd quibusdam denegetur : porrò ex eo quòd aliquibus fides non donetur, concludere tantùm licet ipsis eam denegari gratiam quæ non potest ha-

beri quin ipsa habeatur fides : sola autem gratia efficax ejusmodi est, non verò gratia sufficiens.

*Obj.* 2.° Fides est prima gratia; ergo infidelibus, etc. *Ant. prob.* ex S. Aug. de Gestis Pelagii, c. 14, n. 34 : *Fides initium est undè bona opera incipiunt ;* et de Prædest. Sanct. c. 17, n. 12 : *Fides ipsa prima datur, ex quâ impetrantur cætera quæ præcipuè opera nuncupantur, in quibus justè vivitur.*

*Resp. Nego ant.* Certè fides non est prima gratia, si Deus supernaturaliter adjuvet ipsos etiam infideles ad præcepta legis naturalis quæ nôrunt observanda : atqui Deus supernaturaliter adjuvat, etc. Sic enim loquitur S. Aug. Serm. 99, c. 6, n. 16 : *Adulter non fuisti in illâ vitâ tuâ præteritâ plenâ ignorantiâ, nondum illuminatus, nondùm credens in illum qui te nescientem regebat : hoc dicit tibi Deus tuus, Ut non consentires, ego terrui; agnosce ergo gratiam ejus, cui debes et quod non admisisti.* Porrò, si detur infidelibus gratia ad superandas tentationes legis naturalis observationi obsistentes, jam fides non est prima gratia; ergo immeritò asseritur propositionem istam, *Fides est prima gratia,* instar principii habendam esse.

*Ad prob.* ex S. Aug. *Dist.* Fides latissimè sumpta, pro quâlibet boni cognitione divinitùs emissâ, est prima gratia, *conc.;* fides strictè sumpta seu theologica, *subdist.* Est prima gratia quâ justè, id est, christianè vivitur, ut ait ibid. S. Doctor, *conc.;* quâ simpliciter rectè vivitur, *nego.*

*Obj.* 3.° Infideles negativi nihil de Christo et Evangelio ejus audierunt; ergo non possunt habere fidem, *fides* enim *ex auditu.*

*Resp. Dist. cons.* Ergo non possunt habere fidem potentiâ proximâ, *conc.;* remotâ, *nego.* Itaque remotam habent ex gratiâ potentiam credendi, in quantùm ipsis datur supernaturale auxilium ad servanda legis naturalis præcepta, quo si benè rectèque uterentur, certissimè per merita Christi daretur ipsis gratia ad fidem proximè sufficiens, ex S. Thomâ et Bossuetio, ut suprà. Porrò auxilium illud, juxta plures, supernaturale est ratione principii, cùm sit à Spiritu Sancto per merita Christi, in ordine salutis; naturale autem ratione objecti et motivi, cùm ad objectum naturale sub ratione naturali moveat. Juxta alios verò, nos prorsùs latet ratio hujus auxilii : *Dieu*, inquit Bossuetius, *s'est réservé la connaissance de ces moyens.* Vide *Tract. de Deo,* cap. 5, sect. 2, art. 2.

*Inst.* Indè sequeretur infidelitatem negativam esse peccatum : atqui tamen damnata est Baii propos. 68, hanc doctrinam enuntians; ergo, etc.

*Resp. Nego maj.* Illa infidelitas non potest imputari ad peccatum, quæ nec implicitè, nec explicitè volita est : atqui in infidelibus nec explicitè nec implicitè illa infidelitas imputari potest ad peccatum : non explicitè, cùm de fide nihil audierint; nec etiam implicitè, id est, in causâ, siquidem non cognoscunt nec cognoscere possunt abusum gratiæ sufficientis fore causam negationis fidei.

## IV.

### *Utrùm Gratia sufficienter Judæis in veteri lege concessa fuerit.*

Certum est 1.° gratiam Judæis in veteri lege non fuisse datam vi et propriâ virtute legis ejus;

Hebr. enim c. 7, ℣. 18, legitur : *Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus et inutilitatem;* et Joan. c. 1, ℣. 17 : *Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est.*

Certum est 2.° quibusdam saltem Judæis gratiam verè sufficientem ad implenda mandata et salutem obtinendam, futurorum intuitu meritorum Christi, datam fuisse; cùm plures extiterint sub antiquo fœdere viri sanctissimi, Moyses, Samuel, David, Prophetæ omnes, qui certo certiùs absque gratiâ, et quidem uberiori, salutem non consecuti sint. Status ergo quæstionis est, utrùm Judæis omnibus data fuerit, non vi legis, sed intuitu futurorum Christi meritorum, gratia verè sufficiens proximè vel remotè, ad mandata legis fideliter adimplenda et salutem consequendam.

Negat Jansenius, lib. 3 de Grat. Christi, ubi affirmare veritus non est, legem Judæis impositam fuisse, non ut peccata vitarent, sed potiùs ut multiplicarentur, additque cap. 6 ejusd. lib., *Vetus Testamentum nihil aliud fuisse quàm magnam quamdam quasi comœdiam.* Contrà sit

PROPOSITIO.

*Judæis omnibus sub lege mosaicâ, futurorum intuitu Christi meritorum, data est gratia verè sufficiens.*

*Prob.* 1.° *ex Script.* Deuter. c. 30, ℣. 11 et 14 : *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi non supra te est, neque procul positum... sed juxta te est sermo valdè in ore tuo et in corde tuo ut facias illum.* Undè sic : Illi habuerunt gratiam relativè sufficientem, de quibus dicitur quòd lex, alioqui

sine gratiâ observatu impossibilis, non fuerit supra ipsos sed in corde illorum, ut facerent illam : atqui, etc.; ergo, etc. Idem probatur iisdem omnibus textibus quibus suprà, part. dogm., diss. 3, c. 1, art. 2, probavimus dari gratiam sufficientem : ibi require, ne eadem repetamus.

*Prob.* 2.° *ex SS. PP.* Tertull., lib. 2 contra Marcionem; S. Hieron., lib. 2 in Epist. ad Gal.; S. Chrys., Homil. 10 in Epist. ad Rom.; S. Cyril. Alex., in Isaiam; et pluribus aliis, quos secutus est S. Thomas, 1.ª 2.æ, quæst. 98, art. 2, ad 4.um, ubi hæc Apostoli verba, ex I Timoth. c. 2, *Deus vult omnes*, etc., sic resolvit de hominibus sub antiquo fœdere constitutis : *Dicendum quòd, quamvìs lex vetus non sufficeret ad salvandos homines, tamen aderat aliud auxilium à Deo hominibus simul cum lege, per quod salvari poterant, scilicet fides Mediatoris... Et sic Deus non deficiebat hominibus, quin daret eis salutis auxilia.*

*Prob.*3.° *Rationibus theologicis.* 1.ª Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis. Veritas hujus principii nititur auctoritate et ratione; ipsum profitetur S. Aug. de Naturâ et Grat. cap. 69 : *Eo ipso,* inquit, *quòd firmissimè creditur Deum justum et bonum impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur et in facilibus quid agamus, et in difficilibus quid petamus.* 2.ª Nemo peccat in iis quæ vitare non potest : hanc propositionem luce meridianâ clariorem tradit Aug., lib. 3 de Libero Arbit. cap. 18 : *Quis enim peccat in eo quod nullo modo caveri potest? Peccatur autem; caveri igitur potest :* atqui Judæi legem transgrediendo pecca-

baat; hinc tot ipsis nomine Dei à Prophetis factæ exprobrationes; ergo legem Dei, opitulante gratiâ, servare poterant. 3.ª Dei erga populum Judaicum prædilectio et singularis amor pluribus Scripturarum locis graphicè depingitur : hunc modò *filium primogenitum* vocat, Exodi c. 4, ℣. 22; *populum* ipsi de cunctis populis *peculiarem*, Deuter. c. 7, ℣. 6; *specialiter dilectum*, ibid. c. 32, ℣. 15, ubi refert Moyses beneficia à Deo specialiter populo Israelitico concessa; *hæreditatem suam*, Isaiæ c. 19, ℣. 25 : atqui prorsùs evanescit singularis ille Dei erga Judæos amor et prædilectio, si ipsis defuerint gratiæ ad legem observandam verè sufficientes; imò potiorem fuisse Gentilium sortem non obscurè videtur. Illi enim, eà acceptà lege sine gratià, nonnisi peccata multiplicare potuerunt; isti verò, quibus non est imposita Moysis lex, ab illà quam necessariò præbebat lex peccandi occasionem immunes facti sunt.

*Obj.* 1.° Ezech. c. 36, ℣. 26 et 27 : *Auferam cor lapideum de carne vestrâ, et dabo vobis cor carneum. Et Spiritum meum ponam in medio vestrî : et faciam ut in præceptis meis ambuletis.* Ibi notatur discrimen inter utrumque fœdus, vetus scilicet, in quo corda erant lapidea, id est, gratià interiori vacua; et novum, in quo gratiæ cœlestis rore perfundimur.

Act. c. 15, ℣. 10, S. Petrus de lege veteri sic loquitur : *Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus?*

Rom. c. 8, ℣. 3 et 4 : *Quod impossibile erat legi... Deus filium suum mittens... ut justificatio legis impleretur in nobis.* Et c. 4, ℣. 15 : *Lex*

*enim iram operatur.* c. 5, ℣. 20 : *Lex subintravit ut abundaret delictum.* Gal. c. 3, ℣. 19 : *Lex propter transgressiones posita est.*

*Resp. ad* 1.um Textus ille, nedùm thesi adversetur, ipsam è contrà mirificè confirmat, cùm, juxta plures Scripturæ interpretes, intelligendus sit de Judæis à captivitate reductis, ut suadent antecedentia, ℣. 22, 24 et 26 : *Dices domui Israel : Hæc dicit Dominus... Tollam vos de gentibus, et adducam vos in terram vestram... Et dabo vobis cor novum,* etc. Prætereà, etiamsi verba Ezechielis de Christianis intelligantur, indè sequitur tantùm uberiorem in novâ lege tribui gratiam, quàm in veteri, quod verissimum est.

*Ad* 2.um Sensus est jugum legis mosaicæ fuisse difficillimum : quod enim tale est, vulgari modo dicitur impossibile. Et verò, eorumdem Actuum c. 7, ℣. 51, sic Judæis exprobrat Stephanus : *Durâ cervice, et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis, sicut patres vestri, ita et vos;* ergo acceperant illi quos Stephanus alloquebatur Judæi, quamvis indociles, auxilia interiora, alioquin Spiritui Sancto non restitissent; eadem ergo acceperant patres eorum, cùm ipsos in resistendo Spiritui imitarentur.

*Ad* 3.um Ex eo sequitur tantùm, legem per seipsam vires ad præceptorum exsecutionem non concedere, quod fatemur.

*Ad* 4.um Vult Apostolus legem iram operari, non per se, sed per accidens et occasionaliter, propter Judæorum malitiam. Id clarè patet ex c. 3, ℣. 7, ejusdem Epist. Eodem sensu dicitur, *Virtus peccati, Ministratio mortis, Littera occidens.*

*Ad*

*Ad* 5.um Particula, *ut*, non significat causam finalem legis, sed solummodò eventum : eamdem pluries in Scripturis significationem habet; namque data non est lex, juxta S. Chrys., ut abundaret delictum, sed ut minueretur peccatum; evenit autem secùs, non à legis naturâ, sed ab eorum ignaviâ et socordiâ qui legem accepêre.

*Ad* 6.um Lex posita est propter transgressiones declarandas, et timore coercendas; ita S. Hieron. et S. Chrys. : vel, ut aliis placet, propter transgressiones quodammodò augendas, id est, occasionaliter : propter illas, inquam, ita ut vocula, *propter*, non finem legis designet, sed eventum quem Deus liberè permisit, ut homo propriâ experientiâ, suæ conscius infirmitatis, gratiæ necessitatem agnosceret, et supplex efflagitaret. Ita D. Aug. cujus interpretationi favet textus græcus. Porrò, quælibet ex illis interpretationibus eligatur, intacta remanet thesis nostra.

*Obj.* 3.° S. Aug., Serm. 155 de Verbis Apost. cap. 6, n. 7 : *Lex* vetus *jubebat et non implebat, quia caro, ubi non erat gratia, invictissimè resistebat;* ergo, etc.

*Resp. Nego consequent.* Non enim dicit August. gratiam sub lege mosaicâ viventibus defuisse, sed docet legem, propter carnis resistentiam, ad suî exsecutionem absque gratiâ non suffecisse, quod verissimum esse fatemur.

Non est cur immoremur in aliis solvendis difficultatibus quas ex S. Doctore depromere solent adversarii; illæ enim, cùm juxta mentem Augustini intelliguntur, vel confirmant nostram assertionem, vel à statu veteris legis removent auxilia tantùm efficacia aut proximè sufficientia, quod placita nostra non lædit. Cæterùm, quamvis

tum mosaicæ tum evangelicæ legi gratia fuerit communis, inter utramque tamen duplex præcipuè discrimen agnoscere datur. 1.° Lex vetus ex sese gratiam non conferebat : è contrà lex nova quidquid jubet dat exsequi, propter merita Christi, quæ ad ipsam pertinent, tum quia Christus ipsius est auctor, tum propter sacramenta quæ gratiam ex opere operato, id est, virtute ritûs externi et sensibilis operantur. 2.° In lege novâ gratia uberior est, et in plures diffusa quàm in lege veteri.

## V.

### *An omnibus Infantibus præparatæ fuerint Gratiæ sufficientes.*

Quæstio non agitur de parvulis ex utero materno semel egressis; illi enim aut gratiam Baptismi receperunt, aut saltem, Deo sufficienter providente, recipere potuerunt magis vel minùs proximè, prout ex Christianis vel ex infidelibus orti sunt. Ergo tota difficultas est de infantibus priùs exstinctis quàm in lucem editis, quibus proindè sacramentum regenerationis applicari non potuit, utrùm scilicet Deus ipsis non quidem contulerit, ut evidens est, sed præparaverit gratiam, id est, sufficienter providerit de mediis ad salutem necessariis.

Porrò quâ ratione illam quæstionem solvere tentent Doctores, videre est in *Tractatu de Deo*, tom. 1, cap. 5, sect. 2, art. 2.

COROLLARIUM.

*Ergo Deus omnibus omninò hominibus confert, vel offert et præparat gratiam ad salutem sufficientem.*

*Prob.* Homines vel parvuli sunt vel adulti :

adulti autem, fideles aut infideles: ex fidelibus, alii sunt justi, alii verò peccatores; quidam etiam in cordis duritiâ versantur: atqui, ex dictis, omnes illæ hominum species collatam vel oblatam habent gratiam; ergo, etc.

Idem probatur etiam, 1.° ex voluntate Dei erga salutem omnium hominum. 2.° Ex morte Christi pro omnibus, de quibus videre est quæ dicuntur in *Tract. de Deo.* 3.° Ex iis testimoniis Scripturæ quæ communis interpretatio Patrum, etiam Latinorum, de gratiâ omnibus concessâ intelligit, ut iste, Psal. 18, ℣. 6 et 7: *In sole posuit tabernaculum suum, .... nec est qui se abscondat à calore ejus;* aut etiam, Psal. 32, ℣. 5: *Misericordiâ Domini plena est terra.* 4.° Auctoritate Patrum, Clementis Alex. lib. 7 Stromat.; S. Cypr. lib. 4 Epist. 7; S. Ambr. in Ps. 118; S. Aug. lib. 3 de Lib. Arb. et eorum omnium quorum testimonia suprà excerpsimus. 5.° Auctoritate communi Theologorum, quorum venerabile agmen ducit D. Thomas, sequuntur plures omnium Ordinum Theologi, quos appellare nimis longum foret et superfluum, cùm ipsorum opera exstent, quæ pro ipsis loquuntur.

Ex quibus patet quàm falsò adversarii hanc nostram de gratiâ in omnes generaliter diffusâ opinionem, velut Molinianam traducant, quasi à solis propugnetur Molinistis, cùm reverà communis sit apud Theologos, ita ut vel gratiam omnibus adultis, pro loco et tempore, concedi opinentur; vel saltem iisdem offerri sentiant, in id quod disputationis est caput consentientes, per Deum non obstare quominùs adulti singuli gratiæ ad salutem necessariæ auxilium consequantur. Verum est tamen dicere, diffusionem

gratiæ super omnes, ad fidem catholicam non pertinere. Sed de his fusiùs in *Tract. de Deo*, cap. 5, sect. 2, art. 2.

## ARTICULUS III.

### *De Gratiâ efficaci.*

Gratia efficax ab initio Tract. definita est, *Gratia cum quâ homo semper bonum agit, licèt cum ipsâ possit bonum non agere.* Quæritur 1.° utrùm talis gratia existat in præsenti statu, 2.° utrùm consistat in *delectatione relativè victrici* Jansenianâ.

### § I.

### *Utrùm Gratia efficax, qualis modò definita fuit, in præsenti statu sit admittenda.*

Prædictam gratiæ efficacis definitionem admittunt omnes, iis solis exceptis qui, post Wiclefum, Lutherum et Calvinum, docent *voluntatem gratiâ moveri, non qualiter multis seculis traditum est et creditum, ut posteà sit electionis motioni obtemperare aut refragari* (Calvinus, lib. 2 Inst. cap. 2). Contra illos, cum omnibus Catholicis sit

PROPOSITIO.

*In præsenti statu gratia datur eo sensu efficax, quòd consensum voluntatis infallibiliter eliciat, nec tamen ejus lædat libertatem.*

*Prob.* 1.ª *pars*, dari gratiam quæ cum consensu voluntatis *infallibiliter* conjungatur. Et quidem 1.° *ex Script.* Philipp. c. 2, ℣. 13 : *Deus est*, inquit Apostolus, *qui operatur in vobis et velle et perficere* : atqui Deum in nobis operari

*velle et perficere*, idem est ac nobis dare gratiam, quæ voluntatis nostræ determinationem et actionem infallibiliter operetur; ergo, etc.

2.° *Ex S. August.* Tantam enim admisit S. Doctor gratiæ efficacis cum consensu voluntatis connexionem, ut, si fides Luthero, Calvino et Jansenio, senserit voluntatem huic isti gratiæ non solùm infallibiliter, sed et necessariò consentire. Textus S. Doctoris statim sunt referendi.

3.° *Ratione theologicâ.* Cùm Deus nihil faciat in tempore, quod non certò præviderit ab æterno; priusquàm ergo conferat homini gratiam efficacem, certò prævidet ipsum esse huic gratiæ consensurum: atqui hunc consensum non potest Deus certò prævidere, nisi gratia efficax cum illo jungatur infallibiliter; ergo, etc.

Adeò evidens est hæc prima pars nostræ propositionis, ut in illâ admittendâ nobiscum apprimè consentiant Hæretici, nec à nobis dissentiant, nisi quoad 2.am.

*Prob.* 2.a *pars*, infallibilem gratiæ efficacis cum voluntatis consensu connexionem *nil humanæ nocere libertati.* Et 1.° *ex Script.* Eccli. c. 31, ℣. 10 et 11, sic legitur: *Potuit transgredi, et non est transgressus; facere mala, et non fecit: ideò stabilita sunt bona illius in Domino:* atqui justus sic se gerens habet gratiam efficacem, simul et libertatem: gratiam quidem efficacem, cùm mandata *non transgrediatur*, nec *faciat mala;* libertatem verò, cùm mandata *possit transgredi*, et *facere mala.* Apost., I Cor. c. 15, ℣. 10, de seipso sic habet: *Gratia ejus in me vacua non fuit; sed abundantiùs illis omnibus laboravi. Non ego autem, sed gra-*

*tia Dei mecum.* Gratia de quâ hìc Apostolus, non est gratia merè sufficiens, sed efficax, quæ nimirùm in ipso *vacua non fuit,* quâcum *abundantiùs laboravit :* atqui tamen cum illâ gratiâ liber erat; siquidem in ipso non operabatur sola, sed et ipse cum illâ. Longè enim aliter loquitur de motibus indeliberatis concupiscentiæ: *Jam non ego,* inquit, Rom. c. 7, ℣. 17, *operor illud, sed quod habitat in me peccatum.*

2.° *Ex Concilio Trid.* Sess. enim 6 de Justif., can. 4, sic definit: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum et excitatum, nihil cooperari, assentiendo Deo excitanti atque vocanti,.... neque posse dissentire, si velit; sed, veluti inanime quoddam, nihil omninò agere, merèque passivè se habere; anathema sit.* Ex illo canone, liberum hominis arbitrium sic assentitur Deo excitanti atque vocanti, id est, gratiæ efficaci, ut *possit dissentire, si velit :* atqui, si gratiâ efficaci læderetur liberum hominis arbitrium, ejus motioni non sic consentiret ut *posset dissentire, si vellet;* ergo, etc.

3.° *Ex S. August.,* quem præ cæteris laudamus quia illum præ cæteris suum esse jactitant Hæretici. Lib. de Spiritu et Litterâ, cap. 34: *Profectò et ipsum velle credere Deus operatur in homine; et in omnibus misericordia ejus prævenit nos. Consentire autem vocationi Dei, vel ab eâ dissentire, sicut dixi, propriæ voluntatis est.* Gratia quâ *velle credere Deus operatur in homine,* est gratia efficax: atqui, nedùm hæc gratia juxta August. perimat humanam libertatem, juxta ipsum, talis est ut ei *consentire... VEL ab eâ dissentire... propriæ voluntatis sit;* ergo, etc. Eamdem doctrinam expressè tra-

dit S. Doctor, lib. 2 contra Faustum, cap. 5, et repetit lib. de Gratiâ et Lib. Arbit., cap. 2.

4.° *Ratione theologicâ.* Fide constat, ut videbitur capite sequenti, supernaturalia justorum opera esse meritoria : atqui nullum est opus supernaturale sine gratiâ efficaci, nec ullum meritum sine libertate; ergo, etc.

*Obj.* 1.° *adversùs* 2.^am^ *partem propos.* S. Aug., lib. de Corrept. et Grat. cap. 14, dicit *Deum habere humanorum cordium quò placet inclinandorum omnipotentissimam potestatem.... et magìs habere in potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas.* Igitur, ex Augustino, talis est gratia efficax, ut Deus per illam, quasi per *omnipotentissimam potestatem*, humana corda quò placuerit inclinet, atque per eamdem *magìs habeat in potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas* : atqui nemo dixerit istud gratiæ genus compati posse cum humanâ libertate; ergo, etc. Idem planè repetit S. Doctor, Enchiridii cap. 98, et lib. contra duas epist. Pelagii, cap. 20.

*Resp.* Augustinus in locis innumeris, iis præsertìm quæ inter probandum citata sunt, apertè pronuntiat liberum hominis arbitrium sub motione gratiæ efficacis illæsum permanere. Quin et perpetuò sollicitus est, qui gratiæ efficaciam cum humanâ libertate conciliet : *Quæstio de arbitrio voluntatis et Dei gratiâ*, inquit lib. de Grat. Christi, cap. 47, *ita est ad discernendum difficilis, ut, quandò defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quandò autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.* Ne igitur pugnantia dicat S. Doctor, objectus textus vel alius similis quilibet intelligendus est eo sensu, quòd homo supponi

non possit illud non facere ad quod faciendum movetur gratiâ efficaci; non autem, quòd illud ipsum faciat necessariò.

*Inst.* 1.° ejusdem libri de Corrept. et Grat. cap. 12, sic legitur : *Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter et insuperabiliter ageretur; et ideò, quamvis infirma, non deficeret, neque adversitate aliquâ vinceretur.* Ibi docet August. voluntatem humanam divinâ gratiâ *indeclinabilíter et insuperabiliter* agi : porrò voluntas quæ *indeclinabiliter et insuperabiliter* agitur, ne agit quidem, nedùm agat liberè; ergo, etc.

*Resp.* 1.° In pluribus editionibus antiquioribus legitur, *inseparabiliter.*

*Resp.* 2.° Istæ voces, *indeclinabiliter, insuperabiliter,* non ad ipsam referri debent voluntatem humanam, quasi sensus sit, illam gratiâ efficaci sic abripi, ut ei non possit resistere; sed referendæ sunt ad varias vitæ præsentis tentationes, et sensus est, ita voluntatem gratiâ efficaci contra concupiscentiam, mundum et dæmonem roborari, ut iis hostibus omninò fiat *insuperabilis,* nisi ipsa, præ innatâ libertate, se consenserit ab illis superari. Quandò dicimus, v. g., arcem esse inexpugnabilem, minimè significamus illam expugnari non posse, etiamsi gubernator aggressiones obsidentium repellere neglexerit, sed dicere duntaxat volumus istam arcem ad deditionem non posse cogi, quandiù qui in illâ præest, ipsam ut par est defendere voluerit. Sensum istum non obscurè significant ipsa ultima textûs objecti verba : *Et ideò, quamvis infirma* (voluntas), *non deficeret, neque adversitate aliquâ vinceretur.*

*Inst.* 2.° S. Doctor in suis passim operibus gratiam efficacem comparat, 1. cum ipsâ creatione, 2. cum Incarnatione Verbi, 3. cum Christi miraculis : atqui importat triplex illa comparatio, sub gratiâ efficaci nullam subsistere libertatem; ergo, etc.

*Resp.* Reverà, si S. Aug. gratiam efficacem cum creatione, Incarnatione, et Christi miraculis, quoad ipsum operandi modum, compararet, tunc dici posset ipsum sub operatione gratiæ efficacis nullam liberam voluntatis cooperationem admisisse : sed aliud prorsùs erit, si comparationes illas ad solam referat gratiæ gratuitatem : atqui reipsâ triplicem illam comparationem non adhibet Augustinus, nisi ut probet gratiam esse penitùs gratuitam, ut ex contextu S. Doctoris facilè evincitur.

*Inst.* 3.° S. Doctor Enchirid. cap. 30, sic habet: *Libero arbitrio malè utens homo, et se perdidit et ipsum.* Et Epist. 107 ad Vitalem : *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus.* In hoc utroque textu clarè docet August. peccato protoparentis prorsùs exstinctum esse liberum arbitrium; ergo in homine lapso nullam agnoscit libertatem.

*Resp.* Quotiescunquè dicit August. libertatem periisse in Adamo peccante, non intelligit propriè dictam libertatem, quam in homine lapso millies agnoscit; sed illam intelligit facilitatem, quâ Adamus innocens cum gratiâ quodlibet opus salutiferum ipsamque salutem poterat operari, quam facilitatem protoparentis peccato penitùs amissam confitemur. Audiatur S. Doctor, lib. 1 ad Bonif. cap. 2 : *Quis nostrûm,* inquit, *dicat quòd primi hominis peccato perierit liberum arbitrium*

*de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum; sed illa quæ in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate justitiam.*

*Obj.* 2.° Cùm Deus absolutè velit hominem agere bonum opus ad quod agendum ipsi confert gratiam efficacem, si homo sub tali gratiâ servaret integram libertatem, posset ergo bonum non facere, quod tamen ab ipso fieri Deus vellet absolutè: atqui illud dictu non minùs impium est quàm absurdum; ergo, etc.

*Resp.* Deus quidem absolutè vult hominem cum gratiâ efficaci benè agere, sed simul et quidem hoc ipso, vult ipsum agere liberè. Jam verò, quantumvìs Deus absolutè velit aliquid fieri ab homine, si velit illud ab ipso fieri liberè, vi ipsius suppositionis, homo poterit id non facere. Nam, si hoc non posset non facere, faceret necessariò, non liberè. Quoties itaque Deus dat homini gratiam efficacem, homo quidem cum illâ bonum operatur infallibiliter, et sic impletur Dei voluntas absoluta; sed ita bonum operatur infallibiliter, ut tamen possit illud non operari, sicque salvatur libertas humana.

## § II.

### *Utrùm Gratia efficax consistat in* delectatione relativè victrici, *ad mentem Jansenii.*

Exposuimus in parte historicâ quid intelligat Jansenius per *delectationem relativè victricem*, atque monstravimus ipsum totam ex illâ depromere gratiæ efficaciam, aut potiùs in eâ solâ omnem reponere gratiam efficacem. Adversùs illum sit

PROPOSITIO.

*Gratia efficax non consistit in* delectatione relativè victrici *Jansenianâ.*

*Prob.* Ex parag. præcedenti, gratia efficax salvam et integram relinquit hominis libertatem : atqui humanam libertatem omninò perimit delectatio relativè victrix Jansenii. Probatum est enim in Tractatûs parte historicâ, ubi de Systemate Jansenii, ipsius delectatione relativè victrici necessitatem injici voluntati, sin *absolutam*, saltem *relativam* : atqui hominis libertas compati nequit cum necessitate, etiam relativâ. Quis enim dixerit in homine gravissimis catenis constricto plenam et perfectam esse libertatem ad ambulandum ? Atqui tamen impossibilitas ambulandi in homine gravissimis catenis constricto, non est absoluta, sed tantùm relativa ad catenas quibus stringitur, adeò ut illis expeditus statìm posset ambulare ; ergo, etc.

Hinc damnata tertia Jansenii propositio : *Ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.*

*Obj.* In Exposit. cap. 5 Epist. ad Galatas, habetur celeberrimum istud Augustini dictum : *Quod ampliùs nos delectat, secundùm id operemur necesse est :* atqui in hoc uno effato totum delectationis relativè necessitantis systema contrahitur. Undè Jansenius, lib. 4 de Gratiâ Christi Salv. cap. 6, illud ipsum effatum dignum existimat, quod *aureis scribatur characteribus.*

*Resp.* 1.° Mirum videri potest textum illum ab adversariis, veluti totius Janseniani systematis summarium, prædicari. Expositionem enim in

Epist. ad Galatas scripsit Augustinus anno 394, cùm nondùm esset Episcopus : atqui fatentur omnes, nec ipse diffitetur Jansenius, Augustinum hoc tempore fuisse Semipelagianis erroribus implicatum, ac consequenter à delectationis relativè necessitantis dogmate, ut nemo magìs, alienum.

2.° S. Doctor per istam vocem, *delectat,* in objecto textu, non designat delectationem indeliberatam, quæ omnem liberam voluntatis electionem antecedat. Nedùm enim crediderit August. necessariò nos operari secundùm id *quod ampliùs nos delectat* delectatione indeliberatâ; testatur seipsum non semper id fecisse ad quod pellebatur delectatione indeliberatâ superiori : *Non faciebam,* inquit lib. 8 Confess. cap. 8, *quod et incomparabili affectu ampliùs mihi placebat.* Ne igitur secum ipso pugnet S. Doctor, dicendum est ipsum in verbis objectis de solâ loqui delectatione deliberatâ, quæ ex liberâ voluntatis electione derivetur, quasi nimirùm diceret : si per deliberatam nostræ voluntatis determinationem aliquod objectum plus diligamus in eoque magìs delectemur, secundùm illud nos operari necessum erit : quod quidem adeò certum est et evidens, ut à nemine possit in dubium revocari. Verùm agendi necessitas ex tali delectatione profluens, nedùm perimat libertatem, ipsius libertatis exercitium supponit et demonstrat.

*Nota.* Non in eo propriè Jansenius errat, quòd gratiam efficacem reponat in delectatione indeliberatâ superiori, cùm idipsum, Ecclesiâ non reclamante, doceant Theologi qui dicuntur *Augustiniani :* sed quòd dicat delectationi indeliberatæ superiori sic consentire voluntatem, ut non habeat veram et *relativam* ei resistendi potentiam.

De aliis pluribus quæ contra thesim opponi solent, vide *Tractatum de Actibus humanis* cap. 1, sect. 2.

## ARTICULUS IV.

### *De variis Scholæ Systematibus circa Gratiæ efficaciam et sufficientiam.*

Multa olìm de variis circa gratiam efficacem et sufficientem systematibus tradere solebant Scholæ Magistri, quæ hodiedùm feliciter obsoleverunt. Satis igitur nobis erit pauca hæc delineare.

Omnes circa gratiæ efficaciam et sufficientiam in scholis catholicis agitatas opiniones, ad duas credimus posse revocari : unam quæ gratiæ efficaciam et sufficientiam ex ipsâ utriusque gratiæ naturâ repetit; alteram verò, quæ ex voluntatis consensu vel dissensu.

Juxta priorem sententiam, est de naturâ gratiæ efficacis ut cum illâ voluntas bonum agat, simul et possit illud non agere; de naturâ verò gratiæ sufficientis ut cum illâ voluntas bonum non faciat, et tamen possit illud facere, ita ut gratia efficax in solum cadat actum, non in potentiam, quam perfectam supponit et completam; et sufficiens è contrario solam afficiat potentiam, non actum. Gratia efficax, in hoc systemate, dicitur *Præmotio physica,* vel etiam *Prædeterminatio physica,* eo quòd nimirùm voluntatem, antecedenter ad omnem ejus consensum, ad actum physicè moveat, determinet et applicet. Ita Thomistæ, sic dicti, quòd suam doctrinam esse velint ipsam doctrinam S. Thomæ.

Juxta alteram verò sententiam, non ex gratiæ naturâ repetendum est quòd sit efficax vel merè

sufficiens, sed ex eo quòd voluntas ei, prout voluerit, consentiat vel dissentiat: non quidem hoc absono sensu, quòd voluntas gratiæ vim aliquam addat ei consentiendo, vel adimat eidem dissentiendo; sed quòd gratia suo non donetur effectu, nisi in quantùm voluntas ejus obsequitur motioni, nec suo privetur effectu, nisi in quantùm voluntas ejusdem motioni refragatur: eo ferè modo quo sacramenta suum non operantur effectum, nisi pro suscipientium dispositionibus, quamvis illæ dispositiones efficaciæ sacramentorum nil prorsùs addant vel detrahant.

Itaque Deus ope *scientiæ mediæ*, de quâ in *Tract. de Deo*, ab æterno videt ex innumeris gratiis quas in suæ misericordiæ thesauris reconditas habet, alias esse quibus Petrus certò consentiet, si ipsi dentur, alias quibus certò dissentiet, si eidem conferantur. Porrò, si Deus ab æterno decreverit Petro dare gratiam primi generis, huic gratiæ Petrus certò consentiet, et erit gratia efficax; si secundi generis, illi Petrus certò dissentiet, et erit gratia purè sufficiens. Ita Molina, in lib. cui titulus, *de Concordiâ liberi arbitrii cum Gratiæ donis, etc.* in quo suam ita fecit prædictam sententiam, ut dicta sit *Molinismus*.

Cùm autem liber ille plurimùm animos offendisset, et à multis fuisset de Semipelagianismo postulatus, insigniores Molinæ discipuli, Vasquesius præsertìm et Suaresius, ut tantam à magistro criminationem repellerent, ipsâ servatâ substantiâ systematis, illud paulò aliter adornare conati sunt.

Igitur non dixêre cum Molinâ gratiam esse efficacem, præcisè quia homo ei consentit, sed

quia ipsa sic congruit cum omnibus circumstantiis in quibus homini datur, ut Deus, per *scientiam mediam*, ab æterno præviderit hominem huic gratiæ certò fore consensurum, si ei talibus daretur in circumstantiis. Hinc gratia efficax apud illos dicitur gratia *congrua*, ipsi verò dicuntur *Congruistæ*. Porrò, si ex tali *congruitate* habeat gratia quòd sit efficax, ex ejusdem proindè *congruitatis* defectu habebit quòd sit duntaxat sufficiens.

Verùm, cùm, juxta ipsos Congruistas, illa gratiæ cum hominis naturâ, indole, variisque tum internis tum externis dispositionibus attemperatio, uno verbo, *congruitas*, non sit efficax naturâ suâ, minùs videntur juxta rem ipsam, quàm juxta quosdam loquendi modos à Molinâ recedere. Si enim urgeantur, et ab illis quæratur ultima ratio, cur una gratia sit efficax, altera purè sufficiens, non facilè concipitur quid aliud ab ipsis possit ultimatìm responderi, quàm quod ab ipso Molinâ responsum est, ideò talem gratiam esse efficacem, quia voluntas ei consentit; talem verò merè sufficientem, quia voluntas illi dissentit.

Hoc igitur præcipuum ac fundamentale discrimen est inter systema Thomistarum, et systema Molinæ vel Congruistarum, quòd juxta Thomistas gratia efficax ita naturâ differat à gratiâ tantùm sufficienti, ut repugnet gratiam efficacem pro uno homine, esse solùm sufficientem pro altero; juxta Molinam autem et Congruistas, adeò sit ejusdem naturæ hoc utrumque gratiæ genus, ut gratia efficax in uno homine, possit esse purè sufficiens in alio; quinimò eadem numero gratia eodem in homine,

pro variis circumstantiis, efficax esse possit, aut merè sufficiens.

Sibi verò sic opponuntur hæc duo systemata, ut videatur nullum inter illa medium excogitari posse, et ad alterutrum esse revocanda illa quæ sub Augustinianorum et Thomassini nominibus celebrantur.

1.° Quidem systema Augustinianorum ad alterutrum ex prædictis systematibus videtur reducendum. Nam Augustiniani, sic dicti quòd Augustinum ducem et magistrum sequi glorientur, in eo cum Jansenio consentiunt, quòd omnem gratiam reponant in cœlesti delectatione, superiori quidem et victrici, si habeat effectum; inferiori autem, si careat effectu. In hoc autem ab eodem differunt essentialiter, 1.° quòd dicant cœlestem delectationem non esse semper charitatem; 2.° quòd velint sub illâ delectatione, si sit superior, veram et *relativam* esse peccandi potentiam; sub eâdem autem, si sit inferior, nullam esse, ne *relativam* quidem peccandi necessitatem. Atqui hæc doctrina, quantùm ad ipsam gratiæ efficaciam vel sufficientiam, in ipsum recidit systema Thomistarum aut Congruistarum. Hæc enim Augustinianorum delectatio, vel habet à naturâ suâ quòd consensum voluntatis eliciat si sit superior, et non eliciat si sit inferior; vel neutrum habet à naturâ suâ. Si prius dicatur, ipsum est systema Thomistarum; si posterius, ipsum est systema Molinæ vel Congruistarum. Ergo, etc.

2.° Pariter systema Thomassini. Thomassinus enim, Dogm. theol. tom. 3, tract. 4, cap. 18, suum systema sic ipse paucis contrahit: *Ineluctabilis vis gratiæ victricis consistit in multitu-*

*dine, varietate, consonantiâ, et conspiratione plurium auxiliorum interiorum exteriorumque, quorum singula seorsìm frustrari possunt, quin et frustrantur quandoquè per libertatis humanæ contumacem dissensum. At universa obstinatissimos quosque fatigant tandem; et multitudine, conspiratione, indefessâ oppugnatione suâ ad assensum tandem pertrahunt.* Atqui, quantumvìs existimet Thomassinus se hâc ratione mediam quasi viam aperuisse inter Thomistarum et Congruistarum sententias, ipse reverà in alterutram relabitur. Circa illam enim *multitudinem, varietatem, consonantiam, et conspirationem plurium auxiliorum*, in quibus reponit gratiam efficacem, idem instituetur dilemma, quod modò fuit circa victricem Augustinianorum delectationem institutum.

Fatemur quidem nec ad Thomistarum, nec ad Congruistarum sententiam revocari posse systema Jansenii : verùm, cùm, ex probatis, illud systema fuerit ab Ecclesiâ proscriptum, non est inter systemata catholica computandum.

Igitur eò reduci videtur tota quæstio præsens, utrùm gratia sit *ab intrinseco* efficax, et sufficiens, ut volunt Thomistæ; vel *ab extrinseco* tantùm, ut contendunt Molina et Congruistæ.

Cùm autem, labente seculo XVI, occasione citati libri Molinæ, *de Concordiâ, etc.*, circa quæstionem illam gravissima in Hispaniis orta fuissent dissidia, Clemens VIII S. Pont., ut ea sedaret, anno 1598 indixit celebres illas Congregationes, quæ ab objecto suo dictæ sunt *de Auxiliis;* sibique, novem et ampliùs annorum spatio, non interruptè successerunt.

In illis multùm quidem disputatum, sed nihil

prorsùs definitum. Ut igitur disputationibus finem imponeret Clementis VIII, post Leonem XI, successor Paulus V, mense Aug. anni 1607 Rescriptum dedit, quo utrique parti sic permittit propriam tueri sententiam, ut simul utrique vetet partem oppositam ullâ notare censurâ, vel probrosis afficere nominibus. Quinimò paulò post prohibuit idem Pontifex ne liber ullus circa hanc materiam typis mandaretur sine speciali licentiâ S. Sedis.

Si autem ipsa S. Sedes litem præsentem in suspenso reliquerit, nec eam dirimere tentabimus; nobisque sat erit systemata breviter exposuisse.

## CAPUT II.

### *De Gratiâ habituali.*

Dicendum est 1.° de naturâ et existentiâ gratiæ habitualis, 2.° de ejusdem effectibus.

### ARTICULUS PRIMUS.

#### *De Naturâ et Existentiâ Gratiæ habitualis.*

Quamvis habitus quilibet supernaturalis dici possit *gratia habitualis*, usus tamen invaluit ut nomen illud ad solam gratiam sanctificantem restringeretur. Sic autem accepta gratia habitualis, breviter definiri potest, *Gratia animæ permanenter inhærens, eamque interiùs justificans.*

Dicitur 1.°, *animæ permanenter inhærens*: non quòd ad ejus essentiam pertineat ut semper maneat in animâ, cùm, ex dicendis, possit per

peccatum amitti; sed ut distinguatur à gratià actuali, quæ per modum actûs transeuntis animam afficit, non ad instar habitûs inhærentis.

Dicitur 2.°, *eamque interiùs justificans*, ad revincendos Lutheranos et Calvinianos, qui, prout articulo sequenti videbitur, omnem hominis justificationem in merâ divinæ justitiæ imputatione constituunt. Ad talis autem gratiæ existentiam comprobandam, sit cum omnibus Catholicis

PROPOSITIO.

*In præsenti statu naturæ lapsæ datur gratia dicto sensu habitualis, id est,* animæ permanenter inhærens, eamque interiùs justificans.

*Prob.* 1.° *ex Script.* Gratia quâ formaliter constituimur justi, divinæ naturæ consortes, Deique filii et hæredes, animam profectò permanenter afficit, et intrinsecè justificat: atqui talis gratiæ sæpiùs mentio fit in Scripturis.

1. Quidem gratiæ quâ justi sumus. Apost. enim, Rom. c. 5, ℣. 19, hæc scribit: *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi; ita et per unius obeditionem justi constituentur multi.* Admittit gratiam Apostolus, per quam eodem modo justi constituamur, quo sumus per peccatum Adami peccatores constituti: atqui peccato protoparentis, non impropriè et metaphoricè, sed verè sumus et formaliter peccatores constituti; ergo, etc.

2. Gratiæ quâ divinæ naturæ sumus consortes. Ait enim S. Petrus II Epist. c. 1, ℣. 4: *Per quem maxima et pretiosa nobis promissa donavit: ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ.*

3. Gratiæ quâ sumus Dei filii et hæredes. *Videte,* inquit Joannes, I Epist. c. 3, ℣. 1, *qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, et simus.* Undè Apostolus, Rom. c. 8, ℣. 17 : *Si autem filii, et hæredes : hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.*

Hinc in plurimis Scripturarum locis sermo, fit de gratiâ interiori, quæ per se stabilis sit ac permanens : I Timot. c. 4, ℣. 14 : *Noli negligere gratiam quæ* IN TE EST, *quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii.* Item I Joan. c. 3, ℣. 9.

*Prob.* 2.° *ex Concil. Trid.* Sess. enim 6, de Justif. can. 11, sic pronuntiat : *Si quis dixerit, homines justificari... exclusâ gratiâ et charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat ; aut etiam gratiam, quâ justificamur, esse tantùm favorem Dei; anathema sit :* atqui gratia quæ in cordibus nostris per Spiritum Sanctum *diffunditur, illis inhæret,* nosque *justificat,* est ipsa gratia habitualis, prout modò definita fuit; ergo, etc.

*Prob.* 3.° *ex SS. PP.* S. Basilius, lib. de Spiritu Sancto, cap. 26; S. Chrys. exponens illud Ephes. c. 1, ℣. 6, *Gratificavit nos in dilecto Filio suo ;* S. Ambr. lib. de Initiandis, cap. 7. Appellare sufficiat S. August. qui lib. de Spiritu et Litt. cap. 9, hæc Apostoli verba, Rom. c. 3, ℣. 21, *Justitia Dei manifestata est,* sic commentatur : *Non dixit* (Apostolus) *justitia hominis..., sed justitia Dei; non quâ Deus justus est, sed quâ induit hominem, cùm justificat impium :* atqui gratia quâ Deus *induit hominem,* cùm justificat impium, ipsa est gratia habitualis, prout à nobis accipitur; ergo, etc.

*Nota* 1.° Quid sit de fide in præcedenti propositione, accuratè et præcisè determinat Veronius, in suâ eximiâ *Regulâ fidei catholicæ,* cap. 2, § 2, ad calcem tractatûs generalis, *de Controversiis,* auctor. fratribus *Walemburch.*

*Nota* 2.° Hìc quæri solet utrùm gratia habitualis seu sanctificans, verè distinguatur à charitate habituali. Verùm tanti momenti non videtur illa quæstio, quàm ut in eâ discutiendâ vel minimùm immoremur. Quidquid enim sit de pugnantibus hâc in parte Thomistarum et Scotistarum sententiis, omnes in eo tanquam dogmate fidei consentiunt, gratiam habitualem, et habitualem charitatem, esse duo sic inseparabilia, ut neutrum seorsìm ab alio possit existere.

*Nota* 3.° Cætera ad gratiam habitualem spectantia, sophismata præsertìm quibus eam impetunt Heterodoxi, perpendentur articulo sequenti, ubi de Justificatione.

## ARTICULUS II.

### *De Gratiæ habitualis Effectibus.*

Duo sunt præcipui gratiæ habitualis effectus, justificatio, et meritum : de quibus est duplici paragrapho disserendum.

### § I.

### *De Justificatione.*

Justificatio, prout hìc accipitur, est *justitiæ et sanctitatis acquisitio, quâ homo Deo gratus efficitur.* Justificationem sic considerat Apostolus, quandò dicit, Rom. c. 3, ℣. 24 : *Justificati gratìs per gratiam ipsius.*

Justificatio sic intellecta procedit ex gratiâ ac-

tuali simul et habituali : ex actuali quidem, tanquam causâ disponente et efficiente; ex habituali verò, tanquam causâ *formali,* quæ nimirùm ipsam formaliter justitiam constituat, nec ab eâ distinguatur.

Circa justificationem autem tria quæri solent, 1.um quæ præviæ sint ad ipsam dispositiones, 2.um quæ sit ejus natura, 3.um quæ sint ejusdem proprietates.

## I.

## *De præviis ad Justificationem Dispositionibus.*

Certum est 1.° in infantibus, ut justificationem recipiant, nullam requiri dispositionem; quamvis enim nullius sint propriè dictæ dispositionis capaces, fide tamen constat ipsos Baptismo justificari.

Certum est 2.° in adultis aliquas generatim prærequiri dispositiones ut justificentur : *Pœnitentiam agite,* ait Petrus, Act. c. 2, ℣. 38, *et baptizetur unusquisque vestrûm... in remissionem peccatorum.* Undè illud Aug. Serm. 15 de Verbis Apost. : *Qui fecit te sine te, non justificat te sine te.*

Certum est 3.° inter prævias ad justificationem dispositiones primum locum tenere fidem : *Sine fide autem,* inquit Apost. Heb. c. 11, ℣. 6, *impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit.*

In his tribus sat consentiunt cum Catholicis Lutherani et Calviniani. Sed ab iisdem in aliis tribus quàm maximè dissentiunt. Nam 1.° volunt solam fidem requiri ad justificationem impetrandam : *Sola fides necessaria est ut justi simus,* ait Lutherus in cap. 2, Epist. ad Gal.; *Sola fides*

*est quæ justificat,* ait Calvinus in Antid. Concilii Trid. ad can. 11, Sess. 6. 2.° Per fidem quam ad justificationem requirunt, non intelligunt cum Catholicis assensum datum veritatibus à Deo revelatis, sed fiduciam quâ generale Dei promissum, de remissione peccatorum omnibus credentibus indulgendâ, nobis singulis applicemus; atque firmiter credamus peccata nobis per Christum esse remissa. 3.° Docent fidem illam nullius prorsùs esse pretii, et ne per modum quidem præparationis ad justificationem concurrere; sed esse velut merum instrumentum, quo justificationem impius à Deo recipiat, eo ferè modo quo pauper manu recipit eleemosynam à divite. Sic Lutherus et Calvinus, in locis citatis. Tribus illis erroribus tres opponuntur fidei veritates, duplici propositione comprobandæ.

### PROPOSITIO PRIMA.

*Sola fides non sufficit ad justificationem.*

*Prob.* Illud ad justificationem non sufficit, præter quod ad hominem justificandum plura requiruntur : atqui præter fidem, etc. Timor enim, Dei dilectio, pœnitentia, bona opera, non sunt ipsa fides, qualis hìc à Catholicis vel Heterodoxis accipitur : atqui, ex Scripturis, illa quatuor, præter fidem, ad justificationem absolutè requiruntur.

1.° Quidem timor. Eccli. enim c. 1, ℣. 28, sic legitur : *Qui sine timore est, non poterit justificari.* 2.° Dei dilectio. I Joan. c. 3, ℣. 14 : *Qui non diligit, manet in morte.* 3.° Pœnitentia. Luc. c. 13, ℣. 3 : *Nisi pœnitentiam habueritis*, ait Christus, *omnes similiter peribitis.* 4.° Tan-

dem, bona opera generatìm. Jacobus enim, Epist. Catholicæ c. 2, totus est ut ostendat neminem posse justificari sine operibus, ℣. 14, 24 et 26: *Quid proderit,* inquit, *fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides salvare eum?... Ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantùm... Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est.* Quæ verba adeò clara sunt et aperta, ut ad eorum vim eludendam coactus sit Lutherus Epistolam Jacobi, velut apocrypham, respuere.

Meritò igitur Concil. Trid. Sess. 6, de Justific. can. 9 sic decernit: *Si quis dixerit solâ fide impium justificari...; anathema sit.*

*Obj.* Joan. c. 1, ℣. 12: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus;* et cap. 3, ℣. 36: *Qui credit in Filium, habet vitam æternam;* ergo sola fides justificat, quippe quæ sola nominatur.

*Resp.* 1.° *Retorq. arg.* Tob. c. 12, ℣. 9: *Eleemosyna à morte liberat;* Eccli. c. 1, ℣. 17: *Timor Domini expellit peccatum;* Rom. c. 8, ℣. 24: *Spe salvi facti sumus;* ergo timor Dei solus, spes sola, eleemosyna sola justificat, siquidem unicuique ex illis justificatio tribuitur.

*Resp.* 2.° *Nego cons.* Cùm ad unum effectum plures concurrunt causæ, modò uni, modò alteri tribuitur effectus, nec propterea unamquamque sine aliis sufficere dicitur. Apost. verò justificationem fidei plurimùm tribuit, eo quòd, ut loquitur Conc. Trid. Sess. 6, cap. 8, ipsa *est humanæ salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis.*

*Inst.* Rom. c. 3, ℣. 28: *Arbitramur justificari*

*cari hominem per fidem, sine operibus legis;* et Ephes. c. 2, ℣. 8 et 9: *Gratiâ estis salvati per fidem, non ex operibus;* ergo sola fides ad justificationem disponit.

*Resp. Nego cons.* In primo textu, excludit tantùm Apostolus opera legis mosaicæ, et in secundo opera ex naturæ viribus elicita: porrò fatemur, nec legem per se justitiam contulisse, nec opera naturalia ad salutem esse proficua. Hinc S. Aug. lib. de Grat. et lib Arbitr. cap, 7: *Homines non intelligentes quod ait ipse Apostolus, « Arbitramur justificari hominem per fidem, sine operibus legis », putaverunt eum dicere, sufficere homini fidem etiamsi malè vivat, et bona opera non habeat. Quod absit ut sentiret vas electionis, qui cùm dixisset quodam loco, « In Christo enim Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, » mox addidit, « Sed fides quæ per dilectionem operatur. »*

Idem prorsùs respondebitur ad illos SS. PP. qui, ut S. Hilarius, cap 8 in Matth., dicunt hominem *fide solâ justificari.*

PROPOSITIO II.

*Non in eo consistit fides ad justificationem necessaria, quòd peccator certò confidat omnia peccata sibi per Christum esse remissa; sed quòd firmiter credat esse vera, quæcunque sunt à Deo revelata.*

*Prob* 1.° *ex Script.* Marci c. 16, ℣. 15, sic legimus: *Prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* Joan. c. 20, ℣. 31: *Hæc autem scripta sunt ut credatis quia Jesus est Christus Filius*

*Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Act. c. 8, ℣. 36, 37, Eunucho Baptismum his verbis postulanti : *Ecce aqua; quid prohibet me baptizari?* respondet Philippus : *Si credis ex toto corde, licet.* Reponit autem Eunuchus : *Credo Filium Dei esse Jesum Christum.* Deniquè, Rom. c. 10, ℣. 8, 9 : *Hoc est,* inquit Apostolus, *verbum fidei quod prædicamus, quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris quòd Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris.*

Fides de quâ in illis locis, dubio procul est ipsa fides ad justificationem necessaria, cùm requiratur in adulto quolibet, ut *salvus sit*, ut *vitam habeat in nomine* Christi, ut gratiam Baptismi recipiat : atqui tamen in illis textibus descripta fides, non est fides specialis quâ peccator credat omnia peccata sibi per Christum esse remissa; sed fides catholica, quâ credat verum esse quidquid Deus revelavit, quâ scilicet Evangelio *credat*, quâ *credat quia Jesus est Christus Filius Dei*, quâ *credat quòd Deus illum suscitavit à mortuis*; ergo, etc.

*Prob.* 2.° *ex Concil. Trid.* quod Sess. 6, de Justif. oppositam Heterodoxorum doctrinam duplici canone confixit, nempè 12 : *Si quis dixerit fidem justificantem nihil aliud esse quàm fiduciam divinæ misericordiæ, peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse quâ justificamur; anathema sit.* Et can. 13 : *Si quis dixerit omni homini, ad remissionem peccatorum assequendam, necessarium esse ut credat certò, et absque ullâ hæsitatione propriæ infirmitatis et indispositionis, peccata sibi esse remissa; anathema sit.*

*Prob* 3.° *Ratione theologicâ.* Illud absurdè requiritur ad justificationem, quod sine miraculo haberi nequit, quod aliundè, si per miraculum haberetur, ipsam justificationem supponeret : atqui, ex dicendis sequenti parag. nemini sine miraculo, nimirùm sine speciali revelatione, potest inesse vera certitudo, quòd sibi peccata per Christum remissa sint ; et aliundè talis certitudo ipsam evidenter supponeret peccatorum remissionem, ac ipsam proindè justificationem ; ergo non sine summâ absurditate talis certitudo seu fides ad justificationem impetrandam necessaria dici potest.

*Obj.* Christus Dominus, Matt. c. 9, ℣. 2, dicit Paralytico : *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.* Igitur, ipso Christo pronuntiante, remissa sunt Paralytico peccata, quia certò confidit ea sibi fore remittenda.

*Resp.* 1.° Dici potest hæc Christi verba ad Paralyticum, *Confide, fili,* non ad peccatorum remissionem, sed ad solam corporis sanitatem esse referenda, quasi nempè dixisset : *Confide, fili,* te recepturum à me membrorum sanationem, à quo jam recipis peccatorum remissionem.

2.° Supponendo, sicut vulgò supponitur, voces istas, *Confide, fili,* ad ipsam peccatorum remissionem esse referendas, id unum concludendum erit, quod omnes credunt Catholici, et definiunt PP. Trid. Sess. 6, cap. 6, adultos *disponi ad ipsam justitiam... dùm peccatores se esse intelligentes, à divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum*

*propitium fore.* Sed indè colligi non poterit, cum Pseudo-Reformatis, aut ad justificationem nihil requiri præter fiduciam, aut fiduciam quæ ad justificationem requiritur, talem esse debere, ut omnem prorsùs dubitationem expellat ac formidinem.

Cùm verò cætera Sectariorum argumenta minùs adhuc ad rem pertineant, de illis omninò silebimus.

Colliges fidem quæ ad justificationem requiritur, ad illam non concurrere per modum meri instrumenti quo apprehendatur justitia, sicut eleemosyna apprehenditur manu pauperis; sed per modum veræ et propriè dictæ dispositionis. Passìm enim in citatis vel citandis Scripturarum locis, fides exhibetur tanquam justificationis principium et inchoatio, ut cùm dicitur, Act. c. 15, ℣. 9: *Fide purificans corda eorum;* et Rom. c. 4, ℣. 5: *Credenti in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam:* atqui fides dici non posset inchoare justitiam, si merum esset instrumentum apprehendens justitiam, non autem vera dispositio præparans ad illam impetrandam; ergo, etc.

## II.

### *De Naturâ Justificationis.*

Si fides Lutheranis et Calvinianis, hoc sensu justificatur peccator, quòd ipsius peccata externâ Dei vel Christi justitiâ, quasi velo tegantur, ideòque non imputentur; non autem eo sensu, quòd verè et propriè remittantur, ipsaque anima peccatoris interiùs renovetur. Adversùs errorem istum, dogma catholicum confirmabit

PROPOSITIO.

*Justificatio peccatoris in eo consistit, quòd ejus peccata verè ac propriè remittantur, simul et ipsius anima interiùs renovetur.*

*Prob.* 1.ª *pars*, in justificatione peccatoris fieri veram et propriè dictam peccatorum remissionem, non meram illorum non imputationem. 1.° *Ex Script.* Ps. 50, ℣. 11, Deum sic orat Vates regius : *Omnes iniquitates meas dele.* Luc. c. 7, ℣. 47, de muliere peccatrice dicit Christus : *Remittuntur ei peccata multa.* Joan. c. 1, ℣. 29, sic legitur : *Vidit Joannes Jesum venientem ad se, et ait : Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Deus ergo peccatorem justificans, ejus *omnes iniquitates delet, remittit,* ac *tollit,* proindèque non solùm non imputat, vel tegit.

Hinc passìm in Scripturis peccator justificatus exhibetur tanquam ab omni peccato mundus, ut cùm dicitur, Ps. 50, ℣. 9 : *Lavabis me, et super nivem dealbabor.* Et I Joan. c. 1, ℣. 7 : *Sanguis J. C. Filii ejus emundat nos ab omni peccato.*

2.° *Ex Conc. Trid.* Sess. 5, de Peccato originali, can. 5, ubi sic definitur : *Si quis per J. C. Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantùm radi aut non imputari ; anathema sit.*

3.° *Ex SS. PP.* quorum omnium instar sit S. Aug. lib. 1 contra duas epist. Pelag. cap. 13 :

*Dicimus Baptisma... auferre crimina, non radere, ut omnium peccatorum radices in malâ carne teneantur, quasi rasorum in capite capillorum, undè crescant iterùm resecanda peccata.*

*Prob.* 2.ª *pars*, in justificatione peccatoris non solùm fieri peccatorum remissionem, sed et interiorem animæ renovationem. Nam justificatio formaliter sumpta, est ipsa gratia habitualis seu justificans : atqui, ex dictis articulo præcedenti, gratia justificans animam interiùs afficit et renovat; ergo, etc.

Et certè, ubiquè Scripturarum peccatoris justificatio *renovationis interioris* nomine designatur. Ait enim Rex Propheta, Ps. 50, ℣. 12 : *Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis.* Et Apost. Eph. c. 4, ℣. 23, 24 : *Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundùm Deum creatus est in justitiâ et sanctitate veritatis.*

Undè Trid. Sess. 6, de Justif. cap. 7, sic decernit : *Justificatio... non est sola peccatorum remissio; sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis.*

### *Solvuntur Objectiones.*

*Obj.* 1.° *adversùs* 1.ªᵐ *partem*, Ps. 31, ℣. 1 : *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum;* ergo in justificatione teguntur quidem et non imputantur peccata, sed non delentur, nec auferuntur.

*Resp.* SS. PP. in objecto textu, per *tegi peccata, non imputari peccata*, non aliud intelligunt, quàm peccata penitùs dimitti et deleri. Ad instar aliorum audiatur Aug. qui Enarrat. 2 in

Psal. 31, objecta verba sic commentatur : *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata : non in quibus non sunt inventa peccata ; sed quorum tecta sunt peccata, cooperta sunt peccata, tecta sunt, abolita sunt... Nec sic intelligatis, quod dixit, peccata cooperta sunt, quasi ibi sint et vivant.*

*Obj.* 2.° *adversùs* 2.am *partem,* textus Scripturarum, in quibus dicitur peccatorem hoc solo sensu justificari, quòd imputetur illi justitia Dei vel Christi : Apostolus, Rom. c. 4, ℣. 3, 5 : *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam... Credenti in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam ;* ergo, etc.

*Resp.* Scopus Apostoli in verbis objectis non est exponere in quo formaliter consistat justificatio, sed abstrahens à naturâ justificationis, vult tantùm significare, nos ad illam fide disponi ac præparari, quasi nimirùm diceret : Quicunque Deo loquenti crediderit, ut credidit Abrahamus, ipsi, sicut Abrahamo, fides *reputabitur ad justitiam,* id est, plurimùm proderit ad justitiam obtinendam : atqui aliud est fidem plurimùm prodesse ad justitiam obtinendam, aliud justificationem meram esse divinæ justitiæ imputationem ; ergo, etc.

*Inst.* Idem Apostolus, I Cor. c. 1, ℣. 30 : *Factus est nobis* (Christus) *sapientia à Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio :* atqui hìc expressè dicitur non aliam esse nostram justitiam, quàm justitiam Christi nobis imputatam ; ergo, etc.

*Resp.* Christus ab Apostolo dicitur *factus nobis justitia,* non quòd nostra justitia sit ipsa jus-

titia Christi nobis imputata, sed quòd Christus causa sit meritoria justitiæ quæ nobis infunditur et interiùs inhæret, quo sensu dicitur Ps. 26: *Dominus illuminatio mea et salus mea*, id est, Dominus est auctor illuminationis et salutis meæ. Et certè, non alio sensu dicit Apost. Christum *factum esse nobis justitiam*, quàm *factum esse nobis sapientiam*: atqui nonnisi absurdè diceretur quòd nostra sapientia nihil aliud sit quàm ipsa Christi sapientia nobis imputata; ergo, etc.

## III.

### *De Proprietatibus Justificationis.*

Circa proprietates justificationis tres sunt errores præcipui.

1.us Est Lutheranorum et Calvinianorum, qui cùm doceant, ut suprà vidimus, fidem justificantem, eam esse quâ quis credit omnia peccata sibi per Christum esse remissa, consequenter asserunt essentialem esse justificationis proprietatem, ut omnes et singuli fide divinâ possint, imò debeant credere se esse justificatos, ita ut quicunque non ita credunt, hoc ipso non sint justificati. Sic Lutherus in suis thesibus publicis, et Calvinus, lib. 3 Institut. cap. 2.

2.us Error proprius est Calvinianis, juxta quos adeò stabilis est ac firma justitia, ut quicunque semel illam adeptus est, eam per nullum unquàm peccatum possit amittere. Ita Calvinus, loco citato.

3.us Error iterùm communis est Lutheranis et Calvinianis, qui ex palmari suo dogmate, justitiam nostram nihil aliud esse quàm ipsam Christi justitiam nobis imputatam, inferunt in justis non

esse majorem vel minorem, sed prorsùs æqualem justitiam. Omnes *Christiani*, inquit Lutherus, Serm. de Nativitate B. Mariæ Virginis, *æquè magni sumus, sicut Mater Dei; et æquè sancti, sicut ipsa.*

Illi tres errores triplici sunt propositione revincendi.

### PROPOSITIO PRIMA.

*Nemo*, citra specialem revelationem, *fide divinâ credere potest se esse justificatum.*

*Prob. ex Script.* Proverb. c. 20, ℣. 9, hæc legimus: *Quis potest dicere: Mundum est cor meum; purus sum à peccato?* Eccle. c. 9, ℣. 1, *Nescit homo, utrùm amore an odio dignus sit.* Et I Cor. c. 4, ℣. 4: *Nihil mihi conscius sum: sed nòn in hoc justificatus sum.* Igitur, ex Scripturis, nullus hominum certò scire potest mundum esse cor suum et purum à peccato, se amore Dei dignum esse, se esse justificatum: atqui tamen hæc omnia certò sciret, quicunque fide divinâ certus esset de suâ justificatione.

Hinc Gregorius Magnus sorori suæ Gregoriæ sciscitanti utrùm de peccatorum suorum remissione certa esse posset ac secura, sic respondet, Epist. lib. 7, Epist. 25, tom. 2 edit. BB.: *Rem difficilem etiam et inutilem postulasti; difficilem quidem, quia ego indignus sum cui revelatio fieri debeat; inutilem verò, quia secura de peccatis tuis fieri non debes.*

Hanc autem perpetuam Ecclesiæ fidem sic confirmat Synodus Trid. Sess. 6, de Justif. cap. 9: *Neque asserendum est.... neminem à peccatis absolvi ac justificari, nisi eum qui certò credat se absolutum et justificatum esse... cùm nullus*

*scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.*

Dixi tamen in propositione, *citra specialem revelationem;* quamvis enim, secundùm legem ordinariam, nemo certò scire possit se esse justificatum, id tamen extraordinariè, per sibi factam divinitùs revelationem aliquis cognoscere potest, ut David cognovit, cùm dixit illi Nathan propheta, II Regum, c. 12, ℣. 13 : *Dominus transtulit peccatum tuum;* et mulier peccatrix, cùm audivit Christum dicentem, Luc. c. 7, ℣ 47 : *Remittuntur tibi peccata multa.*

*Obj.* ex verbis Apostoli : 1.° Rom. c. 8, ℣. 16 : *Ipse Spiritus* (Sanctus) *testimonium reddit spiritui nostro quòd sumus filii Dei :* atqui fide divinâ credendum est quidquid testatur Spiritus Sanctus; ergo fide divinâ possumus, imò debemus credere, *quòd sumus filii Dei,* id est, justificati. 2.° Ejusdem cap. ℣. 38 : *Certus sum,* inquit Apost., *quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus... neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei;* atqui nemo certus esse potest quia nulla creatura poterit ipsum separare *à charitate Dei,* nisi priùs certus sit se habere charitatem; ergo, etc.

*Resp. ad* 1.um Hæc Apostoli verba non sunt intelligenda, sicut supponit objectio, de singulis fidelibus, quasi nulli sint fideles, quibus Spiritus Sanctus non *testimonium reddat quòd sint filii Dei;* sed de ipsâ fidelium societate seu Ecclesiâ accipi debent, hoc nempè sensu, quòd testetur Spiritus Sanctus omnes intra Ecclesiam, et nullos extra Ecclesiam *filios Dei* existere. Sensum istum manifestat versus immediatè præcedens, in quo cum Synagogâ conferens Ecclesiam Apostolus,

dicit, Synagogæ datum esse spiritum timoris, Ecclesiæ verò spiritum adoptionis filiorum. *Non enim*, inquit, *accepistis spiritum servitutis iterùm in timore; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba (Pater).*

*Resp. ad* 2.um Voces illæ, *Certus sum*, hìc non certitudinem absolutam, sed summam duntaxat exprimunt fiduciam, et istis æquivalent, *Maximè confido*. Si enim ibi dicere voluerit Apostolus suam sibi penitùs perspectam et exploratam esse justificationem, cur ergo dicit, I Cor. c. 4, ℣. 3 : *Neque meipsum judico : nihil enim mihi conscius sum : sed non in hoc justificatus sum?* Idem respondebitur ad alios similes Apostoli textus.

## PROPOSITIO II.

### *Justitia semel accepta potest amitti.*

*Prob.* 1.° *ex Script.* Ezech. c. 18, ℣. 24, Dominus sic loquitur : *Si averterit se justus à justitiâ suâ, et fecerit iniquitatem secundùm omnes abominationes quas operari solet impius, nunquid vivet?* atqui in hoc textu supponitur justos sæpiùs *avertere se à justitiâ suâ;* ergo, etc.

Hâc veritate territus Apostolus dicit, I Cor. c. 9, ℣. 27 : *Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.*

*Prob.* 2.° *ex Conc. Trid.* Sess. 6, de Justif. can. 23, sic definiente : *Si quis hominem semel justificatum dixerit ampliùs peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideò eum qui labitur et peccat, nunquàm verè fuisse justificatum...; anathema sit.*

*Prob.* 3.° *ex S. Aug.* qui pluries dicit vel supponit esse homines qui ex justitiâ in impietatem, et ex impietate in ipsam incidant mortem æternam. Sic lib. de Corrept. et Gratiâ, cap. 13 : *Credendum est quosdam... non accepto dono perseverantiæ usque in finem... aliquandiù fideliter ac justè vivere, et posteà cadere.*

*Prob.* 4.° *Ratione theologicâ.* Demonstratur ubi de sacramento Baptismatis, omnes et singulos infantes in ipsâ hujus sacramenti receptione justificari : atqui tamen nemo dixerit eos omnes qui in infantiâ baptizantur, in justitiâ mori seu esse prædestinatos; ergo necessariò dicendum est ex illis plurimos esse qui, postquàm rationis usum adepti sunt, à primævâ recedunt justitiâ.

*Obj.* 1.° Apost. I Cor. c. 13, ℣. 8 : *Charitas nunquàm excidit :* atqui *charitas* ipsa est justitia; ergo, etc. 2.° I Joan. c. 3, ℣. 9 : *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit; quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est;* ergo qui natus est ex Deo, id est, justus peccatum non facit, imò non potest peccare.

*Resp. ad* 1.um Sensus Apostoli non est, eum qui in hâc vitâ semel adeptus est charitatem, eam quoad vixerit nunquàm posse amittere, sed eum qui charitatem usque ad exitum hujus vitæ servaverit, illam in æternum esse servaturum; in hocque distingui charitatem à fide, spe, plurimisque aliis donis, prophetiarum, v. g., et linguarum, quæ adeò circumscribuntur vitæ præsentis limitibus, ut eos non possint excedere. Hanc esse mentem Apostoli demonstrat ipse contextus.

*Ad.* 2.um Dicit quidem S. Joannes eum qui

natus est ex Deo non peccare, imò nec posse peccare, secundùm quod *natus est ex Deo,* et *semen ipsius,* id est, charitas *in eo manet :* sed nec minimùm innuit eum qui natus est ex Deo, non posse peccare, secundùm quod natus est ex homine, in eoque manet aliquid vetustatis et cupiditatis. Hanc distinctionem ipse suppeditat August. lib. de Gratiâ Christi, cap. 21 : *Qui natus est ex Deo,* inquit S. Doctor, *non peccat... Cùm ergo peccat homo, non secundùm charitatem, sed secundùm cupiditatem peccat.*

PROPOSITIO III.

*Justitia non est in omnibus justis æqualis, sed in aliis major, et in aliis minor.*

*Prob.* 1.° *ex Script.* Proverb. c. 4, ℣. 18, sic legitur : *Justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectam diem ;* et Apoc. c. 22, ℣. 11 : *Qui justus est, justificetur adhuc ; et sanctus, sanctificetur adhuc :* atqui, si omnibus justis eadem inesset justitia, non posset *crescere usque ad perfectam diem ;* nec qui semel justus esset, posset magìs ac magìs justificari et sanctificari ; ergo, etc.

*Prob.* 2.° *ex SS. PP.* S. August. Serm. 158 aliàs 16, de Verbis Apost. : *Justificati sumus,* inquit, *sed ipsa justitia, cùm proficimus, crescit.* Et Epist. 167 aliàs 29 : *Induti sunt Sancti justitiâ, alius magìs, alius minùs.*

*Prob.* 3.° *Ratione theologicâ.* Ideò volunt Lutherus et Calvinus eamdem in omnibus justis esse justitiam, quòd justitia christiana nihil aliud sit quàm ipsa justitia Dei vel Christi nobis imputata : atqui hunc errorem parag. præcedenti refellimus ; ergo, etc.

Hinc 1.° Ecclesia Deum sæpiùs deprecatur ut *det nobis fidei, spei et charitatis augmentum.*

Hinc 2.° Tridentina Synodus, Sess. 6, de Justific. can. 24, sic definit: *Si quis dixerit justitiam acceptam non conservari, atque etiam augeri coram Deo per bona opera: sed opera ipsa fructus solummodò et signa esse justificationis adeptæ, non autem ipsius augendæ causam; anathema sit.*

## § II.

### *De Merito.*

Dicemus 1.° de existentiâ meriti, 2.° de conditionibus ad meritum necessariis, 3.° de objecto meriti.

### I.

### *De Existentiâ Meriti.*

Meritum in genere definitur, *Opus præmio et retributione dignum.*

Protestantes, qui contendunt hominem solâ fide justificari, imò justorum opera totidem esse peccata, nullum proindè meritum in illis operibus agnoscunt. Contra illos sit

PROPOSITIO.

*Datur Meritum propriè dictum.*

*Prob.* 1.° *ex Script.* Eccli. c. 16, ℣. 15: *Unicuique secundùm* MERITUM *operum suorum.* Rom. c. 2, ℣. 6: *Reddet unicuique secundùm opera ejus.* Matth. c. 25, ℣. 34: *Venite Benedicti... possidete paratum vobis regnum... Esurivi enim,* etc. II Tim. c. 4, ℣. 7, 8: *Bonum*

*certamen certavi ;... in reliquo reposita est mihi corona* JUSTITIÆ , *quam reddet mihi Dominus in illâ die ,* JUSTUS JUDEX. Matth. c. 5, ℣. 12 : *Gaudete... quoniam* MERCES *vestra copiosa est in cœlis :* quæ sanè decretoria sunt.

*Prob* 2.° *ex Traditione.* Conc. Araus. can. 18, et Trident. Sess. 6 , can. 32 : *Si quis dixerit hominis justificati bona opera , ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita ;... anathema sit.* Consonant SS. PP. : unum S. Aug. in re tam clarâ appellare satis est : Epist. 105 , ad Sixtum : *Nullane ,* inquit, *sunt merita justorum ? sunt planè , quia justi sunt.*

*Prob.* 3.° *Ratione theologicâ.* Illa opera verè et propriè dici debent meritoria , ad quæ concurrunt omnes conditiones ad meritum requisitæ : atqui dantur opera quædam quibus nulla deest ex conditionibus ad meritum requisitis, ut modò patebit ; ergo existunt opera verè et propriè meritoria.

*Obj.* 1.° Isaiæ c. 64 , ℣. 6 : *Quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ ;* ergo omnia etiam justorum opera sunt immunda , et proindè nullatenùs meritoria.

*Resp. Nego cons.* Ibi Propheta non loquitur de omnibus justorum operibus , sed de peccatorum legalibus observantiis , quibus , licèt multiplici maculâ respersis , magnoperè confidebant.

*Obj.* 2.° Psalm. 102 , ℣. 1 , 4 : *Benedic anima mea Domino ,... qui coronat te in misericordiâ et miserationibus :* porrò si beatitudo cœlestis datur ex misericordiâ , jam prorsùs evanescit meritum ; ergo non existunt opera verè et propriè meritoria.

*Resp. Nego min.* Ex S. August., Deus nos

coronat ex misericordiâ, non per meriti exclusionem, sed quia meritum ex gratiâ seu misericordiâ procedit, juxta illud orantis Ecclesiæ : *Deus qui coronando merita, coronas dona tua.*

*Obj.* 3.° Luc. c. 17, ℣. 10 : *Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus :* atqui opus meritorium non potest dici inutile ; ergo non existunt opera verè et propriè meritoria.

*Resp. Nego min.* Textus S. Lucæ multiplicem patitur explicationem thesi nostræ minimè adversam. Itaque post legem etiam à nobis fideliter impletam, verè servi inutiles sumus, 1.° quia ex viribus naturæ non potuimus ea servare, sed gratiâ indiguimus ; 2.° quia quidquid boni agimus, nobis quidem utile est, non Deo qui bonis nostris non eget ; 3.° quia nihil facimus ultra id quod debemus, et nihil indè justæ mercedis à Deo petere possumus, nisi priùs ipse liberali pacto nobiscum convenire voluerit : porrò quælibet ex illis eligatur interpretatio, detrimenti nihil patitur nostra thesis.

*Obj.* 4.° *Gratia Dei vita æterna,* Rom. c. 6, ℣. 23 ; ergo vita æterna non cadit sub merito.

*Resp. Nego cons.* Vita æterna dicitur gratia, non per exclusionem meriti, sed quia ejus meritum habemus ex gratiâ.

*Obj.* 5.° Tit. c. 3, ℣. 5 : *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit ;* ergo, etc.

*Resp. Nego cons.* Textus enim ille intelligi debet de salute inchoatâ, per primam gratiam sanctificantem omninò gratuitam, non autem de salute perfectâ, quæ consistit in beatitudine cœlesti.

*Obj.* 6.° Merita justorum detrahunt meritis Christi; ergo, etc.

*Resp. Nego ant.* Illa enim non detrahunt meritis Christi, quæ ex meritis ejus procedunt: atqui merita justorum ex meritis Christi procedunt, sunt enim à gratiâ, quæ nobis datur intuitu meritorum Christi; ergo, etc.

*Obj.* 7.° Si nostra opera sunt meritoria, homo potest ponere fiduciam in suis operibus: atqui nemo potest ponere fiduciam in suis operibus; ergo, etc.

*Resp. Nego maj.* Etenim, etiamsi nostra opera verè sint meritoria, non ideò fiduciam in nostris operibus collocare debemus, 1.° quia hujusmodi opera non à nobis habent quòd sint meritoria; 2.° quia nemo absolutè certus est an opera quæ sibi meritoria videntur, talia sint oculis Dei.

## II.

### *De Conditionibus ad meritum requisitis.*

Duplex est meritum, propriè dictum, cui merces debetur ex justitiâ, diciturque meritum *de condigno;* et impropriè dictum, cui merces non debetur ex justitiâ, sed ex quâdam tantùm convenientiâ seu congruitate, undè vocatur meritum *de congruo.*

Ad utrumque meritum, quædam requiruntur conditiones, de quibus sigillatìm dicendum.

### *Conditiones ad Meritum de condigno.*

Conditiones illæ spectari debent; 1.° ex parte merentis; 2.° ex parte actûs meritorii; 3.° ex parte Dei remunerantis.

1.° Ex parte merentis duæ requiruntur conditiones. 1.ª Est status justitiæ. Ad meritum

enim *de condigno* status ille requiritur, extra quem nemo potest vitam æternam promereri : atqui nullus extra statum justitiæ constitutus, vitam æternam mereri potest. In Scripturis enim exhibetur vita æterna, tanquam hæreditas solis Dei filiis destinata : *Si autem filii*, inquit Apostolus, Rom. c. 8, ℣. 17, *et hæredes : hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi* : atqui soli illi sunt filii Dei, qui sunt in statu justitiæ; ergo, etc. Et certè, quicunque non est in statu justitiæ, dignus est morte æternâ : atqui contradictorium foret illum qui dignus est morte æternâ, vitam æternam promereri; ergo, etc. Hinc Aug. lib. de Spiritu et Litterâ, sic habet : *Opus quod qui fecerit vivet in eo, non fit nisi à justificato.* 2.ª Est, ut qui meretur sit in viâ, id est, in hujus vitæ mortalis peregrinatione constitutus : *Venit nox*, inquit Christus, Joan. c. 9, ℣. 4, *quandò nemo potest operari.* Undè Apost. Galat. c. 6, ℣. 10 : *Ergo, dùm tempus habemus, operemur bonum.* Hujus autem conditionis non alia ratio dari potest, quàm Dei voluntas, qui meritum omne terminis vitæ præsentis circumscribi constituit.

2.° Ex parte operis meritorii tres requiruntur conditiones. 1.ª Ut actus sit liber, non à coactione tantùm, sed et ab omni necessitate, etiam *simplici.* Meritum enim et necessitas inter se sic opponuntur, ut nunquàm possint simul consistere. Hinc damnata tertia propositio Jansenii : *Ad merendum et demerendum*, etc. 2.ª Ut actus sit moraliter bonus et honestus ; quippe solum opus bonum præmio dignum est ; 3.ª ut actus sit supernaturalis.

Verùm circa hanc conditionem non consen-

tiunt Theologi. Alii enim cum Vasquesio, Disput. 217, cap. 1 et seqq., docent *omnia opera justorum eo ipso quòd bona sunt, et ab homine justo, esse meritoria vitæ æternæ, absque ullâ ad Deum relatione præcedente; quia hoc ipso quòd bona sunt, et ab homine justo, in Deum suâpte naturâ referuntur habitualiter*, id est, *apta sunt et idonea ut ad Deum tanquàm ad suum finem referri possint.* Alii censent nullum opus etiam hominis justi meritorium esse vitæ æternæ, nisi ad Deum saltem virtualiter (seu virtute præcedentis actualis intentionis moraliter perseverantis) referatur ex motivo charitatis : ita communiter Thomistæ. Alii demùm cùm Suarezio inter duas præcedentes opiniones mediam amplectentes, tenent contra Vasquesium, nullum opus quod duntaxat sit moraliter bonum, vitæ æternæ meritorium esse; at contendunt contra Thomistas ad hoc minimè requiri ut opus illud ad Deum referatur ex motivo charitatis, sed sufficere quòd ad ipsum saltem virtualiter referatur ex motivo cujuscunque virtutis supernaturalis.

Prima opinio non satis congruere videtur menti Concilii Tridentini, sess. 6, cap. 16, ubi dicit, *bona justorum opera nullo pacto Deo grata et meritoria esse posse, nisi Christi virtus ea antecedat, comitetur et subsequatur;* quibus verbis declarari videtur non solùm habitualis sed actualis gratiæ necessitas in homine justo, ad opus meritorium de condigno. Et verò meritum inter et præmium vera debet esse proportio; quæ tamen non reperitur inter opus hominis justi duntaxat moraliter bonum, et supernaturale præmium quale est vita æterna.

Secunda opinio, etsi fortè communior, nobis non probatur; multi quippe sunt Scripturæ textus quibus generatìm promittitur vita æterna servantibus Dei mandata et exercentibus actus virtutum quæ à charitate prorsùs distinctæ sunt. Sic Matth. c. 16, ℣. 27; c. 19, ℣. 17 et seqq.; c. 25, ℣. 34 et seqq.; I Tim. c. 6, ℣. 18 et 19; Hebr. c. 13, ℣. 16, etc. Prætereà Concilium Tridentinum, Sess. 6, cap. 16, generaliter dicit : Vitam æternam esse mercedem ex Dei promissione bonis operibus promissam et meritis fideliter reddendam : et can. 32, absolutè definit justificatum bonis operibus ex gratiâ factis verè mereri gratiæ augmentum, vitam æternam et augmentum gloriæ; ubi, inquit *Suarez,* nec generaliùs de bonis operibus, nec clariùs de essentiali vitæ æternæ præmio Concilium loqui potuit.

Tertiæ igitur sententiæ hisce freti momentis adhærendum esse censemus, ac consequenter statuimus. *Probabilius esse ad actum meritorium requiri et sufficere ut actus hominis justi moraliter bonus referatur ad Deum ex motivo supernaturali cujuscunque virtutis.* Hæc autem relatio debet esse saltem virtualis, seu virtualiter perseverans, quæ scilicet semel habita non sit retractata, nec moraliter interrupta. Cùm tamen secunda mox relata opinio probabilitate non careat, qui thesauros gloriæ cumulare volunt, debent sæpè agere ex motivo charitatis; tum quia id tutius est; tum quia, etsi vera sit nostra sententia, actus eliciti à charitate majori præmio donantur. De hâc quæstione consule, si vacat, fusiùs disserentem Suarezium, de Gratiâ, lib. 12, cap. 8 et seqq.

3.° Ex parte Dei remunerantis requiritur pac-

tum seu promissio. Merenti namque *de condigno* merces debetur ex justitiâ : *Reposita est mihi corona justitiæ,* inquit Apost. II Tim. c. 4, ℣. 8 : atqui repugnat Deum propriè debere mercedem, quam ipse non promiserit. Acceptum enim reddenti propriè non debetur merces, nisi ex promissione remunerantis : atqui quodcunque bonum justus operetur, Deo nihil reddit, quod à Deo non acceperit. Ut enim dicit Cœlestinus Papa Epist. ad Episcopos Galliæ, *Nostra merita sunt ipsius dona ;* ergo, etc.

Hinc egregium illud Augustini in Ps. 83 : *Debitorem Dominus ipse fecit se, non accipiendo, sed promittendo. Non ei dicitur, Redde quod accepisti; sed, Redde quod promisisti.*

*Conditiones requisitæ ad Meritum de congruo.*

1.° Ex parte merentis requiritur ut sit viator, ex jam dictis : at necessum non est ut sit justus; quia actus virtutis quos peccator nondùm justificatus elicit, ipsum disponunt ad impetrandam gratiam, eamque merentur de congruo; congruit enim ut Deus qui in peccatore *opus bonum* per gratiam *cœpit, ipse perficiat* per justificationem : hinc illud Tobiæ c. 4, ℣. 11, *Eleemosyna ab omni peccato et à morte liberat.*

2.° Ex parte actûs requiritur ut sit 1. liber; 2. bonus, ex suprà probatis; 3. ut sit supernaturalis, ex Conc. Trident. Sess. 6, can. 3, ubi anathema dicitur iis qui asserunt absque gratiâ fieri posse aliquod opus ad salutem pertinens.

Verùm non requiritur pactum nec promissio ex parte Dei, sicut ad meritum de condigno; Deus quippe nullo promissionis titulo tenetur ad præmium merito de congruo rependendum, cùm

illud præmium non impertiatur, nisi quia decet divinam ejus bonitatem et misericordiam illud impertiri.

## III.

### *De Objecto Meriti.*

Certum est 1.° hominem ne *de congruo* quidem mereri posse primam gratiam. Nam, ex axiomate theologico, *Principium meriti non cadit sub meritum :* atqui prima gratia principium est meriti cujuslibet; ergo sub nullius speciei meritum cadere potest.

Certum est 2.° hominem non posse mereri gratiam justificantem *de condigno,* posse tamen *de congruo.* 1. Non potest quidem *de condigno.* Ex dictis enim ad meritum *de condigno* requiritur status justitiæ : atqui status justitiæ ipsam gratiam justificantem præsupponit; ergo, etc. Undè ex Conc. Trid. Sess., 6, de Justif., cap. 8 : *Nihil eorum quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur.* 2. Potest tamen *de congruo.* Nam peccator emittere potest actum perfectæ contritionis : atqui perfectæ contritionis actus, non quidem de condigno, sed tamen de congruo, et quidem infallibiliter, peccatori meretur remissionem peccatorum, ipsamque proindè gratiam justificantem; ergo, etc.

Hæc est ipsa doctrina S. Augustini, qui tract. 44 in Joannem, sic loquitur : *Si peccatores Deus non exaudiret, frustrà ille Publicanus oculos in terram demittens, et pectus suum percutiens, diceret : Deus propitius esto mihi peccatori : et ista confessio meruit justificationem.*

Certum est 3.° justum posse mereri *de con-*

*digno*, augmentum gratiæ justificantis. Synodus enim Trident. Sess. 6, de Justif. can. 32, sic definit : *Si quis dixerit..... ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ;... anathema sit* : atqui *verè mereri* idem est ac mereri de condigno, cùm meritum de congruo non sit meritum verum et propriè dictum; ergo, etc.

Augustinus autem, Epist. 106 : *Gratia*, inquit, *meretur augeri, ut aucta mereatur et perfici.*

Duo supersunt objecta meriti circa quæ paulò gravior est difficultas, perseverantia finalis nimirùm, et vita æterna, de quibus restat duplici propositione disputandum.

PROPOSITIO PRIMA.

*Justus perseverantiam finalem mereri non potest* de condigno, *sed tantùm* de congruo.

*Prob.* 1.ª *pars.* Ex prænotatis, ad meritum de condigno requiritur divina promissio : atqui nullum est justi bonum opus, cui Deus perseverantiam finalem tanquam mercedem promiserit; ergo, etc.

Et certè, justus ubi semel perseverantiam finalem meritus esset de condigno, salus ejus nulli foret ampliùs obnoxia discrimini : atqui tamen sæpiùs testatur Apostolus nullum esse justum, quantalibet ejus supponatur justitia, cujus salus ab omni tuta sit periculo. Dicit enim, I Cor. c. 10, ℣. 12 : *Qui se existimat stare, videat ne cadat;* et Philipp. c. 2, ℣. 12 : *Cum metu et tremore vestram salutem operamini.*

Hinc S. August. lib. de Dono Perseverant. cap. 13 : *Satis,* inquit, *ostenditur et inchoandi, et usque in finem perseverandi gratiam Dei, non secundùm merita nostra dari, sed donari secundùm ipsius secretissimam, eamdemque justissimam, beneficentissimam, sapientissimam voluntatem.*

*Prob.* 2.ª *pars,* justum posse perseverantiam finalem mereri *de congruo.* Saluberrimum enim est et consultissimum homini justo quotidiè perseverantiam finalem à Deo postulare : atqui justo prorsùs inutile foret donum istud à Deo petere, si nullomodò posset illud suis precibus promereri. Hinc S. Aug. ait lib. de Dono Perseverant.: *Hoc itaque donum Dei suppliciter emereri potest.*

*Obj. in* 1.ªᵐ *partem,* perseverantiam finalem promissam esse justis, illam in nomine Christi petentibus : *Amen, amen dico vobis,* inquit Christus ipse, Joan. c. 16, ℣. 23, *si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis* : atqui sub hâc generali promissione includitur ipsa finalis perseverantia; ergo, etc.

*Resp.* Christus promisit quidem orantibus dandum esse, per modum doni gratuiti, et ex merâ liberalitate, quidquid in nomine suo petierint : sed minimè promisit id ipsis esse dandum, per modum mercedis, seu stipendii, et ex strictâ justitiâ. Quod enim precibus, quà talibus, conceditur, gratiæ tantùm, non mercedis rationem habet; ac proindè quidquid orantes impetramus, meremur quidem de congruo, non autem de condigno.

## PROPOSITIO II.

*Justus* de condigno *mereri potest vitam æternam.*

*Prob.* 1.° *ex Script.* iisdem nempè textibus, quibus suprà probavimus dari meritum propriè dictum.

*Prob.* 2.° *ex Traditione.* Conc. Trid. sic definit, Sess. 6, de Justificat. can. 32 : *Si quis dixerit... justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non verè mereri..... vitam æternam, et ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratiâ decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum; anathema sit.* Succinunt SS. PP. S. Ambrosius, Serm. 7 in Ps. 18 : *Justus*, inquit, *scit sibi coronam bonorum esse repositam meritorum.* Et S. Aug. Epist. 105 ad Sixtum, suprà cit.

*Prob.* 3.° *Ratione theologicâ.* Omnes enim conditiones requisitæ ad meritum de condigno, conveniunt operi hominis justi, respectu vitæ æternæ.

*Obj.* 1.° Juxta præcedentem propositionem, justus non potest de condigno mereri perseverantiam finalem; ergo multò minùs vitam æternam, cùm profectò vita æterna majoris sit pretii quàm ipsa finalis perseverantia.

*Resp.* In his quæ pendent à liberâ Dei voluntate, nunquàm est arguendum à pari, quinimò nec à fortiori. Jam verò mox probatum est justis ad finem perseverantibus sic à Deo promissam esse vitam æternam, ut illis tanquam merces operum ex justitiâ debeatur. Nedùm autem ulli justo

perseverantia finalis, ut operum propriè dicta merces, promissa sit; de fide est nullum esse justum, quantacunque sit ejus justitia, qui ab illâ non possit excidere.

*Obj.* 2.° Rom. c. 8, ℣. 18 : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis* : atqui tamen ad meritum de condigno requiritur condignitas operis cum mercede; ergo, etc.

*Resp.* Admitto textum, et illum explico : *Passiones hujus temporis* hic considerat Apostolus, quales sunt in seipsis, non autem quales sunt ex gratiâ, suâque cum Christi meritis unione : porrò si passiones hujus temporis in seipsis, id est, quoad intensitatem et durationem spectentur, fatemur ipsas *non esse condignas ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*, eodem Apostolo dicente II Cor. c. 4, ℣. 17, *Id quod in præsenti est momentaneum, et leve tribulationis nostræ,..... æternum gloriæ pondus operari in nobis*. Sed, si passiones hujus temporis spectentur prout â filiis Dei adoptivis, propter ipsum Deum, et ex gratiâ tolerantur, sicque *adimplent ea quæ desunt passionum Christi* (Coloss. c. 1, ℣. 24), sub hoc respectu dignitatem habent infinitam, ipsamque gloriam merentur de condigno.

*Obj.* 3.° S. Aug. Concione 2 in Ps. 70, sic loquitur : *Tua peccata sunt, merita Dei sunt. Supplicium tibi debetur, et cùm præmium venerit, sua dona coronabit, non merita tua;* ergo, juxta S. Augustinum, Deus, homini gloriam conferendo, non ejus merita, sed *sua dona coronat*.

*Resp.* Per hominis merita, quæ Deus non *coronat*, intelligit S. Doctor merita merè humana,

ex solis scilicet arbitrii viribus profecta, qualibus obtineri non posse vitam æternam docet fides, qualibus tamen vitam æternam ut coronam retribui volebant Pelagiani : sed non intelligit quælibet hominis merita, etiam illa quæ ex prævenientis et adjuvantis gratiæ viribus comparata, hominis ita sint merita, ut simul sint Dei dona. Nam sæpiùs S. Doctor merita quibus vitam æternam assequimur, ita dicit esse Dei *munera,* ut simul dicat esse *merita nostra :* Epist. 105 ad Sixtum, sic habet : *Omne bonum meritum nostrum non in nobis facit nisi gratia; et cùm Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat quàm munera sua.*

Cætera quæ objici solent, suprà soluta fuêre, ubi de Existentiâ Meriti.

Et hæc dicta sint *in laudem Gratiæ Dei, in quâ gratificavit nos in dilecto Filio suo, secundùm consilium voluntatis ejus,* et nunc, et in æternum, in laudem gloriæ ejus.

# TRACTATUS

# DE SACRAMENTIS

## IN GENERE.

---

Mira sanè et inenarrabilis Sacramentorum legis evangelicæ virtus et excellentia; hæc enim sunt ad generis humani salutem à Christo Domino instituta : per illa, ut docet Trid. Synodus, omnis vera justitia vel incipit, vel incœpta augetur, vel amissa reparatur; sunt fontes Salvatoris, ex quibus hauritur aqua saliens in vitam æternam; ipsa deniquè sunt Dei mysteria, quorum dispensatio Sacerdotibus credita est. Cùm ergo Sacerdotes singulas debeant nosse Theologiæ partes, Sacramentorum doctrinam singulari studio et speciali diligentiâ tenentur addiscere. Hujus tam utilis, tam necessariæ, tam sacræ et sublimis doctrinæ expositionem, divini luminis opem implorantes, aggrediamur.

Septem erunt hujus Tractatûs capita : in 1.° agemus de definitione, numero et ordine Sacramentorum; in 2.° de Sacramentorum materiâ et formâ; in 3.° de eorum institutione; in 4.° de eorum multiplici fine et effectu; in 5.° de eorum ministro et ministri qualitatibus; in 6.° de suscipiente et suscipientis dispositionibus, ubi agemus quoque de necessitate recipiendi Sacramenta; in 7.° deniquè de Cæremoniis et Sacramentalibus.

# CAPUT PRIMUM.

## *De Definitione, Numero et Ordine Sacramentorum.*

MAJORIS claritatis gratiâ, tres erunt capitis hujus sectiones : in 1.^â agemus de nomine et definitione Sacramenti; in 2.^â de numero Sacramentorum novæ legis; in 3.^â de ordine qui inter illa Sacramenta servandus est.

## SECTIO PRIMA.

### *De Nomine et Definitione Sacramenti.*

Sacramenti nomen latè sumptum varia significat, nempè juramentum, secretum, cujuslibet rei occultæ signum, rem occultam et sacram, et alia hujusmodi. Verùm quandò strictè sumitur, idem sonat ac signum rei sacræ, et eo sensu hìc à Theologis sumitur.

Porrò signum definitur quod nos ducit in cognitionem alterius. Dividitur in naturale et arbitrarium; item in speculativum et practicum.

Sacramenta autem non sunt signa naturalia, sed arbitraria, id est, nos non ducunt in cognitionem rei significatæ ex naturâ suâ, sed duntaxat ex instituto seu ex arbitrio, quatenùs scilicet illa Deus instituit ad rem illam significandam. At verò legis antiquæ Sacramenta signa erant duntaxat speculativa, id est, signa quæ gratiam tantùm significabant, quam non producebant, ut potè infirma et egena elementa.

Sacramenta novæ legis signa sunt etiam, sed practica, id est, signa quæ gratiam non modò

significant, sed etiam producunt, ut docent Concilia, Florent. in decreto ad Armenos, et Trid. Sess. 7, can. 8.

Definitur Sacramentum generatìm sumptum, prout complectitur Sacramenta tum veteris tum novæ legis, *Signum sensibile, divinitùs institutum ad gratiam significandam, vel etiam producendam.*

Sacramentum verò novæ legis definitur, *Signum permanens ac stabile à Christo Domino institutum ad gratiam producendam.*

Undè concluditur, ad rationem Sacramenti novæ legis tria essentialiter requiri : 1.° signum permanens et sensibile, 2.° Christi institutionem, 3.° deniquè gratiæ producendæ virtutem, seu, ut aliter loquamur, promissionem gratiæ.

Colliges defectu alicujus ex his conditionibus, res plurimas excludi à verâ et propriâ Sacramenti ratione, quamvis aliquandò Sacramenti nomine appellentur, vel quamdam cum Sacramentis analogiam habeant.

Defectu secundæ et tertiæ conditionis, imagines Christi et Sanctorum, quamvis sint signa sensibilia rerum sacrarum, nihilominùs Sacramenta non sunt, tum quia non sunt signa à Christo instituta, tum quia vim non habent producendæ gratiæ externâ suî applicatione. Similiter, Votum, Professio Monastica, Tonsura Clericalis, Cæremoniæ et Sacramentalia, sicut et Aqua Benedicta, propriè non sunt Sacramenta; tum quia à Christo instituta non fuêre, tum quia externâ suî applicatione gratiam non conferunt. Deniquè, columba quæ apparuit in Christi Baptismate, et linguæ igneæ quæ super Apostolos descenderunt in die Pentecostes non fuerunt Sacramenta; licèt enim

Deus miraculosa illa signa produxerit, illa tamen non instituit tanquam signa perpetuò et stabiliter permansura; deindè columba et linguæ igneæ non fuerunt causa gratiæ Christo Domino et Apostolis collatæ.

Propter easdem rationes Lotio pedum et Martyrium non sunt propriè Sacramenta.

*Quæres* quo tempore, et sub quâ lege, Sacramenta fuerint à Deo instituta, an in statu legis naturæ, vel mosaicæ, vel evangelicæ.

*Resp.* 1.° Fides docet in statu legis gratiæ seu novæ instituta fuisse Sacramenta, ut mox probabimus.

*Resp.* 2.° Constat in legis mosaicæ statu fuisse aliqua Sacramenta, scilicet, Circumcisionem, Agnum Paschalem, Sacerdotium legale, et varias Expiationes. Id patet ex libris Exodi et Levitici; imò Circumcisio ante Moysis tempora instituta à Deo fuerat pro domo et familiâ Abrahæ, sicut narratur Genes. c. 17. Circumcisio autem fuit nostri Baptismatis figura; Agnus Paschalis et Propositionis Panes, Eucharistiam adumbrabant; Sacerdotium legale nostrum præfigurabat Sacerdotium; et variæ Expiationes figuræ erant Sacramenti Pœnitentiæ.

*Resp.* 3.° Constat etiam in lege naturæ, id est, ab Adamo usque ad Abraham, vel etiam usque ad legem Moysi datam, exstitisse aliquod remedium, quo parvuli utriusque sexûs à peccato originali mundarentur, ut clarè docet S. Aug. lib. 5 adversùs Julianum, cap. 11, ubi sic loquitur: *Nec ideò tamen credendum est, et ante datam circumcisionem famulos Dei, quandoquidem illis inerat Mediatoris fides in carne venturi, nullo Sacramento ejus opitulatos*

*fuisse parvulis suis, quamvis quid illud esset, aliquâ necessariâ causâ Scriptura latere voluerit.* At probabilissimum est hoc remedium non solùm in fide interiori parentum, sed etiam in externâ fidei professione situm fuisse. Verùm nec de hoc legis naturæ remedio, nec de Sacramentis legis mosaicæ nobis hìc agendum est; vetera enim transierunt, et facta sunt omnia nova: hìc autem ex professo sermonem de solis legis novæ Sacramentis instituimus.

## SECTIO II.

### *De Numero Sacramentorum novæ legis.*

Errant hâc in parte Protestantes, qui nec cum Catholicis, nec secum invicem consentiunt. Lutherus, lib. de Capt. Babyl., modò unicum, modò duo, modò tria agnoscit Sacramenta, Baptismum, Eucharistiam et Pœnitentiam. Melanchthon, Augustanæ Confessionis auctor, in Locis communibus, ult. edit., quatuor admittit Sacramenta: tribus nempè memoratis addit Ordinationem. Tria tantùm esse Sacramenta docet Calvinus, Baptismum, Eucharistiam et Ordinationem, quorum duo sunt omnibus fidelibus communia, tertium quibusdam speciale.

### PROPOSITIO.

*Septem sunt novæ legis Sacramenta, nec plura, nec pauciora.*

Hæc propositio *de fide* est: eam apertè docet Concilium Florentinum in decreto Eugenii ad Armenos: *Septem sunt*, inquit, *novæ legis Sacramenta, scilicet, Baptismus*, etc. Et clarè definit Conc. Trid. Sess. 7, de Sacramentis in

genere, can. 1 : *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis.... esse plura vel pauciora quàm septem, videlicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium; aut etiam aliquod horum septem non esse verè et propriè Sacramentum; anathema sit.*

*Prob.* 1.° *ex Script.* in quâ, licèt expressis verbis non legamus esse septem Sacramenta, tamen septem à nobis assignata, quoad rem saltem, habentur in variis locis. Ea loca nunc indigitare sufficiat, quæ fusiùs in singulis de unoquoque Sacramento tractatibus explicabimus.

Et 1. quidem Baptismus, de quo nulla ab adversariis quæstio movetur, habetur Matth. c. 28, ℣. 19 : *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris*, etc. Marci c. 16, ℣. 16 : *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* Joan. c. 3, ℣. 5 : *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.*

2. Confirmatio traditur Act. c. 8, ℣. 17 : *Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum.*

3. Eucharistia, quam Hæretici nobiscum fatentur verum esse Sacramentum, habetur Matth. c. 26, ℣. 26, et I Cor. c. 11, ℣. 23 et 24 : *Accepit panem, et gratias agens fregit*, etc. Joan. c. 6, ℣. 54 : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

4. Pœnitentia, Joan. c. 20, ℣. 22, 23 : *Accipite Spiritum Sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis : et quorum retinueritis, retenta sunt.*

5. Extrema Unctio, Jacobi c. 5, ℣. 14, 15: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus: et si in peccatis sit, remittentur ei.*

6. Ordo, I Tim. c. 4, ℣. 14, et Epist. II. ad eumdem, c. 1, ℣. 6: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.*

7. Deniquè, Matrimonium inter Christianos esse Sacramentum testatur Apostolus Ephes. c. 5, ℣. 32: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, et in Ecclesiâ.* Ergo ex Script. septem sunt Sacramenta.

*Prob.* 2.° *ex perpetuâ Traditione et Ecclesiæ praxi,* quæ semper docuit et in usu habuit septem Sacramenta, ut fusiùs demonstrabimus ex SS. PP. agendo de singulis Sacramentis. Undè, etiamsi septenarius Sacramentorum numerus non pateret ex Script. sacrâ, retinendus tamen foret, juxta celebrem S. Aug. regulam, lib. 4 de Baptismo, cap. 24: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est; nonnisi apostolicâ auctoritate traditum rectissimè creditur.*

*Prob.* 3.° *ex Orientalium testimonio,* qui Latinis licèt infensissimi, et ab ipsis schismate divisi, septenarium Sacramentorum numerum semper retinuêre, ut patet ex censurâ Jeremiæ Patriarchæ Constantinop. Idem ante ipsum tradiderat Simeon Thessalonicensis, græcus schismaticus, libro integro de septem Sacramentis: undè cùm Cyrillus *Lucar,* Patriarcha Constantinop. incidisset in Calvinianam hæresim, initio

seculi XVII, damnatus est ab aliis Græcis, præsertim in Synodo contra ipsum celebratâ anno 1638, ubi sic habetur : *Præ cæteris, Cyrillo dogmatizanti, et credenti non esse septem Sacramenta Ecclesiæ, id est, Baptisma, Chrisma, Pœnitentiam, Eucharistiam, Extremam Unctionem, Ordinem seu Sacerdotium, et Matrimonium, juxta constitutionem Christi et Apostolorum, sed mentienti non esse tradita à Christo in Evangelio, nisi solum Baptisma et Eucharistiam ; anathema.*

*Prob.* 4.° vel potiùs elucidatur nostra propositio *ratione* congruentiæ, quam tradit S. Thomas, quæ et habetur in decreto ad Armenos. Hæc autem ratio sic clarè proponi potest : Congruum est ad vitam spiritualem homini tribuendam, perficiendam et conservandam, tot esse media, quot sunt media ad vitam corporalem homini tribuendam et conservandam : atqui ad vitam corporalem necesse est, 1. ut homo nascatur; 2. ut roboretur et ad virilem ætatem crescat; 3. ut in virili ætate nutriatur; 4. ut, si in morbum incidat, ab illo curetur; 5. ut à morbi reliquiis liberetur et perfectè convalescat; 6. deindè requiritur ut sint Magistratus qui alios temporaliter gubernent; 7. deniquè requiritur ut sint conjuges qui educationi liberorum piè incumbant; ergo congruum est septem esse Sacramenta. 1. Enim per Baptismum spiritualiter renascimur; 2. per Confirmationem augemur in gratiâ et in fide roboramur; 3. renati et roborati divinâ nutrimur Eucharistiæ alimoniâ; 4. per peccatum incurrimus animæ ægritudinem, et per Pœnitentiam spiritualiter sanamur; 5. per Extremam Unctionem spiritualiter, et aliquandò

corporaliter, prout animæ expedit, convalescimus; 6. per Ordinem Ecclesia gubernatur, et spiritualiter multiplicatur; 7. per Matrimonium corporaliter augetur, et piè educantur ejus filii. Undè, ut observatur in decreto ad Armenos jam citato, quinque prima Sacramenta ad spiritualem uniuscujusque hominis in seipso perfectionem sunt instituta: duo ultima ad totius Ecclesiæ regimen multiplicationemque ordinata sunt.

*Obj.* 1.° Non legitur in Scripturâ septem esse Sacramenta; ergo id credi non debet.

*Resp.* 1.° *Dist. ant.* Non legitur secundùm verba, vel quoad ipsos terminos, *conc.;* non legitur quoad sensum, *nego.*

*Resp.* 2.° *Nego consequent.* Plura enim credi debent, quæ explicitè in Scripturâ non continentur, sicut alibi demonstramus; imò plura credunt adversarii, quæ in Scripturâ non legunt; ubi enim legunt in Script. esse tantummodò duo vel tria Sacramenta? Cur ergo id credunt cùm in suâ fidei Confessione, art. 35 et 36 id legunt: *Nous en confessons seulement deux communs à toute l'Eglise; le premier... est le Baptême... la sainte Cène... est le second.* Quo in loco Scripturæ legunt voces Trinitatis, et alias?

*Obj.* 2.° Lotio pedum est Sacramentum; ergo plura sunt quàm septem.

*Prob. ant.* ex verbis Christi ad S. Petrum, Joan. c. 13, ℣. 8: *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* Undè sic argumentari licet: Rectè demonstratur Baptismum esse Sacramentum ex verbis Christi, Joan. c. 3, ℣. 5, *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei;* ergo à pari rectè

concluditur pedum lotionem esse Sacramentum ex iis verbis, *Si non lavero te*, etc.

*Resp. Nego consequent. et parit.* Ratio disparitatis est, quia Christus non solùm docet Baptismum esse ad salutem necessarium, quod exponitur particulâ, *nisi;* sed insuper tribuit aquis Baptismi virtutem homines spiritualiter regenerandi, quæ virtus his innuitur verbis, *Renatus fuerit ex aquâ et Spiritu Sancto :* ex quibus concluditur Baptismum esse Sacramentum, quia ritus externus vim habens homines spiritualiter generandi, Sacramentum est. At verò Christus Dominus, Joan. c. 13, non asserit fore ut Petrus per lotionem pedum spiritualiter renascatur, et gratiam accipiat; sed solummodò præcipit Petro ut sibi pedes lavari sinat, et ipsi minatur pœnam, nisi obtemperet.

Verùm ex eo quòd aliquid sub pœnæ interminatione præcipiatur, concludi non debet illud esse Sacramentum. Sic cùm Christus, Matth. c. 18, ℣. 3, ait : *Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum;* nemo indè colligit humilitatem esse verum Sacramentum.

*Inst.* Ibidem Christus jubet ut Apostoli sibi invicem pedes lavent; ergo, etc.

*Resp. Dist. ant.* Christus jubet ut Apostoli sibi invicem pedes lavent in humilitatis exemplum, *conc;* ut per lotionem pedum gratia conferatur, *nego.*

*Obj* 3.° Plurimi SS. PP. docent lotionem pedum esse Sacramentum; S. Amb. lib. 3 de Sacramentis, cap. 1; S. Bernard. Serm. 1, in Cœnâ Domini; et S. Cyprian. tract. de Lotione pedum; ergo, etc.

*Resp. Dist. ant.* Plurimi SS. PP. asserunt lotionem pedum esse Sacramentum latè sumptum, *conc.;* strictè sumptum, *nego.* 1. Enim S. Amb. testatur Ecclesiam Romanam non uti hâc cæremoniâ, nec tamen eam reprehendit; imò sic loquitur : *Cupio in omnibus sequi Ecclesiam Romanam.* At verò certissimum est dignam reprehensione fore Ecclesiam, quæ Sacramentum propriè dictum vel contemneret, vel omitteret.

2. S. Bernard. eo sensu vocat lotionem pedum Sacramentum, quòd eâ cæremoniâ voluerit Christus indicare, non sufficere graviorum delictorum purgationem, sed etiam minimis purgandis esse incumbendum, quia nihil coinquinatum potest in regnum cœlorum introire.

3.° Quod spectat ad S. Cyprian., plurimi Doctores docent ipsum non esse auctorem tractatûs de Lotione pedum. Cæterùm, quisquis ille sit, docet tantùm lotionem pedum esse Sacramentum latè sumptum.

*Obj.* 4.° Tria sunt Baptismata, scilicet flaminis, fluminis et sanguinis; duo sunt Eucharistiæ Sacramenta, nempè unum sub specie panis, et alterum sub specie vini; deniquè septem sunt Ordines, quorum quilibet, secundùm multos Doctores, est sacramentum; ergo non septem, sed sexdecim sunt Sacramenta.

His tribus difficultatibus breviter respondeo. *Ad* 1.am, *dico* solum Baptisma fluminis seu aquæ esse Sacramentum. *Ad* 2.am, *resp.* utramque speciem in Eucharistiâ conficere unicum moraliter Sacramentum, quia unica est moraliter refectio spiritualis. *Ad* 3.am, *resp.* septem Ordines conficere unicum Ordinis Sacramentum. Hæc per transennam, suis enim exponentur locis.

## SECTIO III.

### *De Ordine Sacramentorum.*

*Statuimus* 1.° quantùm ad ordinem *receptionis*, primum omnium esse Baptismum, quia primus recipi debet; est enim aliorum janua.

*Statuimus* 2.° quantùm ad ordinem *necessitatis*, Baptismum esse etiam primum, quia nemo, sive adultus, sive parvulus, salvari potest sine Baptismo, vel ejus voto.

Secundùm eumdem necessitatis ordinem, Baptismum sequitur Pœnitentia, quia iis est absolutè necessaria, qui ab acceptà justitià per peccatum mortale exciderunt. Confirmatio, Eucharistia et Extrema Unctio ad salutem necessariæ non sunt necessitate medii, sed præcepti.

Sacramenta Ordinis et Matrimonii necessaria non sunt respectu singulorum, sed respectu communitatis et Ecclesiæ.

*Statuimus* 3.° quantùm ad ordinem *dignitatis*, primum omnium esse Eucharistiæ Sacramentum, quia cæteris dignius est, ut potè continens verè, realiter et substantialiter Christum Dominum, gratiæ auctorem.

## CAPUT II.

### *De Materiâ et Formâ Sacramentorum.*

In præsenti capite quinque erunt sectiones : in 1.$^{\hat{a}}$ videbimus quid intelligendum sit nominibus materiæ et formæ Sacramentorum; in 2.$^{\hat{a}}$ utrùm, et quomodò materia et forma Sacramentorum

fuerint à Christo determinatæ; in 3.â quænam mutatio materiæ et formæ Sacramentum reddat invalidum vel illicitum; in 4.â qualis unio requiratur inter materiam et formam Sacramentorum; in 5.â deniquè an verba quibus constant formæ sacramentales, sint promissoria, vel concionatoria, an verò consecratoria.

## SECTIO PRIMA.

### *Quid intelligatur nominibus Materiæ et Formæ.*

Modus explicandi Sacramenta per materiæ et formæ similitudinem, ex Aristotelis Philosophiâ in Theologiam introductus fuit circa XIII Ecclesiæ seculum. Porrò per *materiæ* nomen, in Sacramentis, illa Sacramenti pars intelligitur, quæ minùs expressè et minùs distinctè gratiam significat; *forma* verò nuncupatur altera Sacramenti pars, quæ clariùs et distinctiùs eamdem gratiam designat: sic quia in Baptismo aqua minùs clarè et minùs distinctè spiritualem animæ emundationem significat, quàm illa verba, *Ego te baptizo, etc.*, idcircò aqua nuncupatur materia Baptismi; verba autem forma appellantur.

Præthereà, in quibusdam Sacramentis, duplicem distinguunt Theologi materiam, *remotam* scilicet, et *proximam* : materia *remota* est res vel substantia sensibilis quæ assumitur ad conficiendum Sacramentum, ut aqua in Baptismo : materia verò *proxima* est applicatio materiæ remotæ vel illius usus, sicut ablutio. Hinc

Colliges, quandò utimur in Sacramentis nominibus materiæ et formæ, hæc nomina non esse rigorosè et propriè sumenda, sed impropriè et secundùm aliquam similitudinem; quia, sicut in

corpore naturali materia est pars imperfectior, et secundùm se ad quamlibet corporis physici speciem indeterminata; forma verò est pars perfectior, quæ naturam complet, perficit, et determinat ad talem speciem : ita, juxta quamdam similitudinem et proportionem, in Sacramentis, illud vocatur materia, quod est pars Sacramenti imperfectior, id est, quod minùs clarè et minùs perfectè gratiam significat; forma verò dicitur illud quod est pars perfectior, id est, quod perfectiùs, clariùs et distinctiùs, eamdem gratiam significat.

*Quæres* quid intelligant Theologi, cùm aiunt omnia Sacramenta constare rebus tanquam materià, et verbis tanquam formâ.

*Resp.* illos intelligere per vocem istam, *rebus*, eam Sacramenti partem quæ minùs clarè gratiam significat, sive res illæ sint substantia, sive actiones; et per, *verba*, partem illam quæ clariùs gratiam designat.

*Nota* Theologos per, *verba*, non semper intelligere verba propriè dicta seu vocalia, sed aliquandò intelligere quædam signa verbis æquivalentia: reverà sex sunt Sacramenta, quæ constant verbis propriè dictis tanquam formâ, sed Matrimonium non semper habet verba propriè dicta; habet enim aliquandò signa externa, quæ mutuum consensum exprimunt, et verbis vocalibus æquivalent, proindèque, latè loquendo, possunt verba nuncupari.

## SECTIO II.

### *Utrùm, et quomodò Materia et Forma Sacramentorum fuerint institutæ.*

PROPOSITIO.

*Materia et forma omnium novæ legis Sacramentorum fuerunt à Christo determinatæ, quantùm ad substantiam.*

Est contra Protestantes.

Propositio certissima est, et traditur à Conc. Trid. Sess. 21, cap. 2, ubi sancta Synodus declarat hanc potestatem perpetuò in Ecclesiâ fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione ea mutaret, *salvâ illorum substantiâ,* quæ suscipientium utilitati, ipsorumque Sacramentorum venerationi magis expedire judicaret. Verùm per has voces, *salvâ illorum substantiâ,* Conc. Trid. indicat materias et formas Sacramentorum fuisse à Christo determinatas, saltem quoad substantiam, id est, quoad ea quæ Sacramentis sunt essentialia.

*Prob.* insuper ex eo quòd Christus Dominus omnia legis novæ Sacramenta instituerit, quemadmodùm fides docet, et mox probavimus : atqui instituere aliquod Sacramentum, nihil aliud est quàm ipsius materiam et formam determinare, et dare utrique vim producendæ gratiæ; ergo, etc.

Observant Theologi materias et formas omnium Sacramentorum non fuisse æqualiter à Christo Domino determinatas; quorumdam enim Sacramentorum materia et forma modo clariori magìsque speciali fuerunt determinatæ, ut patet præsertìm in Sacramentis Baptismi et Eucharistiæ; quorumdam autem Sacramentorum ma-

teria et forma fuerunt à Christo determinatæ modo minùs speciali minùsque distincto. Quonam sensu vera sit hæc Theologorum observatio, explicabitur agendo de Sacramentis in particulari, præsertìm ubi de Sacramentis Confirmationis, Ordinis et Matrimonii.

## SECTIO III.

### *Quænam Mutatio reddat Sacramentum nullum, vel illicitum.*

Maximi momenti est ut Sacerdotes noverint quomodò et quibus de causis Sacramentum reddi possit invalidum vel illicitum, non modò ut Sacramenta validè semper et licitè administrent, verùm etiam quia si contingat Sacramentum esse invalidum, tunc iterandum est, præsertìm si sit ad salutem necessarium.

Itaque *nota* 1.° tunc Sacramentum esse invalidum et nullum, quandò ipsi aliquid eorum deest quæ ad Sacramenti essentiam et valorem, ex Christi Domini institutione requiruntur, prout nobis innotescit ex communi Ecclesiæ usu et praxi. Tunc autem Sacramentum dicitur illicitum, quandò peccat minister illud administrando, vel suscipiens illud recipiendo, sive Sacramentum validum fuerit, sive non.

*Nota* 2.° defectum ex quo Sacramentum fit invalidum, posse ex quatuor oriri capitibus: 1. ex parte materiæ, 2. ex parte formæ, 3. ex parte ministri, si careat potestate, vel intentione requisitâ, 4. ex parte suscipientis, si nolit, aut non possit Sacramentum validè suscipere. Hìc autem solùm agimus de defectu materiæ et formæ ex quo Sacramentum redditur invalidum.

Similiter, quamvis Sacramentum fieri possit illicitum ex multiplici capite, hìc tamen discutiemus duntaxat quomodò evadere possit illicitum propter materiæ vel formæ mutationem, seu quandò et quomodò peccet minister Sacramenti, mutando illius materiam vel formam.

Verùm, ut plurima de hoc argumento dicenda nitidiùs et clariùs exponantur, hanc sectionem in tres dividemus articulos : in 1.° expendetur quotuplex mutatio contingere possit in materiâ vel formâ Sacramentorum, in 2.° quænam mutatio Sacramentum reddat illicitum, in 3.° quænam mutatio invalidum illud efficiat.

## ARTICULUS PRIMUS.

### *Quotuplex Mutatio contingere possit in Sacramentis.*

In materiâ vel formâ Sacramentorum duplex fieri potest mutatio, *substantialis* nempè, aut *accidentalis*. Tunc fit mutatio *substantialis*, quandò non adhibentur res aut verba à Christo determinata, et quibus utitur Ecclesia ; tunc autem fit *accidentalis* mutatio, quandò servantur quidem res et verba à Christo determinata, sed non adhibentur quædam cæremoniæ vel circumstantiæ ad essentiam Sacramenti non pertinentes. Verùm, ut id clarè cognoscatur, quasdam hìc apponimus regulas. Sit itaque

Regula prima. Tunc materia Sacramenti mutatur substantialiter, quandò, secundùm communem usum et prudentium existimationem, ejusdem non est rationis et nominis cum eâ materiâ quam Christus determinavit, et quam usurpat Ecclesia.

Hæc regula vera est, sive id quod materiæ debitæ loco substituitur, ab eâ differat secundùm speciem physicam, sive duntaxat secundùm speciem moralem: continget, v. g., mutatio substantialis materiæ in Baptismo, si naturalis aqua non adhibeatur, sed alia, ut putà aqua rosacea, vel aqua vinaria, aqua congelata, aut etiam nix. Similiter, si quis, in conficiendâ Eucharistiâ, loco panis adhibeat massam farinæ nondùm coctam. Quamvis enim forsitan aqua congelata et nix, secundùm speciem physicam non differant ab aquâ liquidâ, nec panis à massâ farinæ nondùm coctâ, nihilominùs ab invicem specie morali differunt: quod sufficit ad substantialem materiæ sacramentalis mutationem. Ratio est, quia in materiâ Sacramentorum maximè attendi debet ejus aptitudo ad usum ipsius Sacramenti, et communis prudentium æstimatio: at aqua congelata, ut sic, idem de nive dicas, non est apta ad corporalem ablutionem, et ideò non vocatur specialiter aqua; pariter massa farinæ nondùm cocta, non est cibus humanus, nec à prudentibus nuncupari solet panis specialiter et sine addito; ergo aqua congelata, vel etiam nix, non potest esse Baptismi materia; et massa farinæ nondùm cocta nequit esse materia Eucharistiæ.

Contrà verò, toties materiæ mutatio censetur duntaxat accidentalis, quoties materia quæ adhibetur, secundùm communem usum et prudentium æstimationem, ejusdem est rationis communis cum eâ quam Christus instituit, et adhibet Ecclesia; quamvis illi materiæ forsitan desit quædam qualitas aut conditio ex præcepto ecclesiastico vel aliundè requisita: ut, v. g., si Sa-

cerdos solemniter et absque necessitate baptizaret cum aquâ non benedictâ, vel si Presbyter Latinus consecraret in pane fermentato.

Regula secunda. Tunc forma substantialiter mutatur, quandò, communi et prudenti hominum judicio, non retinet eumdem sensum cum verbis à Christo Domino institutis et ab Ecclesiâ usurpatis : quod sex præsertim modis potest contingere.

1.° Omissione alicujus vocis essentialis : ut si quis baptizans omitteret unam ex Personis SS. Trinitatis.

2.° Additione quorumdam verborum, quibus legitimæ formæ sensus destruatur : sic olim Ariani quidam baptizâsse referuntur in nomine Patris majoris, et Filii minoris : ista autem Arianorum additio destruit formæ baptismalis sensum ; quia forma Baptismi à Christo præcepta innuit Filium esse Patri æqualem, et unam tribus Personis divinis communem dignitatem, essentiam et potentiam : quod indicatur, cùm dicitur : *In nomine Patris, etc.*, non verò in nominibus.

3.° Per variationem verborum quâ essentialiter mutetur sensus formæ, v. g., dicendo, *Ego tibi remitto peccatum originale*, quia ille loquendi modus non exhibet modum *ablutionis* per quem anima in Baptismate à labe originali mundatur.

4.° Transpositione, per quam turbetur et auferatur formæ sensus : v. g., si quis diceret : *In te baptizo, nomine Patris, etc.*

5.° Notabili interruptione : v. g., si prolatis istis vocibus, *Ego te baptizo*, post quadrantem addat, *in nomine Patris*, et post alium quadrantem adjiciat, *et Filii, etc.*

6.° Per totalem corruptionem termini essen-

tialis : v. g., si quis diceret : *Ego te baptizo, in nomine Matris.*

Contrà verò, si forma, prudentium judicio, eumdem sensum cum verbis à Christo institutis et ab Ecclesià usurpatis retineat ; qualiscunque adveniat mutatio, erit solummodò accidentalis. Quarè mutatio est solùm accidentalis,

1.° Si quis idioma mutet, quo in tali regione Sacramenta solent administrari : v. g., si quis in Ecclesià Latinâ baptizet linguâ græcâ vel vulgari, imò quamvis jungat verba diversi idiomatis, dicendo, v. g. : *Je te baptise, in nomine Patris, etc.* Ratio est quia Christus Dominus non determinavit verba formæ Sacramentorum materialiter, id est, quoad sonum et numerum syllabarum, sed formaliter seu quoad sensum.

2.° Si omittatur quædam vox ad formæ essentiam non pertinens : v. g., si baptizans reticeat vocem, *Ego.*

3. Si addatur aliquid non varians legitimum verborum sensum : v. g., si inter baptizandum dicatur : *Ego te baptizo, in nomine Patris omnipotentis, et Filii ejus Jesu Christi, etc.*

4.° Si fiat aliqua verborum transpositio, oratione eumdem retinente sensum : v. g., si Sacerdos Pœnitentiæ formam ita proferat : *A peccatis tuis absolvo te.*

5.° Si consuetæ formæ verba mutentur in alia synonyma, quæ eamdem rem non quomodocunquè, sed eodem modo æquè explicitè ac distinctè significent : v. g., si Presbyter absolvens dicat : *Remitto tibi peccata tua.*

6.° Si verba formæ proferantur modo corrupto et adulterato, ita ut tamen tota illa oratio corruptis dictionibus constans, saltem quantùm ad

aliquam usûs accommodationem, et habitâ ratione materiæ cui applicatur, aliarumque circumstantiarum, v. g., personæ, temporis et loci, eumdem moraliter habeat sensum quem habet forma propria. Sic tempore Zachariæ, Summi Pontificis, Sacerdos qui latinam linguam ignorabat, hoc modo pronuntiabat : *Baptizo te, in nomine Patria, et Filia, et Spiritu Sancta;* quem Baptismum esse validum judicavit Sum. Pontifex, si ille qui baptizaverat, non errorem aut hæresim volens introducere, sed pro solâ ignorantiâ latinæ linguæ eam infringendo, ita fuerat locutus; quia eo in casu, habitâ ratione omnium circumstantiarum, videbatur idem esse in illis verbis sensus ac in formâ propriâ. Similiter cùm Sacerdos ex Vasconiâ oriundus dicit : *Ego te vaptizo, ego te avsolbo*, vel si quis balbutiendo, aut ex ignorantiâ, verba proferat magnam adhuc similitudinem habentia cum verbis legitimis, tunc adest mutatio solummodò accidentalis.

7.° Si verba formæ proferantur cum aliquâ sed brevissimâ interruptione, adeò ut verba præcedentia moralem habeant cum sequentibus connexionem; tunc, sicut in aliis casibus, mutatio erit duntaxat accidentalis.

Regula tertia. Si formæ sacramentali inseratur, vel addatur vox æquivoca, tunc, juxta communem Theologorum sententiam, valor Sacramenti pendet à ministri intentione : quòd si minister vocem illam intelligat in sensu erroneo, et legitimæ formæ destructivo, tunc erit substantialis formæ mutatio, et invalidum erit Sacramentum. Si verò minister vocem æquivocam intelligat in sensu legitimo, nec formæ

opposito,

opposito, tunc erit mutatio duntaxat accidentalis. Supponamus, v. g., aliquem baptizando dixisse, *In nomine Patris, et Filii, et Spiritùs Sancti, et B. Virginis :* si per hanc additionem voluisset minister errorem introducere, quasi B. Virgo foret persona divina, tunc forma substantialiter mutaretur, et nullum foret Sacramentum. Si verò id diceret absque ullà pravâ intentione, sed eo solo fine ut S. Virginis patrocinium imploraret pro personâ baptizatâ, tunc remaneret legitimæ formæ sensus, validumque foret Sacramentum.

Tota regula patet ex responsione Sum. Pontificis ad Bonifacium, Episcopum Moguntinum, super eo Sacerdote qui baptizaverat, *In nomine Patria, etc.;* decernit enim Baptismum non esse iterandum, si baptizans non errorem aut hæresim volens introducere, sed pro solâ latinæ linguæ ignorantiâ sic illam infregerit; ubi indicat formam futùram fuisse invalidam et nullam, si nominatus Sacerdos verba illa protulisset cum intentione hæreseos introducendæ, v. g., si asserere voluisset tres Personas divinas esse tres deas corporeas et feminei sexûs.

Doctrina in regulis allatis contenta nititur communi Doctorum consensu, et Catholicæ Ecclesiæ praxi, ampliùsque patebit, cùm agetur de Sacramentis in particulari.

## ARTICULUS II.

### *Quænam mutatio Sacramentum reddat illicitum.*

#### PROPOSITIO PRIMA.

*Nunquàm licet mutare essentialiter materiam vel formam Sacramentorum ; imò qui sciens et volens id agit , sacrilegii crimen incurrit , et , si fieri potest , tenetur Sacramentum iterare.*

Tota propositio certissima est, et tres complectitur partes nunc probandas : duæ priores simul *probantur*. Qui substantialiter mutat materiam vel formam Sacramentorum , contra Religionem peccat, quia indignissimè tractat Sacramentum, quod est res maximè sacra , sicque se grandi sacrilegio adstringit : etiam peccat contra charitatem erga proximum , ut potè qui illum privat gratià et effectu Sacramenti ; ergo, etc.

Dixi , *qui sciens et volens ;* quia ab hoc peccato excusat ignorantia invincibilis vel inadvertèntia : v. g., si Sacerdos nesciens aquam solam pro vino in calice positam , verba consecrationis proferat.

Ultima propositionis pars præsertìm intelligenda de Sacramentis Baptismi , Pœnitentiæ et Ordinis. Et 1.° quidem quòd ille qui invalidè Baptismum contulit, vel Pœnitentiam , teneatur iterare , vel , ut clariùs loquar, validè conferre , *prob.* Quia alioquin esset causa cur proximus Sacramento careret ad salutem necessario.

2.° Quod spectat ad Sacramentum Ordinis , maximi momenti est ut nemo pro Sacerdote ha-

beatur, nisi qui validè fuit ordinatus; indè enim infinita propè mala possent oriri.

PROPOSITIO II.

*Non licet mutare etiam accidentaliter materiam vel formam Sacramentorum, nisi necessitas aut alia excuset causa.*

Certa est propositio. Quia Sacramentorum ministri tenentur adhibere ritus omnes ab Ecclesiâ præscriptos pro Sacramentorum administratione, ut patet ex Conc. Trid. Sess. 7, can. ultimo de Sacramentis in genere: *Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus.... sine peccato à ministris pro libitu omitti posse..., anathema sit.*

Colliges ex dictis, quòd quotiescunque mutatio materiæ vel formæ Sacramentum reddit invalidum, illud quoque reddat illicitum: sed quamvis Sacramentum sit illicitum, potest tamen aliquandò esse validum.

*Quæres* utrùm liceat adhibere materiam vel formam dubiam.

*Resp.* in Sacramentis quæ necessaria sunt ad salutem necessitate medii, ut in Pœnitentiâ et Baptismo, licitum esse in casu necessitatis extremæ, adhibere materiam vel formam dubiam, si certò valida non possit adhiberi.

*Prob.* quia in casu necessitatis extremæ, præstat magìs adhiberi remedium dubium quàm nullum. Deindè non homines propter Sacramenta, sed Sacramenta propter homines instituta sunt; sicque magìs præstat periclitari Sacramenti valorem, quàm hominis salutem.

## ARTICULUS III.

### *Quænam mutatio Sacramentum reddat invalidum.*

#### PROPOSITIO.

*Per mutationem substantialem materiæ vel formæ Sacramentum redditur invalidum, non verò per mutationem duntaxat accidentalem.*

Duæ sunt propositionis partes, ambæ constant.

*Prob.* 1.ª *pars. Ex Catholicæ Ecclesiæ Traditione*, quam inter alios testatur S. Aug. lib. 6 de Baptismo, contra Donatistas, cap. 25 : *Certa verba evangelica, sine quibus Baptismus non potest consecrari, tantùm valent, etc.*; ergo ex S. Aug. si verba Sacramentorum substantialiter mutentur, Sacramentum invalidum erit et nullum. Idem, proportione servatâ, de Sacramentorum materiâ dicendum.

2.° *Ratione theologicâ.* Tunc Sacramentum est invalidum et nullum, cùm non adhibentur res et verba quæ Christus instituit, et quibus utitur Ecclesia; illud enim quod minister propriâ substituit auctoritate, vim non habet producendi gratiam, vel alium Sacramenti effectum : atqui dùm materia vel forma mutantur essentialiter, tunc non adhibentur res et verba à Christo Domino instituta; ergo tunc nullum est Sacramentum.

*Prob.* 2.ª *pars.* Quandò materia vel forma Sacramenti mutatur duntaxat accidentaliter, tunc integra Sacramenti remanet essentia; ergo tunc Sacramentum non est invalidum, licèt possit esse, et sæpiùs sit illicitum.

## SECTIO IV.

### *Qualis Unio requiratur Materiam inter et Formam.*

Nota duas hic agitari posse quæstiones, 1.° qualis scilicet requiratur unio materiam inter et formam, ut validum sit Sacramentum; 2.° qualis requiratur unio, ut fiat licitum.

#### PROPOSITIO PRIMA.

*Ut Sacramentum sit validum, requiritur et sufficit unio moralis materiam inter et formam: illa tamen unio longè major et arctior esse debet in quibusdam Sacramentis quàm in aliis.*

Tota propositio certa est, et tres illius probantur partes.

1.° Quidem requiritur unio moralis materiam inter et formam, seu, ut clariùs loquar, requiritur ut materia et forma simul moraliter existant aut ponantur; quia unio moralis ea dicitur, vi cujus prudenter judicatur ex materiâ et formâ unum confici Sacramentum, consideratâ propriâ illius Sacramenti institutione et materiâ, ac salvâ verborum veritate: atqui talis unio requiritur, ut patet; ergo, etc.

2.° Talis unio sufficit ad Sacramenti valorem, quia ad compositum morale sufficit unio moralis inter illius partes: sed Sacramentum est compositum morale; ergo, etc.

3.° Hæc unio longè major esse debet in quibusdam Sacramentis quàm in aliis, quia in Baptismo, Confirmatione et Extremâ Unctione,

materia et forma propiùs conjungi debent, quàm in Pœnitentiâ vel Matrimonio.

Ratio est quia in Baptismo, Confirmatione et Extremâ Unctione, verba formæ actualem materiæ applicationem significant, et proindè ut servetur formæ veritas, tanta debet esse propinquitas materiam inter et formam, ut eodem moraliter tempore quo forma profertur, actio per formæ voces significata exerceatur: sic ista verba, *Ego te baptizo*, designant actualem ablutionem, et proindè inter verborum illorum prolationem et ipsam ablutionem ea requiritur unio, ut qui talia verba profert, ex communi prudentium agendi et loquendi modo, censeatur tunc abluere; alioquin non servaretur formæ veritas; ideòque, si inter ablutionem et verborum prolationem notabilis intercedat distantia, nullum erit Sacramentum.

Quanta autem præcisè requiratur distantia ut nullum sit Sacramentum, certa definiri non potest regula, sed viri prudentis relinquitur judicio.

Quod spectat ad Pœnitentiæ Sacramentum, cùm sit institutum per modum judicii, talem duntaxat requirit confessionis et absolutionis propinquitatem, qualis in humano judicio requiritur inter rei accusationem et judicis sententiam, quæ necessariò simul non debent existere: quamobrem validè absolvitur, qui post data Sacerdoti pœnitentiæ signa, in phrenesim incidit aut animi delirium.

Jam verò Matrimonium, cùm sit contractus humanus ad Sacramenti dignitatem à Christo Domino evectus, talem inter materiam suam et formam, mutuam scilicet traditionem et acceptationem corporum, habere debet unionem,

qualis necessaria est in aliis contractibus humanis, in quibus necesse non est ut contrahens uterque uno et eodem tempore consensum præbeat; ideòque validum est Matrimonium inter absentes per procuratorem contractum.

Quod autem attinet ad Eucharistiæ Sacramentum, talem requirit materiæ suæ, id est, panis et vini præsentiam, ut verè proferatur particula demonstrativa, *Hoc* vel *Hic*.

*Quærunt* hìc Theologi, utrùm materia formam debeat præcedere.

*Resp.* In Sacramentis Eucharistiæ et Pœnitentiæ, materia aliquatenùs debet formam præcedere, non autem in aliis Sacramentis. Hæc est communis Theologorum sententia, quæ tres complectitur partes, quæ facilè possunt probari.

1.° Quidem in Eucharistiæ Sacramento debet materia formam præcedere, quia propositiones demonstrativæ supponunt aliquid præsens; ergo cùm dicitur, *Hoc est Corpus meum,* debet præsupponi panis, qui per consecrationis verba transsubstantiatur in corpus Christi.

2.° In Sacramento Pœnitentiæ, confessio, quæ est quasi materia, debet absolutionem antecedere, quia rei accusatio debet Judicis præcedere sententiam.

3.° In aliis Sacramentis non requiritur ut materia formam præcedat; vera enim in illis erit forma, modò materia tunc applicetur, cùm applicatur et forma.

Hinc colliges in Sacramentis argumenta quæ vocantur *à pari,* vix ullius esse roboris, imò sæpiùs esse periculosissima, eò quòd tota Sacramentorum essentia pendeat à solâ Christi Domini institutione, quæ respectu diversorum Sacramen-

torum valdè diversa est : quamobrem de Sacramentis nihil est asserendum, nisi quod innotescit ex Scripturâ, Traditione et usu Ecclesiæ; nullatenùs autem ex solâ ratione, vel ex factis ad libitum comparationibus et paritatibus argumentandum.

### PROPOSITIO II.

*Ut licitè Sacramentum conficiatur, talis materiam inter et formam unio servanda est, qualis ab Ecclesiâ præcipitur.*

*Prob.* Quia Sacramentorum ministri tenentur observare ritus omnes ab Ecclesiâ præscriptos ad licitam et religiosam Sacramentorum administrationem.

Nota diligenter servandas esse regulas omnes in Rituali nostro præscriptas, præsertim circa Sacramentorum materiam et formam, circa utriusque unionem, et modum pronuntiandi verba formæ, quæ scilicet reverenter, attentè, distinctè et continuatè proferenda sunt.

## SECTIO V.

*Utrùm Verba Formæ sint promissoria, concionatoria; an verò consecratoria.*

Lutherani et Calvinistæ docent verba quæ Sacramentorum formas componunt, esse promissoria, vel concionatoria, id est, pronuntiari ad instar alicujus promissionis hominibus à Deo factæ, vel ad instar concionis aut instructionis, quorum tota virtus sit excitare fidem et instruere de Christi promissis : undè aiunt hæc verba vulgari idiomate necessariò esse pronuntianda. At Catholici credunt verba sacramentalia esse consecratoria, et

pronuntiari ad instar alicujus consecrationis et benedictionis.

PROPOSITIO.

*Verba quibus Sacramentorum formæ constant, non sunt purè promissoria, nec concionatoria, sed verè consecratoria et gratiæ productiva.*

Propositio de fide est.

*Prob.* 1.° *ex Script.* I Cor. c. 10, ℣. 16: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* Loquitur Apostolus de verbis quæ super calicem proferuntur, cùm Eucharistiæ conficitur Sacramentum. Et 1. verba illa benedictionem vocat: sed benedictio consecrationem significat, non promissionem aut concionem. 2. Verba illa ad calicem, id est, ad rem in calice contentam diriguntur: sed promissio aut concio ad calicem dirigi non potest; ergo verba illa promissoria non sunt, aut concionatoria, sed consecratoria.

Idem dicendum de Baptismi formâ, quæ indicat ablutionem fieri in virtute et invocatione sanctissimæ Trinitatis; quemadmodùm cùm legitur Matth. c. 7, ℣. 22, *In nomine tuo dæmonia ejecimus*, sensus est, per nominis Christi invocationem dæmonia fuisse ejecta.

*Prob.* 2.° *ex SS. PP.* Dionysius Sacramentorum verba vocat *consecratorias invocationes;* S. Aug. lib. 3 de Baptismo, contra Donatistas, cap. 10, docet Baptismum Christi verbis evangelicis consecrari; et cap. 15, dicit: *Si verbis evangelicis, In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti, Marcion Baptismum consecrabat, integrum erat Sacramentum.*

*Prob.* 3.° Quia si promissio vel concio necessaria foret ad Baptismum, necessaria esset vel respectu ministri, vel adstantium, vel suscipientis : at nullum horum dici potest. Non 1.$^{um}$, nemo enim à seipso docetur; non 2.$^{um}$, invalidum enim esset, in hàc hypothesi, Baptisma sine ullis adstantibus collatum; non 3.$^{um}$, quia validè baptizantur infantes, cùm tamen verba concionatoria aut promissoria intelligere non valeant; ergo, etc.

*Prob.* 4.° Quia Hæretici Baptisma ritu catholico collatum admittunt : sed Catholici Baptismum administrando nullam adhibent concionem; ergo, etc.

*Obj.* 1.° S. Aug. tract. 80 in Joan. sic loquitur: *Undè ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, et cor abluat, nisi faciente verbo; non quia dicitur, sed quia creditur?* ergo ex S. Aug. forma Baptismi est fidei instructio, seu concio quæ creditur.

*Resp. Nego cons.* Quia S. Aug. statìm post verba in objectione allata sic addit: *Nam et in ipso verbo aliud est sonus transiens, et aliud virtus manens,* id est, verba quæ in Baptismo proferuntur, non dant aquæ virtutem cor abluendi præcisè quia dicuntur, seu quia sunt sonus transiens hominis ore prolatus, sed quia virtutem habent supernaturalem quæ solà fide percipitur.

*Inst.* S. Aug. ibidem varia profert loca quæ de solo concionali verbo possunt intelligi; ergo docet Baptismi formam constare ex verbis concionalibus.

*Resp. Nego cons.* Quia, scilicet, probare hoc in loco intendit S. Aug. vim mundandi inesse verbo generatìm, abstrahendo à concionali et consecratorio, ideòque modò loquitur de verbo in genere,

modò in particulari de verbo tum concionali, tum consecratorio.

*Obj.* 2.° S. Amb. lib. de Initiandis, cap. 3, vocat formam Baptismi prædicationem dominicæ crucis; ergo hæc forma est instructio seu concio.

*Resp. Dist. ant.* Formam Baptismi vocat prædicationem dominicæ crucis latè loquendo, *conc.*; strictè loquendo, *nego*. Quia ibidem ait Sacerdotem mittere hanc prædicationem dominicæ crucis in aquæ fontem : at instructio seu concio propriè dicta non dirigitur ad aquam; ergo S. Amb. non vult formam Baptismi esse concionem propriè dictam. Itaque figuratis verbis exprimit voces illas, *Ego te baptizo, in nomine Patris,* etc., quæ prout adhibentur in Baptismo aquæ, prædicant efficaciam crucis Christi, quatenùs ex ejus merito per suî applicationem producunt in nobis gratiam.

## CAPUT III.

### *De Sacramentorum novæ Legis Institutore.*

Suppono 1.° solum Deum posse auctoritate propriâ, et tanquam causam principalem, instituere Sacramenta; tum quia solus Deus potest veram Ecclesiam Religionemque fundare, et consequenter solus potest tanquam causa principalis Sacramenta instituere, quæ signa sunt et columnæ veræ Religionis; tum quia solus Deus potest tribuere signis exterioribus vim gratiæ producendæ, quæ ratio specialiter attinet ad Sacramenta novæ legis.

Suppono 2.° omnia veteris legis Sacramenta

fuisse immediatè à Deo instituta, et per Patriarchas, ac præcipuè per Moysen promulgata, ut patet ex Pentateucho. Itaque duæ tantùm supersunt quæstiones de Sacramentorum institutione ad finem viri Theologi utiles.

1.ª Est utrùm omnia novæ legis Sacramenta fuerint à Christo Domino instituta.

2.ª An ea Sacramenta Christus instituerit, vel quatenùs Deus, vel quatenùs homo. Duplici huic difficultati duabus sequentibus sectionibus fiet satis.

## SECTIO PRIMA.

### *An omnia novæ legis Sacramenta fuerint à Christo instituta.*

#### PROPOSITIO.

*Omnia novæ legis Sacramenta fuerunt à Christo instituta.*

De fide est propositio, ut potè definita à Conc. Trid. Sess. 7, de Sacramentis in genere, can. 1 : *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuisse omnia à Jesu Christo Domino nostro instituta...; anathema sit.*

*Prob.* 1.° *ex Script.* I Cor. c. 4, ℣. 1 : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Undè sic argumentor : Si Sacramenta novæ legis non fuerunt à Christo Domino instituta, certè Apostoli dicendi non sunt dispensatores solummodò aut ministri, sed Sacramentorum institutores : atqui, ex allatis verbis, Apostoli ministri sunt duntaxat et dispensatores mysteriorum Dei, id est, Sacramentorum, non autem illorum institutores; ergo omnia novæ legis Sacramenta fuerunt à Christo instituta. Aperta est

*minor. Major prob.* Cùm enim ab Apostolorum temporibus septem exstiterint novæ legis Sacramenta, si fingatur ea non fuisse à Christo instituta, dicendum erit Apostolos fuisse illorum institutores.

*Prob.* 2.° *ex SS. PP.* S. Amb. lib. 4 de Sacramentis, cap. 4: *Auctor Sacramentorum quis est, nisi Dominus Jesus?* Et ex S. Aug. Epist. 118, ubi ait Christum Dominum Sacramentis suis societatem novi populi colligâsse.

*Prob.* 3.° *Ratione* congruentiæ. Convenientissimum erat ut Christus novi Testamenti mediator, et Christianæ Ecclesiæ fundator, adhuc in terris vivens, ea statueret quæ sunt præcipua pars novi Testamenti, et veluti columnæ et fundamenta Ecclesiæ: atqui septem Sacramenta sunt præcipua pars novi Testamenti, veluti columnæ et fundamenta Ecclesiæ; ergo maximè conveniebat ut Christus Dominus per seipsum Sacramenta institueret.

*Dices.* Concil. Trid. non addit hanc vocem, *immediatè,* proindèque dici potest quòd statuerit Christum mediatè duntaxat Sacramenta instituisse.

*Resp. Nego consequent.* Quia sufficienter colligitur mentem Concilii esse, quòd Christus per seipsum et immediatè omnia novæ legis Sacramenta instituerit; idque patet, quia in allato canone sacra Synodus damnare intendit Hæreticos, et eos omnes qui asseruerant omnia Romanæ Ecclesiæ Sacramenta non fuisse immediatè à Christo instituta.

Prætereà, cùm nonnulli Doctores ante Conc. Trid. existimâssent Extremam Unctionem fuisse à S. Jacobo institutam, eorum opinionem pro-

scribere volens S. Synodus, Sess. 14, can. 1 de Extremâ Unctione, definit Sacramentum Extremæ Unctionis fuisse à Jesu Christo institutum, et à B. Jacobo promulgatum : ubi S. Synodus Sacramentorum institutionem opponens eorum promulgationi, evidenter declarat quòd, cùm dicit Christum instituisse omnia novæ legis Sacramenta, hæc verba non sint ad alienum et improprium detorquenda sensum, sed sumenda secundùm propriam et apertam, quam præ se ferunt, significationem ; ideòque sufficienter declarat Christum Dominum per seipsum et immediatè omnia novæ legis instituisse Sacramenta, quamvis vox illa, *immediatè,* non addatur, ut potè non necessaria.

*Dices* iterùm : Plures antiqui Doctores Catholici docuerunt quædam Sacramenta non fuisse à Christo immediatè, sed ab Apostolis aut à Conciliis instituta. Hugo à S. Victore dicit Extremam Unctionem fuisse à S. Jacobo institutam; S. Bonaventura, Pœnitentiæ Sacramentum non à Christo sed ab Apostolis fuisse institutum; imò Alexander Alensis ait, Confirmationem fuisse institutam à Concilio Meldensi, quod seculo nono celebratum est.

*Resp.* 1.° illos Doctores errâsse, et illorum errores à Concilio Tridentino, illæsis personis, damnatos esse; sicut autem errare potuerunt, ita et ab Ecclesiâ corripi, quamvis propterea hæretici dici non possint, quia quæstio de Sacramentorum institutore nondùm fuerat ab Ecclesiâ clarè definita.

*Resp.* 2.° Institutionis nomen ab hisce Doctoribus latè sumi, prout scilicet promulgationem significat.

*Dices* deniquè : S. Cyprianus, Sermone de Ablutione pedum, sic loquitur : *Ipse summus Sacerdos, id est, Christus sui Sacramenti est institutor et auctor ; in cæteris homines Spiritum Sanctum habuêre Doctorem;* ergo ex S. Cypriano sola Eucharistia, quæ propriè Sacramentum Christi vocatur, immediatè ab ipso fuit instituta.

*Resp.* 1.° Sermonem illum non esse S. Cypriani, ut jam diximus, et notant viri peritissimi.

*Resp.* 2.° per has voces, *in cæteris,* alia non intelligi Sacramenta, sed cæremonias quas Ecclesia determinavit.

## SECTIO II.

### *An Christus, quatenùs Homo, vel quatenùs Deus, Sacramenta instituerit.*

#### PROPOSITIO.

*Christus Sacramenta novæ legis tum quatenùs Deus, tum quatenùs homo instituit.*

Tota propositio certissima est. Utraque pars explicatur et probatur.

1.° Christus instituit Sacramenta novæ legis quatenùs Deus, quia Christo, quatenùs Deo, conveniunt omnes perfectiones et omnia attributa quæ Deo verè attribuuntur : atqui Deus, ut jam diximus, est principalis auctor et institutor Sacramentorum novæ legis; ergo Christus, quatenùs Deus, est primarius Sacramentorum institutor, supremamque in Sacramentis habet auctoritatem, vel, ut loquitur S. Thomas, Christus habet, quatenùs Deus, potestatem auctoritatis, subintelligitur, supremæ.

2.° Quatenùs homo, fuit quoque Sacramento-

rum institutor et auctor, quippe quatenùs homo habuit potestatem excellentiæ seu ministerii principalis; quæ quidem excellentiæ potestas tria præsertìm complectitur.

Primum est quòd Christus per suam passionem et mortem meruit nobis ut Sacramenta instituerentur gratiæ sanctificantis productiva : undè à SS PP. Sacramenta de latere Christi in cruce pendentis fluxisse dicuntur.

Secundum est quòd Christus à Patre æterno potestatem acceperit dandi quibus voluerit signis virtutem gratiæ producendæ.

Tertium est quòd Christus, independenter à quolibet signo, potuerit gratiam conferre : sic paralytico et Magdalenæ, absque aquâ baptismali et quolibet alio Sacramento, peccata remisit et gratiam infudit, ut refertur Matth. c. 9, ℣. 2, et Lucæ c. 7, ℣. 48.

Hæc potestas vocatur à Theologis potestas excellentiæ, quia scilicet tam sublimis est et excellens, ut nulli puræ creaturæ communicata fuerit, saltem quatenùs unionem hypostaticam includit, vi cujus actiones Christi fuerunt infiniti valoris, et condignam atque superabundantem pro peccatis hominum satisfactionem Deo exhibuerunt, nobisque gratiam sanctificantem et omnes effectus quos in nobis operantur Sacramenta, de condigno meruerunt.

## CAPUT IV.

### *De multiplici Fine et Effectu Sacramentorum.*

Duo sunt præcipui Sacramentorum novæ legis effectus, nimirùm gratia sanctificans, quam omnia Sacramenta producunt, et character, qui à tribus duntaxat imprimitur. Duo effectus isti sunt etiam duo præcipui fines propter quos novæ legis Sacramenta Christus instituit. Jam de his duobus Sacramentorum effectibus disserendum est quadruplici sectione : in primà quæretur utrùm Sacramenta novæ legis gratiam producant; in secundà quomodò; in tertià qualem et quantam gratiam conferant; in quartà deniquè videbitur quid sit character.

## SECTIO PRIMA.

### *An Sacramenta novæ legis Gratiam producant.*

Suppono 1.° Sacramenta non esse causas gratiæ principales; solus enim Deus est gratiæ causa principalis physica, sicut et totius justificationis aliorumque donorum : Jacobi c. 1, ℣. 17 : *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursùm est, descendens à Patre luminum.* Deindè Christus solus est causa principalis meritoria gratiæ, et aliorum donorum supernaturalium, quæ hominibus conferuntur : Joan. c. 1, ℣. 16 : *De plenitudine ejus nos omnes accepimus.*

Suppono 2.° Sacramenta, vel aliud quodcunque signum sensibile, nullam ex naturà suâ ha-

bere virtutem gratiæ producendæ, sed vim illam nonnisi ex divinâ institutione haurire.

Status ergo quæstionis est, utrùm Sacramenta novæ legis sint veluti causæ instrumentales gratiæ, seu utrùm ex divinâ institutione Sacramenta novæ legis vim habeant gratiæ producendæ in hominibus obicem non ponentibus.

PROPOSITIO.

*Sacramenta novæ legis gratiam conferunt obicem non ponentibus.*

Propositio est de fide, et sic traditur à Conc. Florent. in decreto ad Armenos: *Nostra Sacramenta continent gratiam, et dignè suscipientibus conferunt.*

Idem clariùs habet Conc. Trident. Sess. 7, can 6, de Sacramentis in genere: *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non continere gratiam quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre...; anathema sit.*

*Prob.* 1.° *ex Script.* Joan. c. 3, ℣. 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Ephes. c. 5, ℣. 26: *Mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.* Tit. c. 3, ℣. 5: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* Undè sic argumentamur: Signum illud gratiam confert, quod regenerat spiritualiter animas nostras, quod mundat eas à peccato, et salvos nos facit: atqui, ex allatis Scripturæ testimoniis, aqua baptismalis spiritualiter regenerat animas nostras, à peccato mundat, et salvos nos facit; ergo gratiam confert, quia absque gratiâ non possumus spiritualiter regenerari, à peccato mundari et salvari; ergo, etc.

*Prob.* 2.° *ex SS. PP.* Tertull. lib. de Re-

surrect. carnis, cap. 8 : *Caro abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut et anima muniatur; caro manûs impositione adumbratur, ut et anima Spiritu illuminetur; caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur.* S. Aug. tract. 80 in Joann. sic exclamat : *Undè tanta virtus aquæ, ut corpus tangat et cor abluat?* Simili modo de aliis Sacramentis loquuntur Patres, quos fusè refert Bellar. libr. 2 de Sacramentis, cap. 6 et 7.

*Prob.* 3.° *Rationibus theologicis.* 1.ª Petitur ex Baptismo infantium et amentium; si enim Sacramenta gratiam mediatè tantùm producunt, nimirùm excitando fidem, cujus virtute gratia conferatur, quemadmodùm Calvinistæ fingunt, Sacramenta invalidè administrantur infantibus et amentibus, quorum fides excitari aut nutriri non potest : atqui Sacramenta invalidè non administrantur infantibus, ut notat S. Aug. libro 4 de Baptismo, contra Donatistas, cap. 24, et definitur à Conc. Trid. Sess. 7, can. 13 de Baptismo; idem dicendum de amentibus; ergo, etc.

2.ª Ratio est, quia ipsi Hæretici baptizatos à Catholicis non rebaptizant, licèt ignotâ linguâ fuerint baptizati, quorum proindè fides non est excitata per Baptismum : rebaptizandi tamen essent, si vera esset Hæreticorum sententia.

3.ª Ratio est, quia rebaptizandi essent omnes à quibuslibet Hæreticis baptizati, ut potè rectâ non imbuti fide : atqui tamen eos qui ab Hæreticis legitimam formam servantibus baptizati fuerant, rebaptizari prohibuit Ecclesia pluribus in Conciliis, ac præsertìm in plenario Concilio de quo toties S. Augustinus.

4.[a] Ratio est, quia si Sacramenta hunc solùm præcipuum haberent effectum, scilicet, excitandi fidem, illum æquè in adstantibus producerent, ac in suscipientibus; ideòque cùm multi essent baptizandi, unum aut alterum post concionem baptizare sufficeret.

Plura objiciunt Calvinistæ, sed non est quòd in iis solvendis nunc immoremur.

1.° Etenim eorum objectiones eò duntaxat generatìm tendunt, ut fidem solam ostendant justificare, quod hujus loci non est refellere, sed in *Tractatu de Gratiâ*, ubi de Justificatione.

Hìc tamen obiter dicam, 1. fidem actualem non esse absolutè necessariam ad justificationem, ut patet exemplo infantium et amentium, qui in Baptismo justificantur. 2. In adultis fidem prærequiri quidem ad justificationem, sed eam solam non sufficere, vel potiùs non quamlibet justificare, sed eam duntaxat quæ per charitatem operatur, juxta illud Apost. Galat. c. 5, ℣. 6: *Nam in Christo Jesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium; sed fides quæ per charitatem operatur.*

2.° Aliæ objectiones probant duntaxat, neque Sacramenta, neque ministros, esse causas gratiæ principales, aut physica instrumenta, quod ultrò fatemur, et posteà probabimus.

## SECTIO II.

### *Quomodò Sacramenta novæ legis Gratiam conferant.*

Cùm recentiores Hæretici Sacramentorum virtutem penitùs destruere conati sint, sacra Synodus Trident. divino afflata Spiritu, Sacra-

mentorum efficaciam, eorumque vim gratiæ productivam accuratissimè exposuit Sess. 7, de Sacramentis in genere, à can. 5 ad 9, in quibus canonibus hæc quatuor præcipuæ veritates traduntur.

1.° Quidem, ut jam probavimus, Sacramenta novæ legis continere gratiam quam significant; illamque non ponentibus obicem conferre.

2.° Sacramenta non esse tantùm signa externa acceptæ per fidem justitiæ, nec quasdam esse notas christianæ professionis, quibus fideles ab infidelibus discernantur.

3.° Per Sacramenta novæ legis gratiam conferri, non aliquandò duntaxat et solis prædestinatis, sed, quantùm est ex parte Dei, conferri semper omnibus qui Sacramenta suscipiunt.

4.° Deniquè, ut omnes illas veritates unicâ et brevi propositione complecteretur, sacra Synodus definivit per Sacramenta novæ legis gratiam *ex opere operato* conferri. Itaque si hæc ultima demonstretur propositio, tres aliæ, ut potè in eâ contentæ, simul demonstrabuntur: undè quæremus 1.° utrùm Sacramenta novæ legis gratiam ex opere operato conferant; 2.° discutiemus utrùm, et quomodò veteris legis Sacramenta gratiam producerent.

## ARTICULUS PRIMUS.

### *An Sacramenta novæ legis Gratiam conferant ex opere operato.*

Ad quæstionis hujus intelligentiam *nota* 1.°, ut expendatur undè Sacramentorum virtus repetenda sit, duo præsertìm posse considerari: 1. actio sacramentalis à Christo Domino instituta,

seu applicatio materiæ et formæ à Christo institutæ, v. g., ablutio et verborum prolatio in Baptismo; 2. suscipientis vel ministri dispositiones, videlicet actus boni et meritorii quos elicit suscipiens, vel Sacramenti minister: primum vocaverunt Theologi *opus operatum*, secundum verò *opus operantis*.

*Nota* 2.° quòd, gratiam per Sacramentum conferri ex opere operato, sit eam conferri præcisè ex virtute actionis sacramentalis à Christo institutæ, seu ex virtute applicationis materiæ et formæ, modò nullus sit obex; gratiam verò conferri ex opere operantis, sit eam conferri ex virtute et merito propriarum suscipientis aut ministri dispositionum. His positis, sit

PROPOSITIO.

*Per Sacramenta novæ legis, ex opere operato gratia confertur.*

Propositio est de fide, ut potè definita à Conc. Trid. Sess. 7, can. 8: *Si quis dixerit per ipsa novæ legis Sacramenta, ex opere operato non conferri gratiam...; anathema sit.*

*Prob.* 1.° propositio ex iis omnibus quæ in sectione præcedenti retulimus ad probandum Sacramenta novæ legis vim habere gratiæ producendæ; hæc enim ostendunt, non immediatè solùm sed et ex opere operato gratiam conferre Sacramenta novæ legis.

*Prob.* 2.° *ex Script.* II Timoth. c. 1, ℣. 6: *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Undè sic argumentor: Gratia quæ datur per manuum impositionem, datur per applicationem signi

sensibilis à Christo instituti, seu, quod idem est, ex opere operato : atqui quandò Timotheus fuit ab Apostolo ordinatus, tunc fuit ipsi gratia collata per impositionem manuum Apostoli ; ergo gratia tunc collata fuit ex opere operato per Ordinis Sacramentum.

*Prob.* 3.° Si aquæ baptismales vim non haberent, nisi excitandæ et nutriendæ fidei, ut fingunt Hæretici, opus non esset ut Spiritus Sanctus virtute supernaturali et omninò miraculosâ fontes baptismales repleret ; siquidem Baptismus Joannis, et veteris legis Sacramenta excitandæ et nutriendæ fidei vim habebant, nec ulla tamen in ipsis erat à Spiritu Sancto communicata virtus, eo modo quo nostris fuit communicata, et longè minorem quàm nostra virtutem habebant, ut docent Scripturæ et SS. PP. : nos quoque infrà probabimus ; item, imagines Christi et Sanctorum virtutem habent excitandi fidem, nec ulla tamen ipsis inest miraculosa virtus à Spiritu Sancto communicata : atqui Spiritus Sanctus virtute miraculosâ et supernaturali baptismales fontes replet, quemadmodùm inter alios testatur S. Leo, Serm. 4 de Natali Domini : *Omni homini renascenti aqua Baptismatis est instar uteri virginalis, eodem Spiritu replente fontem, qui replevit et Virginem.* Et Sermone 5 : *Dedit aquæ quod dedit Matri, virtus enim Altissimi et obumbratio Spiritûs Sancti, quæ fecit ut Maria pareret Salvatorem, eadem facit ut regeneret unda credentem ;* ergo Sacramenta novæ legis non sunt tantummodò signa quæ vim habeant excitandi fidem, sed immediatè et ex opere operato illam producunt in omnibus obicem non ponentibus ; ideòque Sacramenta novæ

legis meritò dicuntur gratiam continere, eo ferè modo quo pharmacum dicitur continere sanitatem.

*Obj.* 1.° Nec in sacris Litteris, nec in Veterum scriptis, legitur per Sacramenta novæ legis gratiam ex opere operato conferri; ergo id asseri non debet.

*Resp.* 1.° *Dist. ant.* Non legitur explicitè et quoad eosdem terminos, *conc.*; quoad rem ipsam et eumdem sensum, *nego*. Enimverò sacræ Litteræ et veteres Patres passìm docent Sacramenta novæ legis esse veras gratiæ causas, cùm dicunt per illa animas renasci, à peccatis mundari, gratiam et Spiritum Sanctum conferri, ut anteà probavimus: at hæc omnia declarant gratiam per Sacramenta conferri ex opere operato. Voces enim illæ, *ex opere operato*, significant tantùm Sacramentum, quà Sacramentum est, et per applicationem materiæ et formæ à Christo institutæ, vim habere producendi gratiam. Idcircò, licèt illæ voces à Patribus non exprimantur, satis intelliguntur in ipsorum locutionibus: quemadmodùm quandò pharmacum dicitur vim habere vulneris alicujus sanandi, subintelligitur semper hanc habere virtutem per suî applicationem, et, ut ita loquar, *ex opere operato*, quamvis illæ voces non enuntientur.

*Resp.* 2.° *Nego consequent.* Quia potestatem habet Ecclesia novis utendi vocibus ad rectiùs et distinctiùs fidem antiquam explicandam, eamque ab Hæreticorum fraudibus vindicandam. Sic Concil. Nicæn. I vocem, *Consubstantialis*, tanquam fidei veræ tesseram consecravit. Similiter, *Trinitatis* et *Incarnationis* voces, sicut et alias, in usum adhibuit, licèt in Scripturis non legantur.

Eodem

Eodem jure Conc. Trid. voces, *ex opere operato*, adoptavit, ad Sacramentorum efficaciam nitidiùs exponendam : nec refert quòd hic loquendi modus sit barbarus, quia grammaticæ leges plerumquè Ecclesia spernit, quandò ad fidem catholicam clariùs exprimendam utile est.

*Obj.* 2.° Ut Sacramenta gratiam in adultis producant, varias requirunt dispositiones, v. g., fidem et dolorem de peccatis commissis, Marci c. 16, ℣. 16 : *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit : qui verò non crediderit, condemnabitur ;* ergo, saltem in adultis, gratiam ex opere operato Sacramenta non producunt.

*Resp. Dist. ant.* Sacramenta varias requirunt in adultis dispositiones, quæ sunt tantùm conditio *sine quâ non*, et veluti principium passivum, *conc.;* quæ sint causa meritoria et veluti principium activum, *nego*. Itaque quamvis in adultis gratiam Sacramenta non conferant, nisi adsint requisitæ dispositiones, illæ tamen non sunt causa gratiæ per Sacramentum productæ; quia effectus causæ suæ virtutem non superat : at in Sacramentis gratia producitur ultra et supra virtutem et efficaciam propriarum suscipientis dispositionum : v. g., in Baptismo et Pœnitentiâ, si adultus suscipiens debitè sit attritus, gratiam sanctificantem virtute Sacramenti recipiet, quamvis attritio sola vim non habeat gratiæ sanctificantis conferendæ; attritio ergo in illo adulto non est gratiæ causa, sed tantummodò conditio sine quà non, et ad instar causæ removentis obicem : sicut quamvis sol illuminare cubiculum non possit, nisi aperiantur fenestræ et obex tollatur, attamen fenestrarum apertio non est propriè causa luminis, sed est solummodò conditio sine quâ

non, et ad instar causæ removentis obicem seu impedimentum lucis.

*Inst.* In Pœnitentiæ Sacramento actus Pœnitentis sunt causa gratiæ per Sacramentum productæ; ergo saltem Pœnitentiæ Sacramentum gratiam non producit ex opere operato, sed ex opere operantis.

*Resp. Dist. ant.* Actus pœnitentis sunt causa gratiæ quæ per Pœnitentiæ Sacramentum producitur, si illi actus sumantur quatenùs sunt materia Sacramenti Pœnitentiæ, *conc.*; si sumantur præcisè quatenùs sunt actus hominis, *nego;* proindè, *nego cons.*

Itaque pœnitentis actus duplici modo possunt spectari, 1. prout sunt quasi materia Sacramenti Pœnitentiæ, id est, quatenùs sunt signa sensibilia à Christo Domino instituta et elevata ad gratiam producendam, et consequenter sunt velut opus operatum; eoque sensu actus pœnitentis sunt causa gratiæ per Sacramentum productæ, causa, inquam, partialis, quæ simul cum absolutione gratiam producit.

2. Actus pœnitentis sumi possunt præcisè quatenùs sunt actus hominis pœnitentis, seu actus liberi et meritorii à pœnitente eliciti, et eo sensu non sunt causa gratiæ per Sacramentum productæ; quia, ut jam diximus, gratia in Sacramento Pœnitentiæ producitur ultra meritum omne propriarum dispositionum.

Idem dicendum de mutuo Matrimonii consensu, qui inter Christianos gratiæ producendæ vim habet, non præcisè quatenùs est actus liber et meritorius, sed quatenùs à Christo Domino ad Sacramenti dignitatem elevatus est.

Quærunt hìc Scholastici utrùm Sacramenta

novæ legis gratiam physicè producant, vel duntaxat moraliter : ad cujus disputationis intelligentiam, nota quòd gratiam physicè producere, sit illam producere per influxum et modum similem ei, quo agentia naturalia suos operantur effectus, sicut, v. g., ignis producit calorem; gratiam verò moraliter producere, sit movere Deum ut gratiam producat. Priori modo gratiam per Sacramenta produci volunt Thomistæ; oppositum propugnant Scotistæ : eligat unusquisque sententiam quæ ipsi magis arriserit.

## ARTICULUS II.

### *An et quomodò Sacramenta veteris legis Gratiam producerent.*

#### PROPOSITIO PRIMA.

*Sacramenta veteris legis gratiam ex opere operato non producebant.*

Certa est propositio, præsertim si excipiatur remedium quo, sive in naturæ lege, sive in mosaicâ, ab originali peccato mundabantur parvuli.

Hæc eadem propositio traditur in decreto ad Armenos, his verbis : *Sacramenta antiquæ legis non causabant gratiam, sed eam solùm per Passionem Christi dandam esse figurabant : hæc verò nostra continent gratiam et ipsam dignè suscipientibus conferunt.* Idem innuit Conc. Trid. Sess. 7, can. 2 de Sacram. in genere : *Si quis dixerit ea ipsa novæ legis Sacramenta à Sacramentis antiquæ legis non differre, nisi quia cæremoniæ sunt aliæ, et alii ritus externi; anathema sit.* Sed non viderentur à Sacramentis legis

antiquæ, nisi ritu externo differre, si veteris legis æquè ac novæ Sacramenta gratiam contulissent.

*Prob.* insuper, 1.° *ex Script.* Galat. c. 4, ℣. 9, ubi Sacramenta veteris legis vocat Apostolus, *Infirma et egena elementa.* Et c. 6, ℣. 15 : *In Christo enim Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura.* Hebr. c. 7, ℣. 18 : *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus et inutilitatem.* Ex quibus sic argumentor : Illa Sacramenta gratiam ex opere operato non conferebant, quæ infirma erant et egena elementa, quæ inutilia erant et nihil valebant ad internam sanctitatem : atqui talia erant, ex Apostolo, Sacramenta veteris legis; ergo non conferebant gratiam ex opere operato. Idem maximè probari potest ex Apost. Hebr. c. 9.

*Prob.* 2.° *ex Traditione,* cujus inter alios testis est S. Aug. Enarratione in Psalm. 73, paulò post initium : *Sacramenta non eadem, quia alia sunt Sacramenta dantia salutem, alia promittentia Salvatorem : Sacramenta novi Testamenti dant salutem; Sacramenta veteris Testamenti promiserunt Salvatorem.* Idem habet Epist. 19, ad S. Hieron.

*Obj.* 1.° *ex Script.* I. Cor. c. 10, ℣. 3, 4 : *Omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritualem biberunt.* Ex quo loco sic arguitur : Illa Sacramenta gratiam ex opere operato producebant, quæ eamdem cum nostris virtutem habebant, quia scilicet nostra gratiam producunt ex opere operato, ut jam probavimus : atqui, ex allato Apost. loco, Sacramenta veteris legis eamdem habebant cum nostris virtutem; ergo, etc.

*Resp. Nego min.* 1.° Hoc in loco non loquitur Apostolus de Sacramentis propriè dictis; loquitur enim ibi de transitu maris Rubri, de aquâ è rupe scaturiente, de manna, etc., quæ propriè Sacramenta non sunt, tum quia Sacramentum tandiù durare debet quandiù Religionis status perseverat; tum quia transitus maris Rubri, et aqua scaturiens, bestiis et hominibus erant communia, quod de Sacramentis propriè dictis asseri non potest.

2.° Nihil probat argumentum : non enim dixit Apostolus, eamdem escam nobiscum, ut perperàm objicit Calvinus, sed simpliciter eamdem escam, subintelligitur, *inter se,* quod ex Apostoli scopo satis patet; nihil enim aliud intendit Apostolus, quàm ut probet fideles omnes, etsi ad eamdem vocati sint fidem, non omnes tamen esse salvandos, nisi Deo summâ fide serviant, quod Israelitarum exemplo probat, qui, etsi omnes eamdem escam manducaverint, non omnes tamen Deo placuerunt; ex quibus immeritò deducitur Sacramenta vetera eamdem cum nostris habuisse virtutem.

Dixi, propositionem nostram esse certam, *præsertìm si excipiatur remedium quo ab originali labe parvuli mundabantur,* sive in naturæ lege, sive in mosaicâ; quia de illius remedii virtute et efficaciâ non convenit inter Theologos : quidam enim asserunt parvulos hujus remedii virtute fuisse justificatos ex opere operato, et independenter à fide vel parentum, vel ministrorum, alii verò contrarium docent. Sed quidquid sit, constat circumcisionem aliudve Sacramentum justificationem ex opere operato adultis non contulisse : Apostolus ad Galat. c. 6, ℣. 15, sic ait : *Neque circumcisio aliquid valet;* imò nonnulli

docent circumcisionem nullomodò institutam fuisse ad remissionem peccati, sed ad discernendum populum Israeliticum à Gentilibus.

*Obj.* 2.° S. Aug. tract. 26 in Joan. sic habet : *Sacramenta illa fuerunt : in signis diversa sunt; in re quæ significatur, paria sunt;* ergo ex S. Aug. quoad efficaciam paria sunt utriusque legis Sacramenta.

*Resp. Nego consequent.* Nam S. Doctor utriusque legis Sacramenta comparat quantùm ad vim significandi, non quantùm ad producendi virtutem, de quâ ne minimum verbum : paria quidem sunt quantùm ad significationem, eo quòd omnia gratiam significent, sed diverso modo : vetera significando solùm : nova significando simul et producendo.

## PROPOSITIO II.

*Legis antiquæ Sacramenta virtutem habebant excitandi fidem et charitatem erga Deum, sicque mediatè gratiam conferebant.*

Certa videtur propositio, et *prob.* ex Apost. Hebr. c. 10, ℣. 1 : *Umbram enim habens lex futurorum bonorum.* Ex quo sic argumentor : Signa quæ ex divinâ institutione prænuntiant Christum venturum, et Salvatorem promittunt, apta sunt ad fidem et charitatem erga Deum excitandam : atqui Sacramenta veteris legis ex divinâ institutione prænuntiabant Christum venturum, et promittebant Salvatorem ; ergo apta erant ad fidem et charitatem erga Deum excitandam, sicque mediatè gratiam producebant.

Addo per Sacramenta veteris legis collatam fuisse sanctitatem quamdam corporalem externam

et legalem, per quam populus Deo peculiaris à cæteris discernebatur nationibus, et legalibus immunditiis purgabatur; eoque sensu plures Doctores intelligunt loca quæ Sacramentis et sacrificiis legis mosaicæ vim remittendi peccata videntur tribuere, his aut similibus verbis, quæ passìm leguntur in libris Levitici et Numerorum: *Anima quæ peccaverit, offeret pro peccato arietem, rogabitque pro eo Sacerdos, et dimittetur illi*, etc. Quibus verbis existimant multi Scripturæ interpretes nihil aliud significari, nisi remissionem peccati quoad pœnam et immunditiam legalem, non verò quoad culpam et pœnam æternam; vel ad summum, veteris legis Sacramenta et sacrificia profuisse ad obtinendas gratias speciales, quarum auxilio elicerentur actus fidei, contritionis et charitatis.

## SECTIO III.

### *Qualem et quantam Sacramenta Gratiam conferant.*

Tria hìc præsertìm sunt examinanda: 1.° utrùm Sacramenta gratiam sanctificantem, insuper et gratiam sacramentalem conferant; 2.° utrùm gratiam primam, non secundam producant; 3.° deniquè utrùm eò major conferatur gratia, quò perfectiores sunt suscipientis dispositiones. Tria hæc totidem articulis elucidabuntur.

## ARTICULUS PRIMUS.

### *An Sacramenta Gratiam sanctificantem, insuper et sacramentalem conferant.*

#### PROPOSITIO.

*Unumquodque novæ legis Sacramentum gratiam sanctificantem, insuper et sacramentalem, in subjecto benè disposito producit.*

Duæ sunt propositionis partes seorsìm probandæ et explicandæ.

1.ª *Pars,* scilicet ab unoquoque novæ legis Sacramento gratiam sanctificantem produci, *de fide* est, et abundè probata, ubi demonstravimus per Sacramenta novæ legis gratiam produci. Gratia enim simpliciter et sine addito, est gratia sanctificans, id est, qualitas supernaturalis in animâ inhærens et permanens, quâ homo divinæ fit naturæ particeps, et filius Dei adoptivus constituitur : undè et vocatur gratia habitualis.

2.ª *Pars,* scilicet quòd unumquodque Sacramentum operetur gratiam sacramentalem sibi propriam, vulgò docetur à Theologis, et *prob.* Quia sicut ritu exteriori et sensibili distinguuntur Sacramenta, ita effectu proprio, seu gratiâ unicuique propriâ distingui debent, alioquin tot Sacramenta frustrà Christus instituisset; si enim omnia eamdem prorsùs gratiam conferrent, idem Sacramentum, saltem pluries repetitum, illos omnes gratiæ gradus posset conferre.

*Quæres* quid sit gratia sacramentalis.

*Resp.* Gratia sacramentalis est ipsa gratia habitualis cum jure ad speciales gratias actuales utiles ad finem et effectum cujuslibet Sacra-

menti : v. g., gratia sacramentalis Baptismi est gratia regenerationis spiritalis, dans jus ad gratias actuales necessarias, ut mandata Dei et Baptismi promissa serventur; gratia sacramentalis Confirmationis est gratia roboris spiritalis, cum jure ad speciales gratias actuales et dona Spiritûs Sancti, quibus indiget Christianus ut fidem publicè confiteatur, etiam coram tyrannis, cum periculo; et sic de cæteris Sacramentis. Quamobrem gratia sacramentalis non est ipsa gratia sanctificans præcisè, cùm eadem gratia sanctificans per omnia Sacramenta producatur, atque etiam haberi possit extra Sacramentum, scilicet per actum charitatis, aut perfectæ contritionis.

Deindè gratia sacramentalis non est ipsum actuale auxilium; recipitur enim gratia sacramentalis in ipsâ Sacramenti susceptione, in quâ tamen non confertur necessariò auxilium actuale, ut patet in parvulis qui baptizantur : sed gratia sacramentalis est ipsamet gratia sanctificans, prout dans jus ad auxilia specialia gratiæ excitantis et adjuvantis congruo tempore percipienda.

Colliges 1.° hominem qui indignè ad Sacramentum accedit, privari jure ad speciales gratias actuales obtinendas ut finem proprium Sacramenti assequatur : v. g., qui Ordinis Sacramentum indignè recipit, privatur jure ad speciales gratias actuales obtinendas ut sacris ritè fungatur ministeriis.

Colliges 2.° quandò post Sacramenti susceptionem homo per mortale peccatum ab acceptâ in Sacramento gratiâ excidit, tunc spoliari etiam dicto jure ad speciales gratias actuales, quia peccator jus non habet ad ullam gratiam : attamen

cùm per pœnitentiam priora reviviscunt opera et merita, et amissa recuperatur gratia; tunc saltem probabiliter dici potest reviviscere etiam jus ad speciales gratias actuales.

## ARTICULUS II.

### *An Sacramenta primam, an secundam Gratiam conferant.*

Gratia prima illa dicitur quæ creaturam intellectualem, ex non justâ, justam efficit; seu quæ illam ex peccati mortalis statu ad sanctitatis et justitiæ statum transfert.

Gratia secunda ea dicitur quæ creaturam jam justam, justiorem reddit, ideòque gratia secunda sæpè vocatur gratiæ sanctificantis augmentum. Hoc prænotato, sit

### PROPOSITIO.

*Duo novæ legis Sacramenta, Baptismus nimirùm et Pœnitentia, ex primariâ suî institutione, primam conferunt gratiam; alia verò secundam.*

Duæ sunt propositionis partes, et ambæ certissimæ.

*Prob.* 1.ª *pars.* Quia per Baptismum et Pœnitentiam à peccatis mortalibus mundamur et justificamur, ut fusiùs in propriis dicetur locis; ergo Baptismus et Pœnitentia primam producunt gratiam. Propptereà vocantur Sacramenta *mortuorum*, quia homines spiritualiter *mortui*, seu in peccato mortali jacentes, per illa Sacramenta vivificantur, et spiritualiter convalescunt.

*Prob.* 2.ª *pars.* Quia alia Sacramenta à Christo non sunt primariò instituta ad peccatum mortale

remittendum, sed ad vitam spiritualem nutriendam, roborandam, vel perficiendam; ergo gratiam secundam conferunt. Ideò Sacramenta *vivorum* nuncupantur, quia nempè soli homines spirituali vitâ fruentes ad illa Sacramenta debent accedere.

Dixi, *ex primariâ institutione;* quia Sacramenta mortuorum secundam per accidens gratiam conferunt, quandò scilicet qui hæc suscipit, per charitatis vel contritionis actus, justificationis gratiam jam adeptus est. È contrà, Sacramentum Extremæ Unctionis, quamvis vulgò dicatur Sacramentum vivorum, primam tamen gratiam conferre potest, ex secundariâ nempè suî institutione, ut in proprio exponetur loco.

Recentiores quidam Theologi asserunt per Eucharistiam, et alia vivorum Sacramenta, primam per accidens conferri gratiam, quandò scilicet suscipiens bonâ fide se in peccato mortali non existere existimat: at hæc opinio vix ullum habet in sacris Litteris aut Traditione fundamentum, nec forsitan absque periculo apud plebem divulgaretur; ideòque nec extra scholas, nec nisi ad summum probabiliter est asserenda.

*Quæres* utrùm Sacramenta novæ legis venialia peccata remittant.

*Resp.* 1.° Certissimum est per Baptismum et Pœnitentiam venialia peccata, etiam ex opere operato remitti, modò qui baptizatur de peccatis suis venialibus sit attritus, et pœnitens ea detestetur ac confiteatur.

*Resp.* 2.° Ex communi Doctorum sententiâ, Sacramenta vivorum remittunt quoque venialia peccata, vel immediatè et ex opere operato, ut nonnulli docent, vel saltem mediatè, imper-

tiendo gratias excitantes ad actum contritionis de venialibus peccatis eliciendum.

## ARTICULUS III.

*An per Sacramenta tantò Gratia major conferatur, quantò perfectiores sunt dispositiones.*

### PROPOSITIO.

*Tantò major per Sacramenta novæ legis gratia confertur, quantò perfectiores sunt suscipientis dispositiones.*

Certissima est propositio, et clarè traditur à Conc. Trid. Sess. 6, de Justificatione, cap. 7, ubi docet quòd unusquisque justitiam recipit secundùm mensuram quam Spiritus Sanctus partitur singulis, prout vult, et secundùm propriam cujusque dispositionem et cooperationem. Idem unanimiter docent SS. Patres.

*Prob. Ratione.* Sacramenta sunt causæ necessariæ, quæ agunt quantùm possunt, juxta suscipientis dispositionem; ergo, etc.

## SECTIO IV.

*Quid sit Character, et à quibus Sacramentis imprimatur.*

Character rectè definitur, *Signum spiritale et indelebile animæ impressum, vi cujus Sacramentum iterari non potest.* Hæc definitio sumitur ex Conc. Trid. Sess. 7, can. 9, de Sacramentis in genere, ubi sic habetur : *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione et Ordine, non imprimi characterem in animâ, hoc est, signum quod-*

*dam spiritale et indelebile, undè ea iterari non possunt; anathema sit.* Hoc posito, sit

PROPOSITIO.

*In tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione et Ordine, imprimitur in animâ character, qui est signum quoddam indelebile.*

Propositio est de fide, ut patet ex can. mox citato. Duæ sunt partes explicandæ et probandæ.

1.ª *Pars*, nempè quod tria novæ legis Sacramenta characterem imprimant, *prob. ex Script. et Traditione.* 1.º Quidem characterem baptismalem indicat Apostolus, Ephes. c. 1, ℣. 13: *In quo* (Christo) *et credentes signati estis Spiritu promissionis sancto.* Quem Apostoli locum de baptismali charactere interpretatur S. Chrys. Homil. in hanc Epistolam 2, ubi sic loquitur: *Signati fuerunt etiam Israelitæ, sed circumcisione, sicut oves et bruta. Nos quoque sumus signati, sed sicut filii, Spiritu.* S. Aug. Epist. 173 aliàs 204, sic habet: *Vos oves Christi estis, characterem dominicum portatis in Sacramento quod accepistis.*

2.º De Confirmationis charactere loquitur idem Apost. II Cor. c. 1, ℣. 21, 22: *Et qui unxit nos Deus, qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritûs in cordibus nostris.* Ad quem locum alludens S. Amb. lib. de Initiandis, cap. 7, sic habet: *Repete, quia accepisti signaculum spiritale... signavit te Deus Pater, confirmavit te Christus Dominus, et dedit pignus Spiritûs in corde tuo, sicut apostolicâ lectione didicisti.*

3.º Deniquè per Ordinis Sacramentum imprimi characterem apertè tradunt SS. PP. et imprimis

S. Aug. lib. 2 contra epist. Parmeniani, cap. 13: *Si quandò*, inquit, *ex ipsâ parte venientes etiam Præpositi, pro bono pacis, correcto Schismatis errore, suscepti sunt,... non sunt rursùs ordinati, sed sicut Baptismus in eis, ita Ordinatio mansit integra.* S. Hieron. in Dialogo adversùs Luciferianos, sub finem ita loquitur: *Synodus Nicœna omnes Hæreticos suscipit, exceptis Pauli Samosateni discipulis; et quod his majus est, Episcopo Novatianorum, si conversus fuerit, Presbyterii gradum servat.* At solida nulla afferri ratio potest, cur in Hæreticis vel Schismaticis, et viris vario criminum genere inquinatis Ordinatio maneat integra, sicut Baptismus, nisi Ordinis Sacramentum, sicut et Baptismus, characterem imprimat: nec Episcopis ab hæresi vel schismate redeuntibus sacerdotalia exercere munia permissum ab Ecclesiâ fuisset, nisi per Ordinationem impressus ipsis fuisset character indelebilis.

*Obj.* Theologi plures, ut Gabriel, Durandus, Scotus, Cajetanus, et alii, characterem non admiserunt; ergo, etc.

*Resp. Nego ant.* Etenim citati Theologi dubitaverunt duntaxat de essentiâ, seu quid sit character, quibusve fundamentis nitatur fides catholica de charactere; ejus tamen existentiam omnes admiserunt. Deindè antè floruerunt illi Theologi, quàm eâ de re quidquam clarè definierit Ecclesia; nunc autem constat dari characterem, et esse signum quoddam, sed spiritale.

2.ª *Pars*, nempè quòd character signum sit indelebile, et quòd Sacramenta characterem imprimentia iterari non possint, *probatur* tum ex loco Conc. Trid. jam citato, tum ex relatis

SS. Hier. et Aug. textibus, quibus Baptismi et Ordinis Sacramenta iteranda non esse testantur; ac proindè characterem in illis impressum, esse omninò indelebilem.

*Quæres* quomodò tres illi characteres ab invicem distinguantur.

*Resp.* Per characterem baptismalem homo fit ovis Christi, et idoneus redditur ad alia Sacramenta suscipienda. Per Confirmationis characterem fit Christi miles, Spiritu Sancto repletus, et deputatur ad spiritualem pugnam ex officio pro fidei defensione etiam coram Tyrannis sustinendam. Deniquè per Ordinis characterem Christi minister constituitur, et ad Sacramenta aliis ministranda, præsertìmque ad offerendum Missæ sacrificium deputatur. Indè congruentiæ rationem deducunt Theologi cur tria duntaxat Sacramenta characterem imprimant: sicut enim, inquiunt, signari solent oves, milites et Officiarii, ita etiam congruum erat ut aliquo spiritali signaculo insignirentur oves Christi, milites ejus, et Officiarii seu gregis ipsius duces.

## CAPUT V.

### *De Ministro et Ministri Qualitatibus.*

Sacramenti minister dicitur, qui Sacramentum conficit, illudque hominibus administrat. Quatuor in ipso necessariæ sunt qualitates ad Sacramenta ritè et sanctè conficienda: 1.ª est potestas legitima, 2.ª intentio, 3.ª vita pia, 4.ª deniquè est summa et assidua vigilantia, cui connectitur obligatio Sacramenta ministrandi. De his quatuor sectionibus totidem agemus.

## SECTIO PRIMA.

### *De Potestate in Sacramenti Ministro requisitâ.*

Suppono 1.° hìc institui posse quæstionem de requisitâ potestate, vel ad validam, vel ad licitam Sacramenti administrationem.

Suppono 2.° validè non posse ministrari Sacramentum, saltem de lege ordinariâ, nisi ab homine viatore; quia ex Scripturâ patet potestatem Sacramenta ministrandi fuisse concessam Apostolis, eorumque successoribus, id est, viatoribus hominibus: nec aliundè constat talem fuisse concessam Angelis vel hominibus vitâ functis. His prænotatis, sit

PROPOSITIO PRIMA.

*Non omnes homines, nec Christiani omnes, validè possunt, excepto Baptismo, Sacramenta ministrare, sed soli Sacerdotes au Episcopi hanc habent potestatem.*

Propositio est de fide, et traditur à Conc. Trid. Sess. 7, can. 10, de Sacramentis in genere: *Si quis dixerit Christianos omnes in verbo, et omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem; anathema sit.*

*Prob.* insuper. Quia ut validè conficiantur Eucharistiæ, Pœnitentiæ et Extremæ Unctionis Sacramenta, sacerdotalis requiritur character; ut autem Confirmationis et Ordinis Sacramenta ministrentur, necessarius est character episcopalis, quemadmodùm in propriis demonstrabitur locis: at non omnes homines, nec Christiani omnes, talem habent characterem. Quan-

tùm verò ad Matrimonium, etsi conjuges fideles illius dicantur ministri, attamen ut illud validè contrahant, nullum debet esse canonicum impedimentum, quod in multis reperitur; ergo non omnes homines, nec Christiani omnes, validè possunt Sacramenta ministrare.

Dixi, *excepto Baptismo;* quia, ut infrà probabitur, à quolibet homine rationis compote potest validè ministrari.

### PROPOSITIO II.

*Ut licitè et secundùm ordinem in Ecclesiâ institutum Sacramenta administrentur, præter facultatem ea validè conferendi, requiritur in ministro jurisdictio vel ordinaria, vel delegata, excepto necessitatis casu.*

Certa est propositio, et facilè *prob.* Quia Sacramentorum administratio ad eos directè pertinet, quibus directè animarum incumbit cura: quamobrem, ut docet Rituale Romanum, nullus hoc munere fungi debet, nisi proprius Sacerdos vel delegatus; nec alienæ parochiæ fidelibus Sacramenta ministrabit Sacerdos, nisi necessitatis causâ; et qui aliter se gerit, peccat, ut potè qui jus usurpet alienum, et sanctæ Ecclesiæ ordinem ac pacem perturbet.

## SECTIO II.

### *De Intentione in Sacramentorum Ministro necessariâ.*

Intentio, prout hìc sumitur, est libera voluntas conficiendi Sacramentum, seu actus voluntatis quo minister vult Sacramentum conficere. In-

tentio aliquatenùs differt ab attentione : quippe attentio est actus intellectûs aliquid considerantis, et de eo cogitantis; intentio verò, generatim loquendo, est actus voluntatis quo quis liberè vult aliquid agere, de quo priùs cogitavit.

De ministri intentione quatuor præsertim possunt inquiri, 1.° an in ministro necessaria sit intentio, ad Sacramenti valorem; 2.° an requiratur vel sufficiat intentio actualis, virtualis aut habitualis; 3.° quid intendere debeat minister, et an jocosè et derisoriè agens validum conficiat Sacramentum; 4.° deniquè utrùm intentio debeat esse absoluta et determinata : quatuor has difficultates articulis totidem enucleabimus.

## ARTICULUS PRIMUS.

### *An ad Sacramenti valorem Intentio sit in Ministro necessaria.*

Negavit Lutherus, docens valere Sacramenta lusoriè prorsùs collata, v. g., validum esse Baptismum à mimo datum, licèt ille per jocum et irrisionem manifestam, in scenâ ludendo, ritum Baptismi repræsentare solùm intenderet. Sit contra ipsum

PROPOSITIO.

*In Sacramentorum Ministro requiritur intentio saltem faciendi quod facit Ecclesia.*

Propositio est de fide, et apertè definita fuit in Conc. Trid. adversùs Lutherum, Sess. 7, can. 11, de Sacramentis in genere : *Si quis dixerit in Ministris, dùm Sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia; anathema sit.* Idèm habetur

in decreto ad Armenos : *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ, et personâ ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia; quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum.*

*Prob.* insuper *ex Script.* Matth. c. 24, ℣. 45 : *Quis, putas, est fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus suus super familiam suam?* Joan. c. 20, ℣. 23 : *Quorum remiseritis peccata*, etc. I Cor. c. 4, ℣. 1 : *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.* Ex quibus sic argumentor : Voluit Christus Dominus Sacramentorum ministros agere, non ut instrumenta inanimata et ratione destituta, sed humano et rationali modo, id est, per rationem et liberam voluntatem, sicut agere solent magistratus et judices à Rege constituti, vel dispensatores familiæ præpositi, ut ex allatis patet locis : atqui ita non agerent Ecclesiæ ministri, si Sacramenta absque intentione ministrarent; ergo in Sacramentorum ministris necessaria est intentio.

Confirmatur ex variis absurdis quæ ex Hæreticorum sequuntur opinione; si enim mater, nihil planè de Baptismo cogitans, inter lavandum filium, diceret ad Deum invocandum, ut infanti benè cederet ablutio, Lavo te, in nomine Patris, etc., censeretur validè baptizasse. Sic sequeretur quòd Sacerdos in mensâ legens c. 26 S. Matth., totum panem in mensâ positum converteret in corpus Christi. Sic ebrius, amens, aut somnians, si formam pronuntiaret, conficeret Sacramentum.

*Obj.* 1.° Quandò Calvinista baptizat, non habet intentionem faciendi quod vera facit Ecclesia,

sed quod facit Ecclesia Calvinistarum, quæ vera non est : atqui tamen validè baptizat; ergo ad Baptismi valorem non requiritur intentio faciendi quod vera facit Ecclesia.

*Resp. Nego maj.* Cùm enim Ecclesia Calvinistarum idem baptizando faciat quod vera facit Ecclesia, qui intendit facere quod facit Ecclesia Calvinistarum, intendit etiam facere quod vera facit Ecclesia.

*Obj.* 2.° S. Aug. pluribus in locis videtur necessitatem intentionis negare in Sacramentorum ministro; ergo, etc.

*Resp.* Dubitavit quidem S. Aug. an intentio esset absolutè necessaria in Sacramentorum ministro, sed res nondùm fuerat ab Ecclesiâ definita. Deindè, cùm optet S. Doctor ut in aliquo generali Concilio definiatur, dici non potest aliam fuisse ejus mentem, quàm Conciliorum Florentini et Trid. : sic enim habet lib. 7 de Baptismo, cap. 53, de ministri intentione loquens : *Nobis tutum est in ea non progredi aliquâ temeritate sententiæ, quæ nullo in catholico regionali Concilio cœpta, nullo plenario terminata sunt.*

*Obj.* 3.° Genesius mimum coram Diocletiano agens, fuit in theatro ab altero mimo baptizatus in christianæ fidei ludibrium : subitò credens, iterùm non est baptizatus, et tamen Sanctorum numero adscribitur in Martyrologio Romano et Adonis Trevirensis, octavo Calendas Septembris : sed mimus baptizans non habebat intentionem faciendi quod facit Ecclesia; ergo, etc.

*Resp.* historiam diversimodè à Scriptoribus narrari. Ado enim asserit accersitum fuisse Presbyterum, à quo baptizatus fuit Genesius. Deindè

non constat an illud Baptisma validum fuerit; quis enim illud approbavit? Ideò verò iteratum non fuit Baptisma, quia proprio statìm meruit sanguine baptizari S. Genesius; nihil ergo contra nos in illâ historiâ.

*Obj.* 4.° Nec fides, nec probitas requiritur in ministro ut Sacramenta validè perficiat; ergo nec intentio.

*Resp. Nego consequent.* 1.° Quia in Sacramentis, quæ tota pendent à Christi voluntate, non valent argumenta à pari. 2.° Hæc afferri potest disparitatis ratio, quòd sine fide et pietate possit quis humano modo agere in nomine et auctoritate Christi, non ita verò sine intentione.

*Obj.* 5.° Verba significant independenter ab hominis proferentis intentione; ergo pariter Sacramenta significant et gratiam operantur independenter à ministri intentione.

*Resp. Dist. ant.* Verba purè speculativa, *conc.;* verba practica, *nego.* Ratio disparitatis est, quia cùm verba purè speculativa nullam aliam habeant quàm significandi virtutem, idem semper significant à quocunque proferantur, sive ab homine, sive à psittaco. At verba practica, quæ vim habent aliquid efficiendi, nihil practicè significant, seu nihil operantur, nisi dùm ab eo proferuntur, qui intentionem habet et potestatem illud efficiendi quod verbis illius significatur. Undè si Judex somniando hominem morti addiceret, executioni non demandaretur ejusmodi sententia, ex eo quòd absque liberâ Judicis intentione fuisset prolata. At Sacramentorum verba practica sunt, ut suprà probavimus, et consequenter nihil practicè significant, seu nihil operantur, nisi legitimam minister habeat intentionem.

*Obj.* 6.° Deniquè : Corporalia medicamenta independenter à ministri aut medici intentione prosunt; ergo pariter Sacramenta, quæ spiritualia sunt medicamenta.

*Resp. Nego consequent.* Disparitas est, quia medicamenta corporalia intantùm prosunt, inquantùm ex salutiferâ materiâ et apto modo præparata fuerunt, proindèque independenter à ministri intentione operantur : at verò, ex Christi Domini institutione, Sacramenta sine ministri intentione non prosunt, quia Christus Sacramentorum ministros instituit tanquam judices, dispensatores et legatos, qui humano modo et cum intentione debent agere.

## ARTICULUS II.

### *Qualis requiratur et sufficiat Intentio.*

Quadruplex distingui potest intentio, nempè actualis, virtualis, habitualis, et interpretativa.

*Actualis* intentio est voluntas actu præsens conficiendi Sacramentum.

*Virtualis* est illa virtute cujus agitur, licèt paulò antè sit actu præterita : cognoscitur autem virtualem adesse intentionem, præsertìm per continuationem actionum, quæ fiunt in virtute actualis intentionis præcedentis, et ad eumdem ordinantur finem, nimirùm ad Sacramentum conficiendum; quamobrem minister ille dicitur habere actualem intentionem, qui Sacramentum conficiens, actu et de facto cogitat de Sacramento quod conficit, vultque actu illud conficere. Ille verò virtualem dicitur habere intentionem, qui, licèt eo ipso quo Sacramentum conficit, actu non intendat sacramentalem quam operatur actionem

exercere, nec de illà tunc cogitet, nihilominùs tamen actualem paulò antè habuit intentionem Sacramentum conficiendi, quæ quidem intentio retractata non est, nec moraliter interrupta, sed in serie actionum ad Sacramenti collationem ordinatarum perseverat, v. g. : si Sacerdos, postquàm actualem habuit intentionem celebrandi Missam, ex illà intentione ad Ecclesiam veniat, necessaria ad sacrum Mysterium præparet, et posteà ministret; quamvis in ipso forsitan exercitio, in eo quo consecrat momento, cogitatio ejus ad alia rapiatur, validè tamen consecrat, quia tunc agit virtute primæ intentionis perseverantis moraliter.

*Habitualis* intentio propriè sumpta definitur à quibusdam facilitas vel proclivitas ad Sacramenta cònficienda ex frequenti illorum administratione proveniens, quæ quidem intentio in amentibus, ebriis et dormientibus remanet, sicut et alii habitus.

*Interpretativa* intentio, prout ab habituali et virtuali distinguitur, propriè non est intentio, sed intentionis interpretatio, quæ futura in aliquo præsumitur, si esset mentis compos, aut si illa ipsi veniret in mentem. Alii aliter definiunt intentionem tum habitualem, tum interpretativam, sed neutram esse actum voluntatis physicè aut moraliter perseverantem consentiunt. Hoc posito, sit

### PROPOSITIO.

*Ut Sacramentum validè conferatur, requiritur saltem et sufficit virtualis intentio.*

Certa est propositio, et ab omnibus Theologis

admittitur : duæ illius partes probantur et explicantur.

*Prob.* 1.ª *pars*, nempè quòd *saltem virtualis requiratur intentio*. Quia ad Sacramenti valorem requiritur, ut humano modo se gerat minister, proindèque ut velit Sacramentum conficere : atqui, ut Sacramenti minister censeatur velle Sacramentum conficere, virtualis saltem requiritur intentio, nec sufficit habitualis strictè sumpta. Si verò virtualis intentio cum habituali confundatur, quemadmodùm sumitur à S. Thomâ, 3.â part. quæst. 64, art. 8, ad 3.um, et à quibusdam aliis Theologis, eo sensu dici poterit intentionem habitualem sufficere, id est, actualem non requiri, quod jam probandum est.

*Prob.* 2.ª *pars*, nempè quòd ad Sacramenti valorem *sufficiat virtualis intentio*. Quia illa ad Sacramenti valorem sufficit intentio, quæ sufficit ad hoc ut humano ac rationali modo agere dicatur minister, et Sacramentum velle conficere : atqui ad id sufficit virtualis intentio, sicut ad merendum sufficit intentio virtualis agendi propter Deum, et quemadmodùm in actionibus humanis, v. g., in contractibus, legationibus et procurationibus, sufficere solet virtualis intentio; ergo, etc.

*Prob.* insuper. Quia semper in ministri potestate non est habere actualem intentionem, scilicet propter repentinas et indeliberatas mentis divagationes, à quibus ne ipsi quidem viri pii omninò liberi sunt : at Christus eam noluit in ministris exigere intentionem, quæ nonnunquàm est moraliter impossibilis, superatque vires humanas; ac viam innumeris aperiret scrupulis ac dubitationibus, quæ circa Sacramentorum valorem

valorem possent oriri; ergo quamvis actualis intentio sit optima, et conveniens sit, quantùm fieri potest, eam adhibere; attamen ad Sacramenti valorem necessaria non est, sed virtualis sufficit.

*Observa* 1.° ad eliciendam actualem intentionem non requiri ut ore tenùs dicantur formaliter ista verba, *Volo baptizare,* etc., sed sufficere ut minister interiùs velit Sacramentum conficere.

*Observa* 2.° intentionem virtualem non desinere, nec moraliter esse interruptam, licèt aliqua brevis exerceatur actio, quæ per se ad Sacramenti valorem non sit ordinata, v. g., si Sacerdos post efformatam celebrandi intentionem aliquot describat lineas, vel paulisper cum aliquo in viâ occurrente colloquatur; istæ breves et minutæ actiones non obstant quominùs Sacramentum validè conficiat, licèt fortè eo instanti sit distractus, quo Sacramentum operatur.

## ARTICULUS III.

### *Quid intendere debeat Minister Sacramenti.*

Nota quatuor intendi posse à Sacramenti ministro: 1.° ritum purè externum ponere, quatenùs est præcisè applicatio externa materiæ et formæ; 2.° facere ritum sacrum, seu qui ut sacer apud Christianos habetur; 3.° verum conficere Sacramentum; 4.° producere Sacramenti effectum, v. g., gratiam vel characterem. Hinc, licèt omnis intentio ratione sui principii sit interior, cùm sit actus voluntatis, ratione tamen objecti duplex hìc à Theologis distinguitur, interna nimirùm et externa: intentio externa ea est quâ quis vult duntaxat ponere ritum externum, cum intentione secretâ non conficiendi

Sacramentum, sed exteriùs solùm simulandi. Intentio interna dicitur illa per quam quis, præter ritum externum, intendit operari aliquid internum et sacrum, saltem implicitè et confusè cognitum.

Quæstio est inter scholæ Magistros, an ad veritatem Sacramenti necessaria sit in ministro intentio interior, an sufficiat exterior.

Certum est autem nunc apud omnes, 1.° non absolutè requiri ut minister intendat explicitè ritum sacramentalem, sive prout est gratiæ productivus, sive prout est verum Sacramentum, sive prout adhibetur ab Ecclesiâ Christi, quia valet Baptismus à Paganis etiam collatus in legitimâ materiâ et formâ, licèt illi Christum et ejus Ecclesiam ignorent.

Certum est 2.° sufficere saltem quòd minister implicitè et indirectè velit facere quod facit societas quam Ecclesiam Christi vocant, aut quod ab ipso postulat, v. g., qui Baptismum ut ritum religiosum habet: putà, si Catechumenus in extremis positus Baptismum postulet ab infideli, ipsumque nonnisi ritum baptizandi materialem per tempus edocere queat; ratio est quòd ille minister infidelis, in eo casu, postulantis annuens voto, implicitè saltem et indirectè intendat facere quod facit et intendit Ecclesia Christi.

Certum est 3.° absolutè requiri saltem, 1. ut minister aliquâ ratione intendat facere quod facit Ecclesia, id est, saltem ut interiùs velit et cum advertentiâ totum ponere ritum exteriorem quem servat Ecclesia; 2. ut exteriùs seriò agat et in debitis circumstantiis, undè appareat eum se gerere tanquam Ecclesiæ ministrum.

Difficultas est igitur an hæc duo posteriora

sufficiant, atque hùc totum recidit controversiæ punctum, an illæsâ Sacramenti validitate, minister dùm ritum externum, debitis in circumstantiis, seriò et attentè exteriùs peragit, possit intentionem suam intùs limitare, restringere, corrumpere, aut etiam contrariam gerere, dicens tacitus apud se, *Nolo conficere Sacramentum*, vel etiam, *Volo puerum hunc non baptizare, sed diabolo devovere*, adeò ut nulla intentio occulta, quantumvis perversa, Sacramentorum validitati officere queat; an verò perversa hæc intentio secreta nullum prorsùs reddat Sacramentum, ad cujus validitatem absolutè necesse sit ut minister implicitè saltem intendat ritum peragere prout in Ecclesiâ Christianorum sacer habetur.

Inter Theologos alii affirmant, alii negant: utraque sententia suos habet defensores, suos et aggressores catholicos; communior tamen est quam hìc tuemur

PROPOSITIO.

*Ad valorem Sacramenti absolutè requiritur intentio interna, atque Sacramentorum validitati prorsùs officit perversa et opposita intùs latens intentio.*

*Prob.* 1.° *ex Script.* Luc. c. 22, ℣. 19, *Hoc facite*, ait Christus alloquens Apostolos, *in meam commemorationem.* I Cor. c. 4, ℣. 1: *Sic nos existimet homo*, inquit Apost..., *ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.* Undè sic arguere est: Ad valorem Sacramenti, necesse est ut minister agat in commemorationem Christi, ut Christi minister, ut dispensator mysteriorum Dei: sed qui, dùm ritum

sacramentalem exteriùs seriò celebrat, intùs verò contrariam gerit intentionem, dicens, v. g., Nolo facere rem sacram, sed simulare duntaxat, ille profectò non agit in commemorationem Christi, ut minister Christi, ut dispensator mysteriorum Dei, cùm positivè nolit ritum externum peragere sub eâ ratione quâ Sacramentum dici potest, nec enim est Sacramentum nisi quatenùs est sacer et à Christo institutus.

*Prob.* 2.° *ex Conc. Trid.* Sess. 7, can. 11: *Si quis dixerit in ministris, dùm Sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia; anathema sit.* Et Sess. 14, cap. 6, declarat sancta Synodus pœnitentem non debere sibi de suâ fide blandiri, *si Sacerdoti animus seriò agendi et verè absolvendi desit.* Igitur ex Conc. Trid. quilibet minister 1. debet intentionem habere faciendi quod facit Ecclesia: sed qui secretò dicit, Nolo baptizare, Nolo facere quod facit Ecclesia, ille non intendit facere quod facit Ecclesia; ergo, etc. 2. Sacerdos non absolvit, nisi habeat animum absolvendi: sed qui tacitus dicit apud se, Nolo absolvere, huic non est animus absolvendi; ergo, etc.

*Prob.* 3.° *ex Sum. Pontificibus.* 1. Alex. VIII sequentem proscripsit propositionem, anno 1690: *Valet Baptismus collatus à ministro qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intùs verò in corde resolvit, Non intendo quod facit Ecclesia:* sed hæc propositio ipsissimam adversariorum, quam impugnamus, sententiam exprimere videtur; quomodò igitur, salvo quod debetur sanctæ Sedi obsequio, eam iterùm defendere possunt?

2. Rubricæ Missalis Romani, quod auctoritate Clementis VIII editum est, sic habent, cap. 7, de Defectu intentionis : *Si quis non intendit conficere, sed delusoriè agere...; item si quis habeat coram se undecim hostias, et intendat consecrare solùm decem, non determinans quas decem intendit, in his casibus non consecrat, quia requiritur intentio.* Nihil expressius certè desiderari potest.

Legatur S. Thomas 3.ª part., quæst. 64, art. 8 et 10.

Accedit tandem placitum Sum. Pont. Benedicti XIV, in opere quod edidit anno 1748, cuique titulum fecit, *de Synodo Diœcesanâ*; etenim lib. 7, cap. 4, asserit quidem, 1. *Historiæ Concilii Trid. jejunos sese ostendere* eos qui oppositam, quam hìc impugnamus, Theologorum sententiam, à S. Synodo fuisse damnatam docent; 2. *Nullam de eâ re emanasse Sedis apostolicæ definitionem expressam*; verùm hæc addit : *Negari tamen haud potest, grave vulnus præfatæ opinioni inflictum ab Alex. VIII* (quandò nempè laudatam superiùs propos. damnavit); et posteà declarat nostram sententiam esse *communiorem, tutiorem, et omninò servandam in praxi. Quarè si constet,* prosequitur Sum. Pontifex, *quempiam, aut Baptismum contulisse, aut aliud Sacramentum ex iis quæ iterari nequeunt, administrasse, omni adhibito ritu, sed intentione retentâ... urgente quidem necessitate, erit Sacramentum iterùm sub conditione perficiendum; si tamen res moram patiatur, Sedis apostolicæ Oraculum erit exquirendum.*

*Obj.* 1.° S. Aug. lib 7 contra Donat. cap. 53,

innuit valere Baptismum cum internâ sive dantis sive accipientis simulatione, id est, intentione simulatâ administratum, ergo, etc.

*Resp.* 1.° Si ut volunt adversarii accipiatur ille textus, non minùs ipsis quàm nobis contradiceret S. Doctor; loquitur enim similiter de Baptismate extra Ecclesiam in ludo mimicè collato: quod Baptisma valere solus nunc dixerit Lutheri discipulus.

2.° Non assertivè sed dubitanter ibi loquitur S. Augustinus, non docendo, sed proponendo difficultatem, quam in hàc solvendâ controversiâ, quibus temporibus nihil definierat Ecclesia, experiebatur; et ideò subjicit tutum esse in eâ quæstione non progredi aliquâ temeritate sententiæ.

*Obj.* 2.° Innocent. IV, in lib. 3 Decret. tit. de Bapt. et ejus effectu, sic loquitur: *Non est necesse quòd baptizans gerat in mente facere quod facit Ecclesia, imò si contrarium gereret in mente, scilicet, non facere quod facit Ecclesia, sed tamen facit, quia formam servat, nihilominùs baptizatus est, dummodò baptizare intendat.* Igitur ex Sum. Pont. valet Baptismus, etiamsi minister per contrariam intentionem nolit facere quod facit Ecclesia.

*Resp. Dist. cons.* Igitur valet Baptismus, etsi minister nolit facere quod facit Ecclesia quantùm ad effectum Sacramenti, *conc.;* quantùm ad ritum præcisè ut sacrum saltem implicitè cognitum, *nego.* Sum. Pontificis mentem apertè produnt ultima textûs objecti verba, *Dummodò baptizare intendat.* Istudque clariùs antè jam aperuerat Inn. IV, in eodem cap.: *Ad hoc ut aliquis baptizatus sit,* inquit, *necessarium est quòd bapti-*

*zans intendat baptizare, non tantùm balneare, vel carnes lavare.* Atque ad eumdem sensum intelligi debet quod ex S. Thomâ solent objicere.

*Obj.* 3.° Probabiliùs creditur Christum in instituendis Sacramentis, eam tenuisse rationem agendi, quæ magìs congruit bono Ecclesiæ regimini, quæque paucioribus subjacet incommodis: atqui agendi ratio juxta quam Christus valida habuisset Sacramenta omnia quæ exteriùs seriò et in debitis circumstantiis conficiuntur, magìs congruit bono Ecclesiæ regimini, etc., quia magìs favet publicæ securitati; et innumeris occurrit incommodis quibus aliàs obnoxii essemus. Enimverò, supositâ necessitate intentionis internæ, fideles in perpetuâ versarentur anxietate circa valorem Sacramentorum à se susceptorum.

*Resp. Dist. maj.* Si hæc agendi ratio aliàs dignitati Sacramentorum non opponatur, nec contrarium ex Scripturis et ex Ecclesiæ Summorumque Pont. decretis probabiliùs constet, *conc.;* secùs, *nego.* Porrò verè postulat dignitas Sacramentorum, ut nonnisi à ministris intùs etiam seriò agentibus validè perficiantur; item ex probationibus nostris saltem probabiliùs est secundùm Scripturas et Ecclesiæ ac SS. PP. decreta, Christum reipsâ voluisse ut ab internâ ministri intentione pendeat Sacramentorum validitas.

*Ad prob. Resp.* 1.° *Retorq. argum.* Nemo similiter certus esse potest an legitimam formam secretò adhibuerit minister, an verò eam adulteraverit; ergo quisque similiter anxius erit de validitate Sacramentorum.

*Resp.* 2.° moralem eò loci sufficere certitudinem; ad hanc autem certitudinem satis est quòd nulla sit dubitandi ratio de malitiâ et improbi-

tate ministri. Cùm enim debitam intentionem habere sit facillimum, eam positivè excludere diabolicum est : tantam autem suspicandi nequitiam nulla potest esse ratio, nisi probetur; atque tenendum est quòd, pro suâ providentiâ, non patietur Deus optimus nos ita dæmonis aut impiorum illudi simulationibus, æternùm perituros.

*Obj.* 4.° Valent acta Notarii, contractus à Procuratore initi, quamvis contraria sit occulta eorum intentio; ergo à pari, etc.

*Resp. Nego consequent. et parit.* Ratio discriminis est quòd Notarius merus sit testis et scriba : scriba quidem, cujus est instrumenta, quibus partes contrahentes ligantur, describere; testis verò, qui partes non ligat, sed eas mutuo consensu ligatas declarat. Procurator autem ad contrahendum deputatus, minister est solùm exsecutionis, determinatam sibi voluntatem et intentionem Domini exsequens et implens, quomodò servus ad erogandam pauperi eleemosynam missus. Quæ officia, ut patet, internam non exigunt intentionem. Verùm minister Sacramentorum, minister dispensationis, ipse Sacramenta nomine et auctoritate Christi verè perficit, nec tantùm declarat, aut testis est concessæ sanctitatis, sed eam ut liberum Dei instrumentum confert ac producit : quomodò autem activè et efficienter produceret, quod producere nollet.

## ARTICULUS IV.

### *Utrùm Intentio debeat esse absoluta et determinata.*

Suppono intentionem aliam esse absolutam, aliam verò conditionatam. Absoluta ea est quæ

nullam involvit conditionem, ut cùm baptizans dicit, *Ego te baptizo,* nullà adjectà conditione. Conditionata verò ea est quæ conditionem complectitur, non de præsenti aut præterito, sed de futuro : quandò conditio est de præsenti vel præterito, et jam verè posita est, tunc æquivalet absolutæ; idem quoque dicendum, si conditio sit de futuro necessario, nisi fortè suam velit minister intentionem suspendere usque ad conditionis eventum. Si verò conditio sit de futuro contingenti, invalida prorsùs erit intentio, quemadmodùm sequenti demonstrabitur propositione. Itaque sit

PROPOSITIO.

*Ad Sacramenti valorem absoluta requiritur intentio, vel absolutæ æquivalens.*

Certissima est propositio.

*Prob.* ratione jam multoties adductà. Ad Sacramenti valorem requiritur ut minister velit Sacramentum conficere : atqui nisi intentionem habeat absolutam, vel absolutæ æquivalentem conferendi Sacramentum, tunc Sacramentum non vult conficere; ergo, etc.

Dixi, *intentio absoluta, vel absolutæ æquivalens,* qualis est quæ conditionem involvit de præsenti aut præterito, modò jam verè posita sit illa conditio, ut cùm baptizans dicit : Si tu es homo, *Ego te baptizo,* vel, Si non es baptizatus; quia ex hypothesi quòd suscipiens verus sit homo, vel nondùm fuerit baptizatus, tunc validè baptizatur; et ejusmodi formis aliquandò uti licitum est, ut in proprio probatur loco. Si verò contingat suscipientem non esse hominem, aut

jam fuisse baptizatum, nulla prorsùs erit baptizandi intentio.

Quamobrem Sacramenta nunquàm conferenda sunt sub conditione de futuro saltem contingenti, et tali modo collata forent prorsùs invalida; si enim, v. g., baptizans diceret, *Ego te baptizo*, modò crastinâ die ad Ecclesiam venias, Baptismus ille foret omninò invalidus; non enim validus foret eo tempore quo minister abluit, et verba profert, quia tunc intentionem non habet conficiendi Sacramentum pro tempore, sed suam suspendit intentionem per allegatam conditionem; neque etiam Sacramentum validum fiet quandò crastinâ die adimpleta erit conditio; tunc enim ampliùs non existet Baptismi Sacramentum.

*Quæres* an intentio debeat esse determinata.

*Resp.* Ad Sacramenti valorem requiritur ut ad certam personam vel materiam determinata sit conferentis intentio. Responsio certa est, et per se patet; non enim vera est Sacramenti conficiendi voluntas, v. g., baptizandi, vel absolvendi, nisi ad certam dirigatur personam : pariter, vera non est consecrandi voluntas, nisi ad hanc vel illam materiam dirigatur; operationes enim sunt circa singularia. Idem etiam patet ex Sacramentorum formis, *Baptizo te*, *Absolvo te*, *Hoc est Corpus meum*, etc. Hinc

Colliges in praxi, quòd suam debeat intentionem dirigere minister ad materiam, vel personam præsentem, quæcunque illa sit, v. g., velle debet minister baptizare hunc infantem, sive sit puer sive puella, sive filius sit Petri sive Jacobi, alioquin Sacramenti valor in discrimen nonnunquàm adduceretur.

## SECTIO III.

### *Utrùm Fides et Sanctitas requirantur in Sacramentorum Ministro.*

*Nota.* 1.° quòd circa initium tertii seculi, Agrippinus, Carthaginensis Episcopus, coacto Episcoporum Africæ et Numidiæ Concilio, ex ipsorum consensu statuerit Hæreticos omnes ad Ecclesiam redeuntes, esse rebaptizandos, ut referunt S. Cyprianus, Epist. 71, ad Quintianum, et 73, ad Jubaianum; et S. Aug. lib. 2 de Baptismo, cap. 1.

Agrippino successit in Episcopatu S. Cyprianus, qui decessoris errorem confirmavit in tribus Conciliis ex Africâ, Numidiâ, et Mauritaniâ coactis. In eodem errore versati sunt Orientales multi, quorum duces exstitère Firmilianus et Helenus, qui duas eâdem de causâ Synodos, alteram Synnadæ, alteram Iconii celebravère, quemadmodùm videre est in Epist. 75, quæ est Firmiliani ad Cyprianum.

*Nota* 2.° nec S. Cypr. nec Episcopos ipsi adhærentes, Hæreticis annumerandos: 1. quia hæc quæstio de valore Baptismi ab Hæreticis collati, clarè nondùm fuerat ab Ecclesiâ definita; 2. quia ejusmodi quæstio censebatur tunc ad disciplinam, non autem ad fidem pertinere; 3. quia vinculum pacis perseverantissimè tenuerunt, ut testatur S. Aug. Epist. 48.

*Nota* 3.° intentatam quidem, sed latam nunquàm fuisse à S. Stephano, Summo Pontifice, adversùs Rebaptizantes excommunicationis sententiam; nullibi enim legitur.

*Nota* 4.° non modò S. Cyprian. sed et Epis-

copos ipsi adhærentes, à suâ recessisse sententiâ: de S. Cypriano testatur S. Aug. Epist. 48, ad Vincentium; de Episcopis S. Cypriano adhærentibus testatur S. Hieron. sub finem Dialogi adversùs Luciferianos, his verbis: *Illi ipsi Episcopi qui rebaptizandos Hæreticos cum eo* (S. Cypriano) *statuerant, ad antiquam consuetudinem revoluti, novum emisêre decretum.*

*Nota* 5.° Conc. Plenarium de quo toties S. Aug. proprio illud nomine nunquàm appellando, aliud non esse à Nicæno I. Namque 1. reverà plenarium erat; est enim omnium œcumenicorum primum. 2. Habitum anno 325, scilicet post S. Cypriani mortem, et ante S. Aug. nativitatem. 3. Quia Conc. Nicæn. recipiendo Novatianos, qui ad minùs schismatici erant, cum solâ manuum impositione, ut patet ex canone 8, sufficienter definiit Baptisma extra Ecclesiam in legitimâ formâ datum, validum esse, quod erat caput difficultatis S. Aug. inter et Donatistas.

*Nota* 6.° eumdem errorem jam ab universali Ecclesiâ proscriptum, pertinaciter quarto Ecclesiæ seculo defendisse Donatistas, qui Ecclesiam diù, præsertìm in Africâ, vexavêre, ac 400 et ampliùs in schismate suo habuerunt Episcopos.

Donatistarum hæresi adhæserunt seculo duodecimo Apostolici; Waldenses et Albigenses, seculo decimo quarto; et decimo quinto, Wiclefitæ et Hussitæ; tandem decimo sexto seculo, Anabaptistæ. Adversùs hos omnes, sit

## PROPOSITIO PRIMA.

*Nec fides, nec sanctitas in Ministro requiruntur ad hoc ut valida sint Sacramenta.*

De fide est propositio, ut patet ex Conc. Trid. Sess. 7, can 12. : *Si quis dixerit ministrum in peccato mortali existentem, modò omnia essentialia quæ ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre Sacramentum; anathema sit.* Et can. 4 de Baptismo : *Si quis dixerit Baptismum qui etiam datur ab Hæreticis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum; anathema sit.*

*Prob.* insuper 1.° *ex Script.* Joan. 1, ℣. 33 : *Hic est qui baptizat.* Si enim Christus tanquam primarius minister Baptismum confert, etiam per ministrum infidelem et peccatorem sanctificare et verè baptizare poterit.

*Prob.* 2.° *ex antiquâ Ecclesiæ Traditione*, quam S. Stephanus strenuè propugnavit adversùs S. Cyprianum et Orientales, quæ his verbis apud S. Cyprian. Epist. 74 refertur : *Si quis à quâcunque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur ad pœnitentiam.* Ejusdem Traditionis meminit S. Aug. adversùs Donatistas scribens, præsertim lib. 2 de Baptismo, cap. 9, ubi sic loquitur : *Consuetudinis robore tenebatur universus orbis; et hæc sola opponebatur introducere volentibus novitatem.* Item tract. 5 in Joan. : *Baptisma*, inquit, *tale est, qualis est in cujus potestate datur : non qualis est ille per*

*cujus ministerium datur.... Quod dabatur à Petro, Christi est; et si datum est à Judâ, Christi erat. Dedit Judas, et non est baptizatum post Judam.... quia si datus est à Judâ Baptismus, Christi erat.*

Idem testatur S. Hieron. Dial. adversùs Luciferianos.

*Prob.* 3.° *ex Conc.* Arelatensi I, can. 8; Nicæn. I, can. 8, de quo sic loquitur S. Hier. sub finem Dialogi contra Luciferianos : *Synodus Nicæna omnes Hæreticos suscepit, exceptis Pauli Samosateni discipulis;* id est, Synodus Nicæna pro valido habuit Baptisma à quibuslibet Hæreticis collatum, exceptis Paulianistis, quia legitimâ non utebantur formâ. Conc. Constantin. I, can. 7; Conc. Capuensi relato à Conc. Carthag. III : *Placuit quod in Capuensi Synodo videtur statutum, quòd non liceat fieri rebaptizationes.* Idem decretum renovatum est in Conciliis Florent. et Trid.

*Prob.* 4.° tandem duplici *Ratione theologicâ.* 1.ª Est, ut aiunt, *ad hominem,* et ex principiis Donatistarum deducta, qui baptizatos ab Hæreticis quidem, non verò ab homicidis, adulteris rebaptizabant. Etenim ideò Baptisma Hæreticorum invalidum putabant, quia Spiritum Sanctum, quem non habent, cæteris dare non possunt : atqui pariter improbi ministri Spiritum Sanctum non habent; ergo aut valet Baptismus ab Hæreticis collatus, aut invalidus est ipse Baptismus à quibuslibet improbis datus, cùm neutri Spiritum Sanctum habeant.

2.ª Deducitur ex absurdis : Si ex fide ac merito ministri penderet Sacramenti valor, tanta esset Baptismorum varietas, quanta meritorum

diversitas; justior esset et sanctior qui à sanctiore ministro Sacramenta susciperet : atqui absurdum utrumque consequens ; ergo , etc.

*Obj.* Eccli. c. 34 , ℣. 4 : *Ab immundo quid mundabitur?* id est, nemo immundus potest alium mundare ; ergo , etc.

*Resp. Dist.* Immundus non potest alterum mundare virtute propriâ, *conc.;* virtute Christi, *nego.*

*Inst.* Nemo dat quod non habet : atqui immundus non habet gratiam ; ergo , etc.

*Resp. Dist. maj.* Nemo dat tanquam causa principalis quod non habet , *conc.;* tanquam causa instrumentalis, *nego.* Nam serra , v. g. , et ascia ligno tribuunt scamni formam quam non habent. Porrò qui Sacramenta confert, agit ut causa instrumentalis Christi , qui principalis est causa tum gratiæ, tum Sacramentorum.

Ad solvendas objectiones ferè innumeras , quæ sive ex Conciliis , sive ex Summis Pontificibus , sive ex SS. PP. desumuntur,

Adverte 1.° quòd pluribus in locis legatur Sacramenta ab Hæreticis collata polluere potiùs quàm sanare, sed eo sensu quòd adulti qui scienter et sine ullâ necessitate Sacramenta ab Hæreticis recipiunt, nullam consequantur gratiam , imò gravissimum sacrilegii peccatum committunt.

Adverte 2.° plures, S. Cypriani tempore, de valore Baptismi ab Hæreticis collati dubitasse , quia res clarè nondùm fuerat ab Ecclesiâ definita; mirum ergo videri non debet, si baptizatos ab Hæreticis rebaptizandos dixerint.

Adverte 3.° objectiones quæ fiunt circa sacras Ordinationes, quas plurimi canones declarant inutiles , irritas prorsùs et nullas , si contra Ec-

clesiæ leges, vel ab Hæreticis, Schismaticis et Simoniacis celebrentur, solvi posse, dicendo eos qui illicitè ordinabantur, non modò Sacramenti gratiam non fuisse consecutos, verùm etiam honore et jurisdictione caruisse, adeò ut cum ejusmodi ordinatis, eodem prorsùs modo ac cum meris laicis se gereret Ecclesia, idque absque ullâ restitutionis spe, cùm tunc rarissimæ forent dispensationes et rehabilitationes.

Adverte 4.° plures olim fuisse in Ecclesiâ cæremonias, quæ secundùm ritum externum maximam cum ipsis Sacramentis habebant affinitatem: multiplex enim fuit manuum impositio, alia confirmatoria, alia reconciliatoria, alia ordinatoria; imò eædem ferè usurpabantur cæremoniæ in restituendâ Ordinum exsecutione, ac in ipsâmet Ordinatione, quod aliquibus errandi fuit occasio, qui hisce cæremoniis reordinationem fieri sibi immeritò finxerunt.

## PROPOSITIO II.

*Ut Sacerdotes licitè Sacramenta ex officio ministrent, tenentur esse in statu gratiæ sanctificantis; sicque quandò mortalis peccati conscientiam habentes Sacramentum solemniter conferre præsumunt, novo se peccato inquinant.*

Certa est propositio.

*Prob.* 1.° *ex Script.* Isaiæ c. 52, ℣. 11: *Mundamini qui fertis vasa Domini:* porrò si mosaicæ legis Sacerdotes, ut Templi vasa deferrent, mundi esse debebant, quanta debet esse Sacerdotum novæ legis munditia, ut Sacramenta ministrent!

*Prob.* 2.° *ex SS. PP.* passìm, et ex omnibus Theologis, præsertìmque ex S. Thomâ, 3.â part., quæst. 64, art. 6.

*Prob.* 3.° *Ratione :* 1. Quia Sacramenta nonnisi sanctè tractanda sunt. 2. Quia Sacramentorum ministri conformari debent Christo, qui est principalis minister, cujus nomine et auctoritate agunt; quantæ ergo in Christum irreverentiæ rei sunt, qui, dùm diabolo serviunt, tantum audent obire ministerium.

Dixi, *ex Officio*, et *Solemniter;* quia non peccat minister qui, non ex officio, sed ex charitate et necessitate, sacrum exercet ministerium; ut prob. auctoritate et ratione S. Thomæ loco citato : *In articulo necessitatis*, inquit, *non peccaret* (Sacerdos) *baptizando, in casu in quo etiam posset laicus baptizare : sic enim patet, quòd non exhiberet se ministrum Ecclesiæ, sed subveniret necessitatem patienti. Secùs autem est in aliis Sacramentis, quæ non sunt tantæ necessitatis.*

## SECTIO IV.

### *De Obligatione Sacramenta ministrandi, necnon de ministri Vigilantiâ.*

Sectionem hanc in tres dividemus articulos : in 1.° quæremus an et quomodò Sacerdotes teneantur Sacramenta conferre; in 2.° quibus personis, an aliquandò etiam indignis sint conferenda; in 3.° an et qualis vigilantia requiratur in Sacramentorum ministris.

## ARTICULUS PRIMUS.

*An et quomodò Sacramenta ministrare teneantur Sacerdotes.*

### PROPOSITIO.

*Pastores aliique ex officio ministri, ovibus sibi commissis tenentur ex justitiâ Sacramenta ministrare, vel per se, vel per alium idoneum ministrum.*

*Prob.* Quia Pastores eorumque Vicarii ex proprio tenentur officio animarum salutem procurare : atqui salus animarum per dignam præsertìm Sacramentorum administrationem procuratur; ergo tenentur ex justitiâ Sacramenta ministrare, vel per se, vel per alium idoneum ministrum, cùm eo nomine stipendium accipiant; proindèque si Pastores subditis irrationabiliter Sacramenta denegent, peccant mortaliter.

*Quæres* quandonàm Parochi, et alii ex officio ministri, teneantur Sacramenta ministrare.

*Resp.* in tribus præsertìm casibus. 1.° Nempè quotiescunquè fideles Sacramenta tenentur suscipere. 2.° Quandò in gravi et extremâ necessitate versantur : vocatur autem extrema necessitas, in quâ proximus æternâ salute privandus est, nisi Sacramentum ad salutem necessarium ipsi conferatur; gravis verò necessitas ea est in quâ proximus sine maximâ difficultate sibi succurrere non potest, nec ab alio juvari. Quarė Pastores tenentur ovibus suis Sacramenta conferre, quandò graviter et periculosè decumbunt; imò hoc in casu tenentur alii Sacerdotes, si non adsit Pastor aut ejus Vicarius. Similiter ex charitate tenentur

laici Baptismum in tali casu administrare, quia charitas exigit ut subveniatur proximo in gravi, ac præsertim in extremâ spiritali necessitate. 3.° Parochi et alii ministri ex officio, tenentur ex justitiâ Sacramenta ministrare, quoties fideles rectè dispositi rationabiliter petunt expressè vel tacitè : adest autem tacita petitio, quoties fidelis graviter et periculosè decumbit; ideòque etsi Pastor aut Vicarius vocatus non fuerit, statìm debet accurrere, ut ea conferat ægroto Sacramenta, quorum capacem illum judicaverit.

*Quæres* insuper utrùm cum proprio vitæ periculo teneantur Pastores populis suis in extremâ necessitate constitutis Sacramenta ministrare.

*Resp.* Certum est ad id teneri Pastorem, et probatur ex verbis Christi, Joan. c. 10, ℣ 11 : *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Quod maximè fieri debet, cùm oves in extremâ versantur necessitate. Quin etiam ad id tenentur alii Sacerdotes, atque etiam laici pro Baptismo conferendo; quia charitas exigit ut corporalem exponamus vitam pro spirituali proximi vitâ, præsertìm si in extremâ sit necessitate constitutus.

Colliges, furente peste, non licere Pastori gregem suum deserere, nisi ministrum idoneum substituat. Imò si, contagioso grassante morbo, unicus eo in loco reperiatur Sacerdos, quamvis Pastor non sit, tenetur tamen ibi remanere, saltem ad audiendas confessiones, quia Pœnitentiæ Sacramento carere, pro extremâ necessitate haberi debet respectu communitatis, in quâ multos hujus Sacramenti defectu damnandos constat.

## ARTICULUS II.

### *Quibus Sacramenta sint conferenda vel deneganda.*

Certum est 1.° rectè dispositis non posse Sacramenta irrationabiliter, absque peccato, denegari.

Certum est 2.° indignis licitè posse Sacramenta ministrari, excepto absolutionis beneficio, quandò indignitas per solam ipsorum confessionem innotescit.

Igitur difficultas est utrùm indignis seu peccatoribus deneganda sint Sacramenta, cùm aliâ quàm confessionis viâ, ut tales cognoscuntur: pro cujus solutione,

*Nota* 1.° Peccatores alii sunt occulti, alii notorii. Isti autem tales sunt, notorietate *juris* aut *facti*: notorii notorietate *juris* ii dicuntur, quorum crimen notum est vel per propriam eorum juridicam confessionem, vel per depositionem testium, vel per Judicis sententiam; notorii notorietate *facti* ii dicuntur, quorum crimen adeò evidens est, ut nullâ tergiversatione celari possit.

*Nota* 2.° Peccatores sive occulti, sive notorii, vel *occultè* Sacramenta petunt, vel *publicè*. His prænotatis, sit

### PROPOSITIO PRIMA.

*Generatìm loquendo, non licet indignis Sacramenta ministrare.*

*Prob.* 1.° *ex Script.* Matth. c. 7, ℣. 6: *Nolite dare sanctum canibus.*

*Prob.* 2.° *Ratione.* Qui enim sciens et volens Sacramenta confert indignis, illorum cooperatur et participat sacrilegio.

## PROPOSITIO II.

*Peccatori, sive occulto, sive publico,* occultè *petenti deneganda sunt Sacramenta.*

*Prob.* Quia nulla est ratio cur ipsi Sacramenta concedi debeant : undè recurrunt rationes in propositione præcedenti allatæ.

## PROPOSITIO III.

*Peccato occulto* publicè *petenti negari non debent Sacramenta.*

*Prob. Exemplo Christi,* qui dùm corpus suum Judæ proditori porrexit, praxim determinavit ministrandi Sacramenta peccatoribus occultis, ubi ea publicè dispensantur. Rem ita esse testatur totius Ecclesiæ sensus et traditio constans; idque meritò, propter gravia quæ aliàs sequerentur incommoda. Si enim Sacerdoti licitum esset, propter crimen occultum, *publicè* petenti Sacramenta denegare, pii ac timorati ab eorum susceptione quandoquè deterrerentur, ne propter imprudentiam vel malitiam Sacerdotis ejicerentur; sæpè etiam multis Sacramenta denegarentur ob culpam quæ, licèt in se levis, imperito vel malè affecto Sacerdoti gravior videretur, et hinc jurgia, lites, scandala, etc., quibus occurrere voluit Christus, propter bonum Ecclesiæ.

Nec dicas Sacerdotem cooperari sacrilegio peccatoris cui Sacramentum ministrat : in eo enim casu, duntaxat permittit quod, pro officio, permittere tenetur.

## PROPOSITIO IV.

*Peccatori notorio, sive notorietate juris, sive notorietate facti, Sacramenta etiam* publicè *petenti, denegari debent, exceptâ Pœnitentiâ et nonnunquàm Matrimonio.*

*Prob.* 1.° *ex Script.* Textu suprà relato : *Nolite dare sanctum canibus :* atqui per canes, peccatores manifestos intelligi, duce S. Thomâ, unanimiter docent Doctores.

*Prob.* 2.° *ex SS. PP.* S. Cyprianus, Epist. 61; S. Aug. Hom. 50; S. Chrysost. Hom. 83 in Matth. ubi sic Sacramentorum dispensatores compellat : *Non parva vobis imminet ultio, si quemquam ullius improbitatis conscium hujus mensæ participem esse concedatis. Sanguis ejus de manibus vestris exquiretur. Sive quis dux militiæ sit, sive præfectus, sive princeps diademate coronatus, indignè ne accedat prohibe. Sed undè, inquies, ego illum atque illum, qualis sit, cognoscere possum, non de ignotis, sed de notis hæc disputo.*

*Prob.* 3.° *ex auctoritate omnium Theologorum et Canonistarum,* inter quos Habertus, Witassius, Natalis Alexander, *Van-Espen*, etc. Ita etiam docent, post Rituale Romanum, Ritualia passìm : sic habet Tolosanum, pag. 8 : *Si le crime est notoirement public, on doit refuser, même en public, les Sacremens à celui qui en est coupable, jusqu'à ce qu'il l'ait quitté, ou qu'il ait réparé le scandale.*

*Prob.* 4.° *Ratione.* Eatenùs licitum foret peccatori hujusmodi Sacramenta ministrare, quatenùs jus reale vel apparens haberet ad ea susci-

pienda : atqui nullum jus, sive reale, etc. Nullum habet jus reale, siquidem ex hypothesi peccator est, ac proindè indignus; nullum etiam jus apparens, cùm sit peccator publicus, ideòque ejus indignitas palàm innotescat.

Dicitur 1.° in propositione, *exceptâ Pœnitentiâ*, quia Sacramentum illud omnibus peccatoribus, quantumvìs scelestissimis, semper patere debet, cùm pro iis potissimùm institutum sit.

Dicitur 2.°, *excepto nonnunquàm Matrimonio*, quia in viciniâ Hæreticorum quandoquè toleratur Matrimonium cum parte hæreticâ.

Cæterùm, pro praxi hæc annotanda duximus cum Rituali Tolosano, pag. 81 :

1.° *On entend ici par pécheurs publics, les Excommuniés ou Interdits dénoncés, les Hérétiques et Schismatiques notoires, les Comédiens, les Farceurs et les Bateleurs, jusqu'à ce qu'ils aient renoncé à cette profession réprouvée, les Usuriers publics, les Concubinaires, les Femmes débauchées, et généralement tous ceux dont le crime est notoirement public.*

2.° *A l'égard des pécheurs publics de la publicité qu'on appelle* de fait, *il faut user d'une grande circonspection et prendre bien garde de ne pas confondre une telle publicité avec un bruit public, quelque répandu qu'il soit, ni avec la connaissance assurée que quelques personnes auraient des faits en question. Un crime ne doit pas être regardé comme public, à moins qu'il n'y ait un certain nombre de témoins, qu'il ne soit connu avec assurance de la plupart des personnes de la paroisse, et qu'il ne soit si constant, qu'il ne puisse être excusé par aucune tergiversation de Droit.*

3.° *Si l'on peut prévoir les cas où il pourrait y avoir de l'embarras et du doute, il sera bon de nous consulter, ou nos Vicaires Généraux, pour savoir ce que l'on doit faire. Que si on n'avait pas le temps de consulter, la prudence demande qu'on croie qu'il n'y a pas de publicité, ou au moins qu'on agisse comme s'il n'y en avait pas, toutes les fois qu'on trouve de la difficulté à décider qu'il y en a. Il sera aussi de la sagesse du Curé qui connaît qu'un pécheur public a dessein de se présenter à la sainte Table, de l'avertir d'avance, même en présence de témoins, de ne pas y venir, parce qu'il serait obligé de lui refuser la communion.*

## ARTICULUS III.

### *An et qualis requiratur Vigilantia in Ministris.*

#### PROPOSITIO.

*Certum est in ordinariis Sacramentorum Ministris, id est, Pastoribus, eorumque Vicariis, vigilantiam requiri maximam, ne populi ipsorum curæ commissi præsertìm Sacramentis ad salutem necessariis priventur.*

*Prob.* 1.° *ex Script.* Hebr. c. 13, ℣. 17: *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.*

*Prob.* 2.° *Ratione.* Si enim Pastores in omnibus suis officii partibus vigilantes esse debent, quantò magìs in Sacramentorum administratione, quæ inter omnes pastoralis officii functiones præcipua est, et maximi ad populorum salutem momenti.

*Quæres*

*Quæres* in quo consistat pastoralis vigilantia circa Sacramentorum administrationem.

*Resp.* illam in pluribus consistere. 1.° Quâcunque diei vel noctis horâ Parochus vel ejus Vicarius vocetur, nullam interponat moram. 2.° Populum monebit ut cùm sacro opus habebit ministerio, ipsum statim advocet. 3.° Nullâ habitâ incommodi temporis ratione invigilabit, ne quis ex ovibus suis Sacramenta recipere negligat, aut diutiùs quàm par sit differat. 4.° Eâ de causâ, suam identidem parochiam perlustrabit, et subditos, ut ad Sacramenta accedant, si opus sit, hortabitur : quibus etiam, si necesse sit, opem suam et auxilium offeret ut Sacramenta opportunè accipiant. 5.° Frequenter, et præsertim festis ac dominicis diebus, aderit in Ecclesiâ, ad Sacramenta ministranda proximè paratus; rustici enim et pauperes vix audent à Pastore Sacramenta petere, nisi ipsum jam paratum reperiant.

## CAPUT VI.

### *De Suscipiente, et Suscipientis Dispositionibus.*

Tres erunt hujus capitis sectiones, quarum 1.ª quis Sacramenta recipere possit exponet; 2.ª quænam dispositiones ad Sacramenta suscipienda sint necessariæ; 3.ª an liceat à malis ministris Sacramenta recipere vel petere.

## SECTIO PRIMA.

### *Quis possit Sacramenta recipere.*

#### PROPOSITIO.

*Solus homo viator potest Sacramenta recipere.*

Certissima est propositio.

*Prob.* ex illis Script. locis, in quibus de Sacramentorum institutione fit mentio; ibi enim patet Sacramenta à Christo pro solis viatoribus esse instituta.

Hic observa, quòd singulis possint, tum validè, tum licitè, si requisitas habeant dispositiones, tria conferri Sacramenta, Baptismus scilicet, Confirmatio et Eucharistia : sed non omnes possunt alia quatuor Sacramenta recipere; etenim infantes rationis usum non habentes, capaces non sunt Pœnitentiæ, nec sani Extremæ Unctionis, sicut et feminæ sunt Ordinum incapaces; Religiosi pariter, et in sacris Ordinibus constituti arcentur à Matrimonio.

## SECTIO II.

### *Quænam ad Sacramenta recipiendá requirantur dispositiones.*

#### PROPOSITIO PRIMA.

*Ut adultus validè Sacramentum, exceptâ Eucharistiâ, suscipiat, necesse est ut aliquam habeat voluntatem illud suscipiendi.*

*Prob.* 1.° *Sum. Pontif. et Doctorum auctoritate.* Innoc. III, cap. *Majores*, de Baptismo:

*Qui nunquàm consentit, sed penitùs contradicit, nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti.* Ita S. Thomas, Scotus, et alii ferè omnes.

*Prob.* 2.° *Ratione* congruentiæ. Quia congruum est ut sicut adultus non justificatur absque concursu propriæ voluntatis, ita nec sine illo Sacramentum recipiat.

Dixi, *exceptâ Eucharistiâ*, quia cùm hæc consistat in re permanenti, verè et realiter, quamquam sine fructu, à quovis, sive inscio, sive invito, percipi potest.

Observa quòd etsi, speculativè loquendo, non omninò constaret quodlibet Sacramentum fore invalidum, si adulto prorsùs invito administraretur, omninò tamen constat id nunquàm esse licitum; et si Sacramentum ad suscipientis vel aliorum salutem necessarium, tali modo ministratum fuisset, iterandum foret, saltem sub conditione.

*Quæres* qualis in suscipiente requiratur intentio ad validam, vel licitam Sacramenti susceptionem.

*Resp.* Non requiritur intentio actualis, aut virtualis, sed sufficit habitualis, imò pro aliquibus Sacramentis sufficere potest interpretativa.

*Prob.* 1.ª *pars*. Quia adultus qui, antequàm in phrenesim vel animi delirium laberetur, Baptismum vel absolutionem postulavit, is etiam durante phrenesi aut delirio validè baptizatur et absolvitur, dummodò nullus reperiatur obex; idque tanquam certissimum docet Innoc. III, citato cap. *Majores*, atque etiam Conc. Carthaginense III, Conc. Arausicanum, et Rituale Rom.

Notandum est ad validam quorumdam Sacramentorum, v. g., Baptismi et Ordinis susceptio-

nem, non requiri intentionem omninò liberam et nullatenùs coactam, sed sufficere ut suscipiens, quamvis forsitan terroribus et minis impulsus, verè tamen et sincerè velit his in circumstantiis Sacramentum recipere : sicut qui naufragii metu merces projicit in mare, sincerè vult projectionem illam, quamvis eam non vellet sublato naufragii metu.

2.[a] *Pars,* nempè pro aliquibus Sacramentis ritè suscipiendis, Confirmatione scilicet et Extremâ Unctione, interpretativam sufficere intentionem, *Prob.* tum ex praxi Ecclesiæ, quæ fidelibus repentino casu correptis, absque ullo rationis usu superstite, ultrò semper ea Sacramenta administrat; tum quia in professione Christianæ Religionis voluntas includitur suscipiendi Confirmationem et Extremam Unctionem; omnis enim verè fidelis velle frui meritò supponitur bonis omnibus quæ pia mater Ecclesia dispensat.

Verùm ad omnia Sacramenta validè suscipienda, prædicta non sufficit intentio interpretativa; quòd enim ad Baptismum et Ordinem sit prorsùs insufficiens, patet quia Baptismus est exterior fidei professio et solemne juramentum, quo quis ad Christianæ Religionis obeunda officia sese obligat : at talem obligationem nemo adultus induit, nisi sponte et voluntariè, adeòque nisi in ipso saltem ea præstandi præcesserit voluntas. De ordine verò constat, quia cuilibet Christiano adhuc liberum est Clericatum assumere, vel non, et ideò suscipiendæ Ordinationis voluntas in Christianæ Religionis professione non includitur : undè nullus meritò præsumi potest voluntatem habere sacrum Ordinem suscipiendi, nisi talem priùs manifestaverit voluntatem.

*Quæres* iterùm utrùm ad Sacramenti valorem adulto collati, necessaria sit in suscipiente fides.

*Resp. negativè;* idque prorsùs constat de Baptismo, Ordine, aliisque Sacramentis, si tamen Pœnitentiam excipias.

*Prob.* Quia, ut jam antè notavimus, Conc. et Summi Pontifices decreverunt eos qui cum animo hæretico aut schismatico extra Ecclesiam, sed in legitimâ formâ, baptizati vel ordinati fuerant, baptizandos rursùs non esse, aut ordinandos.

## PROPOSITIO II.

*Ut adultus Sacramentum licitè et fructuosè suscipiat, seu ut Sacramenti gratiam consequatur, non sufficit intentio suscipiendi Sacramentum, sed insuper aliæ requiruntur dispositiones.*

Certissima est propositio.

*Explicatur et prob.* 1.° Ut sanctificantem gratiam adultus consequatur, necessaria est fides; quia, ut loquitur Apostolus, Hebr. c. 11, ℣. 6, *Sine fide autem impossibile est placere Deo.*

2.° Ad recipiendam gratiam quæ per Sacramenta mortuorum producitur, nempè justificationis gratiam, necessarius est actus contritionis, saltem imperfectæ, vel actus charitatis; namque sine aliquo ex istis actibus, adultus justificari non potest.

3.° Ad recipienda fructuosè alia Sacramenta, necessarius est gratiæ status, ut videre est agendo de Sacramentis in particulari.

## SECTIO III.

### *An liceat ab Indignis recipere Sacramenta vel petere.*

*Nota* 1.° hìc de illis duntaxat ministris quæstionem institui, qui notoriè in aliquo mortali peccato versantur; de peccatis enim occultis nemo judicare debet, et à temerariis judiciis, præsertìm erga personas Deo sacras, maximè cavendum est.

*Nota* 2.° ministros notoriè indignos duplicis esse generis; alii enim non sunt ab Ecclesiâ tolerati, quales sunt Hæretici nominatìm excommunicati, interdicti, suspensi, etc.; alii verò sunt ab Ecclesiâ tolerati, qui quamvis in mortali peccato existant, nondùm tamen sunt ab Ecclesiâ præcisi, nec à Sacramentorum ministerio per ecclesiasticam censuram prohibiti. His observatis, sit

#### PROPOSITIO PRIMA.

*Non licet Sacramenta petere, vel recipere à Ministris non toleratis, nisi in extremâ necessitate.*

Certa est propositio.

*Prob.* Quia qui à ministro non tolerato petit aut Sacramenta recipit, illius peccato communicat, quandoquidem minister non toleratus nequit absque mortali peccato Sacramentum administrare.

Dixi, *nisi in extremâ necessitate*, id est, mortis articulo; quandò enim tunc alius non adest, ordinariè licet à ministro non tolerato petere et recipere Sacramenta Baptismi et Pœnitentiæ;

idque omninò certum est, quia permisit Ecclesia : undè Conc. Trid. Sess. 14, de Pœnitentiâ, cap. 7, sic ait : *In eâdem Ecclesiâ Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis. Atque ideò omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt.*

### PROPOSITIO II.

*Licitum est Sacramenta petere à malis Ministris in Ecclesiâ toleratis, modò tres istæ conditiones aut circumstantiæ simul occurrant : 1.° Si desit alius minister; 2.° si justa sit petendi causa; 3.° si nullum sit scandali aut seductionis periculum.*

*Prob.* Quia quandò res per se bona est, et ab alio sine peccato, imò et meritoriè præstari potest, tunc licitum est illam justas ob causas petere, maximè si ad illam jus habeatur.

*Quæres* quænam sit causa ob quam justè ac rationabiliter Sacramenta peti possint à malis ministris toleratis.

*Resp.* duplicem esse causam, necessitatem scilicet, et spiritualem utilitatem.

1.° Si urgeat aliqua necessitas, v. g., si mors immineat, vel si Ecclesiæ præcepto statim sit faciendum satis; tunc licitum est Sacramenta à ministro malo tolerato petere, sive proprii Pastoris vice fungatur, sive non : et hoc certum est, tum quia in casu necessitatis jus habent fideles Sacramenta petendi à quolibet ministro legitimam habente potestatem; tum quia quilibet Sacerdos ex statûs sui obligatione tenetur in casu necessitatis Sacramenta ministrare.

2.° Licitum est propter spiritualem utilitatem Sacramenta petere et recipere à malis ministris toleratis quibus ex officio Sacramenta ministrare incumbit, et hoc constat; subditus enim jus habet Sacramenta petendi à proprio Pastore, propter spiritualem profectum, nec jus illud ob Pastoris malitiam amittit.

*Quæres* iterùm an ob solam spiritualem utilitatem liceat Sacramenta petere et recipere à malis ministris toleratis qui ex officio Sacramenta ministrare non tenentur.

*Resp. negativè.* Cùm enim nullum tunc in petente aut recipiente adsit jus petendi, cùmque Sacerdos ille non possit sine peccato Sacramenta ministrare, illicitum est ea ab illo petere et recipere; neminem enim inducere licet ad peccandum.

## CAPUT VII.

### *De Sacramentorum Cæremoniis, ac Sacramentalibus.*

Duplex erit hujusce capitis sectio: in 1.ª de Cæremoniis; in 2.ª de Sacramentalibus agemus.

## SECTIO PRIMA.

### *De Sacramentorum Cæremoniis.*

Per Sacramentorum Cæremonias intelliguntur externi quidam Religionis actus, seu quædam externæ et religiosæ circumstantiæ, quas ad commendandam venerationem Sacramentis debitam, et fidelium pietatem accendendam, instituit Ecclesia.

*Quæritur* 1.° an Ecclesia potestatem habeat

instituendi cæremonias in Sacramentorum administratione.

*Resp. affirmativè.* Illud de fide est, et traditur à Conc. Trid. Sess. 7, can. ultimo, de Sacramentis in genere, et Sess. 21, cap. 2 de Communione sub utrâque specie.

*Prob.* 1.° *ex Script.* I Cor. c. 11, ℣. 34, postquàm Apostolus multa dixit circa Eucharistiæ administrationem, versu ultimo sic addit : *Cætera autem cùm venero, disponam :* quibus verbis Apostolus datam sibi à Christo fuisse potestatem instituendi Sacramentorum cæremonias ostendit.

*Prob.* 2.° *Traditione,* per quam innotescit usurpatas à primis Ecclesiæ seculis fuisse omnes ferè cæremonias quibus nunc utitur Ecclesia, et persuasum fuisse illas ab apostolicâ Traditione descendere, sedulòque servandas, licèt in Script. non legerentur. Testatur inter alios S. Hieron. Dialogo adversùs Luciferianos : *Multa,* inquit, *alia quæ per Traditionem in Ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptæ legis usurpârunt, velut in lavacro ter caput mergitare... multaque alia scripta non sunt, quæ rationabilis sibi observatio vindicavit.* S. Basilius, qui, lib. de Spiritu Sancto, cap. 27, varios ritus enumerat, qui ab Apostolis instituti ad nos usque solâ Traditione pervenerunt. Et S. Aug. in Epist. 118 et 119 varia etiam enumerat, quæ ab Apostolis manâsse dicit, et in conferendis Sacramentis observantur. At nullus Hæreticorum dixerit Ecclesiam à primis seculis, id est, Apostolos eorumque Discipulos in errorem adeò gravem incidisse, ut nullatenùs à Christo concessam sibi arrogarent auctoritatem.

Illas autem adhibendas esse cæremonias, *Prob.* insuper ex variis illarum utilitatibus; utiles enim sunt 1. ad excitandam fidem et devotionem; 2. ad explicanda Sacramentorum mysteria; 3. ad renovandam præcipuorum Dei beneficiorum memoriam; 4. ad Religionis conservationem et Catholicorum ab Hæreticis distinctionem.

*Quæritur* 2.° quænam sit observandarum cæremoniarum obligatio.

*Resp.* Omnes Sacramentorum cæremonias tenentur observare ministri. Responsio traditur à Conc. Trid. Sess. 7, can. 13, de Sacramentis in genere.

*Prob.* ex multiplici fine propter quem fuerunt institutæ, et ex scandalo et devotionis imminutione, quæ ex illorum omissione aut immutatione solent oriri.

*Quæritur* 3.° utrùm laudabilis sit Ecclesiæ consuetudo utendi linguâ latinâ in Sacramentorum administratione, et Officiorum celebratione.

*Resp. affirmativè.* Certa est responsio et probatur contra Calvinianos. 1.° Ex S. Isidoro, Amalario, Alcuino et Rabbano, aliisque qui eo tempore de divinis scripserunt Officiis in Galliâ, Hispaniâ, Germaniâ et Italiâ, quo latina lingua vulgaris non erat; attamen ritum Sacramenta ministrandi, sive divina celebrandi Officia, latinis tantùm verbis describunt.

*Prob.* 2.° Quia Script. sacra per multa secula extitit, duntaxat hebraicè, græcè et latinè conscripta.

*Prob.* 3.° Quia quamvis nihil ad Sacramentorum essentiam, sive ad divinorum Officiorum celebrationem referat quo ministrentur idiomate, multa tamen sequerentur incommoda, si vulgari

linguâ celebrarentur. 1. Etenim unitas et Ecclesiarum commercium impediretur ; neque enim, si id fieret, in eâdem Ecclesiâ convenire possent Germani, Galli, Hispani, et Itali, vixque posset christianus divinis extra suam regionem mysteriis interesse. 2. Divinorum Officiorum minueretur majestas ob mutationem quæ in variis fit idiomatibus, v. g., in Gallico. Undè vel continuò mutandæ essent sacramentalium librorum editiones, vel certè res sacræ omnium exponerentur derisioni, si voces adhiberentur extra usum positæ. 3. Maxima indè sequeretur ministrorum ignorantia.

## SECTIO II.

### *De Sacramentalibus.*

Tria sunt de Sacramentalibus exponenda : 1.° quid sint, 2.° quotuplicis generis, 3.° quis eorum effectus.

*Quæres* itaque 1.° quid sint Sacramentalia.

*Resp.* Sacramentalium nomine quasdam à Theologis intelligi res aut actiones ab Ecclesiâ institutas, et per Ecclesiæ preces spiritaliter sanctificatas, ac ad quosdam effectus spiritales producendos consecratas, et præsertìm ad producendam venialium peccatorum remissionem.

Sacramentalia vocantur, quia signa sunt sensibilia et aliquatenùs sacra, quamdam cum Sacramentis habentia similitudinem.

*Quæres* 2.° quot sint Sacramentalium genera.

*Resp.* sex communiter numerari hoc versu comprehensa :

*Orans, Tinctus, Edens, Confessus, Dans, Benedicens:*

1.um Est oratio facta in Ecclesiâ consecratâ,

2.um Aqua benedicta. 3.um Panis benedictus, fructus benedicti, et alia hujusmodi precibus Ecclesiæ benedicta. 4.um Confessio generalis quæ fit initio Missæ, atque etiam ad Primam et Completorium. 5.um Est eleemosyna, quæ magnam habet vim ad speciales gratias, quibus peccata remittuntur, impetrandas, juxta illud Daniel. c. 4, ℣. 24 : *Peccata tua eleemosynis redime.* Eleemosyna tamen non est ex solâ Ecclesiæ institutione. 6.um Variæ Benedictiones et Consecrationes ab Ecclesiâ institutæ, ut prima Tonsura, Sacerdotum Unctio, Consecratio Regum, data ab Episcopo Benedictio ; vel quædam substantiæ sensibiles benedictæ et precibus Ecclesiæ consecratæ, ut Sal benedictum, Agni cerei à Sum. Pontificibus benedicti.

*Quæres* 3.° quinam sint Sacramentalium effectus.

*Resp.* 1.° per Sacramentalia non remitti peccata mortalia, nec gratiam sanctificantem immediatè produci, sed mediatè tantùm et ex opere operantis, quatenùs scilicet virtute orationum et suffragiorum Ecclesiæ, impetrant à Deo gratias actuales ad eliciendos actus contritionis et charitatis, aut ad dignam Sacramentorum susceptionem, quibus peccata remittuntur, et confertur gratia sanctificans.

*Resp.* 2.° Peccatorum venialium remissionem obtinere possunt Sacramentalia, ex S. Thomâ, part. 3.â, quæst. 67, art. 3, quatenùs usurpantur vel cum aliquo motu detestationis peccatorum, qualis est confessio generalis, tunsio pectoris, etc. vel cum aliquâ reverentiâ in Deum et ad res divinas, tales sunt Benedictio episcopalis, aspersio Aquæ Benedictæ, etc. Item Sacramentalibus,

v. g., Agnis cereis, Rosariis applicare potest Sum. Pontifex, ex Ecclesiæ thesauro, satisfactionem aliquam, ratione cujus temporalis aliqua pœna remittatur ultra meritum personæ his Sacramentalibus utentis, ut constat ex doctrinâ Ecclesiæ in materiâ de Indulgentiis. Alius est Sacramentalium effectus, repellere tempestates, animalia fugare nociva, ipsosque dæmones expellere et coercere, ut constat ex Ecclesiæ precibus quas hunc in finem videmus usurpari. Observant tamen communiter Theologi istos effectus non semper et infallibiliter produci; cujus rei rationem profert S. Aug. lib. 83 Quæstionum, quæst. 79: *Cùm enim*, inquit, *non cedunt his signis hujusmodi potestates, Deus ipse prohibet occultis modis, cùm id justum et utile judicat... vel ad confundendos malos... vel ad admonendos bonos ut proficiant in fide.* Hæc de Sacramentis in genere dicta sufficiant.

# TRACTATUS
# DE BAPTISMI
# SACRAMENTO.

---

Tractatum hunc in sex capita dividemus : in primo quæremus quid sit Baptismus, et quanta sit illius necessitas; in secundo agemus de illius materiâ; in tertio de formâ; in quarto de multiplice fine et effectu; in quinto de ministro; in sexto deniquè de personis baptizandis. De hujus sacramenti cæremoniis, ut potè quæ sufficienter in Rituali tradantur, nihil hìc dicemus.

## CAPUT PRIMUM.

*Quid sit Baptismus.*

Tres erunt hujusce capitis articuli, in quorum 1.° agemus de Baptismi nomine et definitione; videbimus in 2.° Baptismum esse verum novæ legis sacramentum, et à Joannis Baptismate diversum; in 3.° quæremus an, et quomodò Baptismus sit ad salutem necessarius.

### ARTICULUS PRIMUS.

*De Baptismi Nomine et Definitione.*

Baptismi nomen à Græco derivatum est, et immersionem vel quamlibet ablutionem significat.

Rectè definitur, *Sacramentum novæ legis, in quo homines spiritualiter regenerantur per*

*exteriorem corporis ablutionem, et præscriptæ verborum formæ prolationem.*

Dicitur 1.°, *sacramentum novæ legis*, et hæ particulæ generis locum tenent; cæteræ voces Baptismi differentiam ab aliis sacramentis exponunt.

Dicitur 2.°, *in quo homines spiritualiter regenerantur,* quibus vocibus denotatur proprius Baptismi effectus; justificatio enim per Baptismum accepta dicitur regeneratio et non generatio; vel per ordinem ad naturalem generationem quæ præcessit, vel per ordinem ad quamdam nativitatem spiritualem, seu ad gratiam quam in Adamo acceperamus, et per ejus peccatum perdidimus.

Dicitur 3.°, *per exteriorem corporis ablutionem, et præscriptæ verborum formæ prolationem:* quibus particulis indicantur materia et forma Baptismi. Hæc definitio cum eâ coincidit quæ à Catechismo Trid. parte 2, de Baptismi Sacramento, numero 5, traditur his verbis: *Baptismus est sacramentum regenerationis per aquam in verbo.* Convenit pariter cum Baptismi descriptione, quæ à Catechismis diœcesanis refertur.

## ARTICULUS II.

### *An Baptismus sit verum novæ legis Sacramentum, et à Joannis Baptismate diversum.*

#### PROPOSITIO.

*Baptismus est verum novæ legis Sacramentum, et à Joannis Baptismate diversum.*

Propositio duas complectitur partes pertinentes ad fidem: utraque probatur et explicatur.

1.ª *Pars* definita fuit à Conc. Trident. Sess. 7, can. 1, de Sacramentis in genere; clarè etiam habetur in decreto ad Armenos.

*Prob.* insuper. Ad sacramentum novæ legis tria requiruntur et sufficiunt, nempè signum sensibile et permanens, gratiæ producendæ virtus, et Christi institutio: atqui hæc tria in Baptismo reperiuntur. 1. Signum sensibile, nempè ablutio et verborum prolatio. 2. Signum permanens, ex Christi verbis, Matth. c. 28, ℣. 20: *Ecce ego vobiscum sum,* (Apostolis baptizantibus) *usque ad consummationem seculi.* 3. Gratiæ producendæ virtus, ut patet ex Joan. c. 3, ℣. 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu Sancto, etc.:* in quo textu Christus Dominus per has voces, *Renatus fuerit ex aquâ et Spiritu Sancto,* declarat Baptismum habere gratiæ sanctificantis producendæ virtutem; siquidem nova et spiritualis hominis nativitas fieri non potest nisi per gratiæ infusionem. Idem docet Christus, Marci c. 16, ℣. 16, his verbis: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit:* sed homo salvus non fit sine gratiâ; ergo, etc. 4. Deniquè invenitur Christi institutio, quæ patet tum ex verbis Scripturæ relatis, tum ex verbis Christi, Matth. c. 28, ℣. 19: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos.*

2.ª *Pars* pariter definita fuit adversùs recentiores Hæreticos, à Conc. Trid. Sess. 7, can. 1 de Baptismo: *Si quis dixerit Baptismum Joannis habuisse eamdem vim cum Baptismo Christi; anathema sit.*

*Prob.* 1.° ex ipsius Joannis testimonio, qui Matth. c. 3, ℣. 11, sic loquitur: *Ego quidem baptizo vos in aquâ in pœnitentiam; qui autem*

*post me venturus est, fortior me est... ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni;* id est, ut exponunt Scripturæ interpretes, Ego quidem baptizo in cæremonià quâdam externâ ad Pœnitentiam disponente, Christus verò per Baptismum suum hominibus Spiritum Sanctum seu gratiam sanctificantem largietur.

*Prob.* 2.° ex Act. c. 19, ubi S. Paulus jubet ut qui in Joannis Baptismate baptizati fuerant, Baptismo Christi baptizentur: porrò, ut argumentatur S. Aug., sacrilegus non fuit Apostolus eos rebaptizando qui in Joannis Baptismate fuerant baptizati; sacrilegus tamen fuisset, si Baptismus Joannis idem fuisset cum Baptismo Christi; ergo, etc.

*Prob.* 3.° *ex SS. PP.* S. Aug. lib. 5 de Baptismo, cap. 9: *Jesus Christus,* inquit, *tali Baptismo mundat Ecclesiam, quo accepto, nullum aliud requiratur: Joannes autem tali Baptismo prætingebat, quo accepto, etiam Baptisma dominicum esset necessarium.* S. Basil. lib. de Baptismo, cap. 2, qui explicans verba Joann. Matt. 3, sic loquitur: *Quantò excellentior est Spiritus Sanctus aquâ, tantò præstat et is qui baptizat in Spiritu Sancto, ei qui baptizat in aquâ: quod dictum volo et de ipso Baptismate, sicut Joannes ipse tantus et talis, et ita à Domino commendatus priùs citra verecundiam dixerit: Non sum idoneus, ut solvam corrigiam calceamenti.*

*Quæres* quo præcisè tempore Baptismus Christi fuerit institutus.

*Resp.* non omninò constare; maximè tamen probabile est illum ante Christi passionem fuisse institutum; quia scilicet Joan. c. 4 dicitur Christus baptizasse per discipulos suos, quem Baptis-

mum nonnulli Doctores sentiunt eumdem fuisse cum eo quem nunc habemus. Deindè multi Patres existimant Christum, cùm à Joanne baptizatus fuit in Jordane, aquis contulisse contactu suo regenerandi virtutem, et tunc Baptismi formam instituisse, quamvis Baptismus non fuerit nisi post Christi resurrectionem præceptus, cùm dixit Apostolis, Matth. c. 28, ℣. 19 : *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos,* etc.

## ARTICULUS III.

### *An et quomodò Baptismus sit ad salutem necessarius.*

Omissis veteribus Hæreticis, Quintilianis, Manichæis, Pelagianis, qui Baptismi necessitatem inficiârunt, docet Calvinus, Instit. lib. 4, originale peccatum in liberis fidelium deleri virtute fœderis Dei; Baptismum verò posteà accedere simplicis instar sigilli, per quod Dei promissiones eis confirmentur : undè concludit, 1.° fidelium infantes sine Baptismo decedentes à regno cœlorum arceri non posse; 2.° adultos ipsos ex fidelibus ortos, qui citra contemptum aut negligentiam Baptismum omitterent, ab omni prorsùs tutos esse periculo. Magistro succinunt discipuli : contra quos, sit

### PROPOSITIO.

*Post sufficientem Evangelii promulgationem, Baptismus ad salutem ita necessarius est, ut absque eo vel ejus voto, nullus salvus esse queat.*

De fide est propositio, traditur à Conc. Trid. Sess. 6, de Justific. cap. 4 : *Quæ quidem trans-*

*latio* (in statum gratiæ et adoptionis filiorum Dei), *post Evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non potest.* Et Sess. 7, can. 5 de Bapt. : *Si quis dixerit Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem; anathema sit.*

*Prob.* insuper 1.° *ex verbis Christi,* Joan. c. 3 : *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei... Oportet vos nasci denuò :* quæ verba maximam certè denotant Baptismi necessitatem.

*Prob.* 2.° *ex Traditione.* Semper enim credidit Ecclesia Catholica, infantes absque Baptismo decedentes in æternum perire. Habentur Concilii Carthag. et Milevitani testimonia, apud S. Aug. Epist. 90 et 92, in quibus eorum damnatur sententia, qui parvulos putabant absque Baptismo salvari.

Istud idem docent omnes SS. PP. S. Cyrillus Jeros. Catech. 3 : *Si quis non baptizatur,* inquit, *salutem non habet, solis Martyribus exceptis.* S. Augustinus, Epist. 28 ad S. Hieron. : *Quisquis dixerit, quòd in Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui sine Sacramenti ejus participatione de vitâ exeunt, hic profectò et contra apostolicam prædicationem venit, et totam condemnat Ecclesiam.* Tertull. lib. de Bapt. cap. 13 : *Lex tingendi,* inquit, *imposita est, et forma præscripta : Ite, ait Christus, docete nationes, tingentes eas in nomine Patris, etc. Huic legi collata definitio illa, Nisi quis renatus fuerit, etc., obstrinxit fidem ad Baptismi necessitatem.*

Dixi, *absque Baptismo, vel ejus voto;* parvuli quidem cùm hujusce voti capaces non sint,

salutem absque Baptismo reipsà suscepto, saltem extra martyrii casum, et secundùm ordinariam Dei legem, consequi non possunt; adulti verò, si ipsis impossibile sit Baptisma suscipere, per illius votum seu desiderium, non nudum et simplex, sed fidei et perfectæ contritionis aut charitatis actui conjunctum, vel in eo actu contentum poterunt justificari, sicut cum aliis Patribus docet S. Augustinus, lib. 4 de Baptismo contra Donatistas, cap. 22. Votum autem illud sufficit implicitum in his qui invincibiliter legem Baptismi ignorarent, at explicitum requiritur in iis quibus ea lex cognita est.

Si possit adultus, tenetur ex præcepto divino Baptismum suscipere, ut patet ex loco Joan. c. 3, à nobis citato; ideòque, quamvis forsitan adultus per contritionis aut charitatis actum fuisset anteà justificatus, si tamen de Baptismi necessitate sufficienter instructus, illum suscipere negligat, cùm possit, mortali se obstringet peccato, et in eo statu moriens damnabitur.

*Quæres* quomodò Baptismus sit ad salutem necessarius.

*Resp.* post Evangelii promulgationem, Baptismum in re, vel in voto, singulis hominibus ad salutem esse necessarium necessitate medii; insuper adultis necessarium esse necessitate præcepti. Hæc nostra responsio idem omninò docet quod Concilium Tridentinum, verbis jam relatis; nec differt, nisi secundùm quosdam terminos, quibus Baptismi necessitatem solent Doctores exponere.

*Prob.* 1.ª *responsionis pars.* Sacramentum illud necessarium dicitur necessitate medii, quod ex primariâ suâ institutione ordinatum est ad pro-

ducendam eam gratiam, sine quâ nullus unquàm, in quovis casu, vitam æternam obtinere potest; undè fit ut sine eo sacramento, vel in re vel in voto suscepto, salus obtineri nequeat, quantumvis inculpabiliter omittatur : atqui talis est Baptismus, scilicet ex suâ institutione ordinatus est ad producendam regenerationis gratiam, sine quâ salutem consequi prorsùs impossibile est, sicut ex Scripturâ et Traditione probavimus; ergo Baptismus singulis hominibus necessarius est necessitate medii.

*Prob.* 2.ª *pars responsionis.* Sacramentum illud necessarium est præcepti necessitate, quod sub mortali peccato tenemur suscipere : atqui adulti sub mortali peccato tenentur Baptisma suscipere, ut modò diximus; ergo Baptismus adultis insuper necessarius est præcepti necessitate.

*Obj.* 1.° Ei necessarius non est Baptismus, qui jam sanctus est : sed ex Apostolo I Cor. c. 7, ℣. 14, qui ex alterutro parente fideli nascuntur, sancti sunt; ergo ipsis necessarius non est Baptismus.

*Resp. Dist. min.* Qui ex alterutro parente fideli nascuntur, sancti sunt, id est, ut interpretantur Tertullianus, lib. de Animâ, capite 39, et S. Hieron. Epist. 153, ad Paulinum, designati sunt sanctitati, quia parens fidelis curam habebit ut per sacramenta sanctificentur, *conc.;* id est, justi sunt et Deo grati, ex eo præcisè quòd à fidelibus orti sint parentibus, *nego.* Eodem enim modo sancti sunt, quo conjux infidelis sanctificatur per fidelem : sed conjux infidelis non propriè et formaliter, sed tantùm dispositivè sanctificatur per fidelem; ergo et filii.

*Obj.* 2.° Si Baptismus esset absolutè necessarius, difficilius esset salvari infantes in lege novâ

quàm in lege naturæ; difficilius enim est Baptismum applicare, quàm elicere actum fidei; ergo, etc.

*Resp. Dist. ant.* Difficilius esset aliquandò, et quibusdam in casibus, qui rarissimi sunt, *conc.;* absolutè et simpliciter, *nego.* Facillima enim est Baptismi applicatio, cùm rem habeat pro materiâ communissimam, et à quocunque validè possit administrari. Esto quibusdam in casibus facilior fuerit applicatio sacramenti legis naturæ; sed hæc facilitas per uberiores Baptismi gratias et fructus compensatur.

*Inst.* Filii fidelium pertinent ad pactum quod iniit Deus cum Abrahamo, Genes. c. 17, ℣. 7: *Ut sim Deus tuus, et seminis tui:* atqui necessarium non est Baptisma, iis qui pertinent ad illud pactum, cùm per illud filii et amici Dei constituantur; ergo, etc.

*Resp. Dist. maj.* Filii fidelium pertinent ad pactum, dependenter à Baptismate quod suscipiunt, *conc.;* antecedenter ad susceptum Baptisma, *nego.* Nemo namque, nisi per fidem, pertinet ad istud pactum, juxta illud ad Galat. c. 3, ℣. 7: *Qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahæ:* atqui nonnisi per Baptismum pueris fides infunditur; ergo, etc.

*Quæres* utrùm Baptismi vices supplere possit martyrium.

*Resp.* martyrium verum et propriè dictum supplere in adultis Baptismi vices quoad peccatorum remissionem, et æternæ vitæ consecutionem, quandò Baptismi sacramentum realiter suscipi non potest.

Responsio est de fide. *Prob. ex Script. et Tradit.* Matth. c. 10, ℣. 32: *Omnis qui confi-*

*tebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo.* Et c. 16, ℣. 25 : *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Quamobrem S. Augustinus, Sermone 17 de Verbis Apostoli, ait injuriam esse orare pro Martyre, cujus nos debemus orationibus commendare : quod S. Aug. dictum, non ut particularis Doctoris sententiam, sed veluti certam Ecclesiæ catholicæ traditionem refert Innocentius III, Sum. Pontifex, cap. *Cùm Marthæ*, de Celebratione Missarum, ubi sic loquitur : *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.*

Dixi 1.°, *martyrium verum et propriè dictum*, id est, mors perpessa pro Christi nomine, v. g., pro fide tuendâ, pro servandâ castitate, aut aliâ virtute christianâ.

Dixi 2.°, *martyrium supplet vices Baptismi in adultis :* aperta est ratio, quia scilicet adulti sponte pro Deo morientes, ipsum maximè diligunt, juxta illud Christi, Joan. c. 15, ℣. 13 : *Majorem hâc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis ;* ideòque singuli Martyres adulti Baptismum habent in voto saltem implicito.

Addo infantes ab Herode Christum persequente occisos, per mortem suam in odium Christi illatam, absque Baptismi sacramento gloriam fuisse consecutos : ita enim tradit Ecclesia, quæ illos colit ut Martyres, et veneratur tanquam cœlesti fruentes beatitudine.

Utrùm autem idem sit de aliis infantibus sentiendum, quibus contingeret occidi in odium Christi, et absque Baptismi sacramento obire, non tam liquidò constat; id tamen suadet in-

finita Dei bonitas, et ab omnibus communiter Theologis defenditur.

Dixi 3.°, *quandò Baptismus suscipi realiter non potest;* quia si quis potest ante martyrium baptizari, baptismum tenetur suscipere.

Disputant hìc Scholastici quomodò ad justificationem et salutem prosit martyrium, an ex opere operato, an ex opere operantis, seu virtute charitatis, quæ semper martyrio conjuncta est.

Parvi momenti est ejusmodi quæstio. Dico tamen obiter martyrium non ex opere operato, sed tantùm ex opere operantis prodesse ad justificationem, et salutem adultorum, quatenùs scilicet perfecta charitas vero semper martyrio est conjuncta. Ita S. Thomas, S. Bonaventura, et alii.

*Prob. ex Apost.* I Cor. c. 13, ℣. 3: *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest;* proindèque patet quòd si homo non haberet charitatem in martyrio, non justificaretur; et quòd martyrium non prosit ad justificationem, nisi ex opere operantis, seu vi perfectæ charitatis, quæ ipsi annexa est.

Dico insuper infantes in odium Christi occisos, non vi mortis illius fuisse peccati originalis remissionem consecutos, sed ex privilegio in Dei misericordiâ fundato.

*Prob.* Quia privilegium hoc in justitiâ Dei, aut fidelitate quam in promissis habet, fundari non potest; non enim promisit Deus dare gratiam ejusmodi Martyribus: superest ergo ut soli misericordiæ divinæ privilegium hoc tribuatur. Ex dictis,

Colliges quid S. Thomas et alii Theologi significare

ficare velint, cùm dicunt triplicem esse Baptismum, nempè fluminis, flaminis et sanguinis. Baptismus enim fluminis est Baptismus aquæ; Baptismus flaminis est Baptismi votum seu desiderium; Baptismus sanguinis est martyrium.

Solus fluminis Baptismus est sacramentum, solus characterem imprimit; solus est propriè dictus Baptismus à Christo institutus : alii nonnisi impropriè eo nomine donantur, quia scilicet aliquem Baptismi effectum, nimirùm peccati remissionem et adoptionis gratiam in non baptizatis operantur.

## CAPUT II.

### *De Baptismi Materiâ.*

Sacramentorum quæ in actione consistunt, duplex distinguitur materia, remota scilicet, quæ est res ad conficiendum sacramentum assumenda; et proxima, quæ est applicatio materiæ remotæ. Itaque circa Baptismi materiam tria præsertim advertenda sunt : 1.° quænam sit materia remota jure divino necessaria et sufficiens; 2.° quænam jure ecclesiastico; 3.° quisnam sit illius adhibendæ modus, seu quænam sit materia proxima. Itaque sit

PROPOSITIO PRIMA.

*Baptismi materia necessaria et sufficiens est aqua vera et naturalis.*

De fide est propositio, et in pluribus Conciliis determinata; scilicet Lateran. IV, cap. *Firmiter;* Florent. in decreto ad Armenos; et Trid. Sess. 7, can. 2, de Baptismo : *Si quis dixerit aquam ve-*

*ram et naturalem non esse de necessitate Baptismi; atque ideò verba illa Domini nostri Jesu Christi, « Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu Sancto, » ad metaphoram aliquam detorserit; anathema sit.*

*Prob.* 1.° *ex Script.* Ex verbis Christi, Joan. c. 3, ỳ. 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ,* etc., et ex verbis Apostoli, Ephes. c. 5, ỳ. 26: *Mundans lavacro aquæ;* quæ verba litteraliter esse sumenda patet ex modo quo Apostoli eorumque Discipuli baptizaverunt, ut narratur in Actibus Apostolorum, c. 8, ỳ. 36, et c. 10, ỳ. 47.

*Prob.* 2.° *ex unanimi SS. PP. Traditione,* à quibus reprobatum semper fuit Baptisma, aliter quàm in aquâ collatum. In re tam evidenti unum audiisse sufficiat S. Aug. tract. 16 in Joan., n. 4: *Tolle aquam,* inquit, *et non est Baptismus.* Idem patet ex continuâ Ecclesiæ praxi, quæ aquam semper inter baptizandum adhibuit.

Elucidatur propositio congruentiæ rationibus. Quamvis enim ratio à priori, cur aquam pro Baptismi materiâ Christus instituerit, nulla sit præter ejus voluntatem, attamen duæ præsertim afferri possunt congruentiæ rationes. Prima est, quia cùm Baptismus sit omnibus necessarius, materia illius debuit esse communissima, ut haberi facilè posset: sed aqua naturalis est communissima, ergo, etc. Secunda est, quia aqua, quæ corporis sordes abluit, aptissima est ad repræsentandam peccatorum ablutionem, quæ fit per Baptismum.

*Obj.* 1.° Matth. c. 3, ỳ. 11, S. Joan. Baptista de Christo dicit: *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, et igni;* ergo ignis est materia Baptismi, non aqua.

*Resp. Nego consequent.* Tum quia S. Joan. non negat aquam esse materiam Baptismi Christi, tum quia nullus SS. PP. locum hunc de vero igne ad baptizandum destinato intellexit, sed vel de igneis linguis super Apostolos in die Pentecostes delapsis, vel de proprietate Spiritûs Sancti, qui instar ignis peccata consumit et corda inflammat. Dici potest particulam, *Et,* ibi non esse copulativam, sed explicativam, perindè ac si dixisset S. Joannes, eos quos alloquitur, à Christo baptizandos in Spiritu, qui ignis est.

*Obj.* 2.° exemplum Judæi cum arenâ baptizati, de quo Nicephorus, lib. 3 Historiæ, cap. 37.

*Resp.* Ex ipsâ Historiæ narratione, quæ valdè incerta est, constat Baptismum hunc fuisse invalidum. Re enim, ut ait Nicephorus, maturè expensâ, ex unanimi omnium consensu, fuit cum aquâ baptizatus. Narrat quidem auctor, quòd Judæus ille repentè post Baptismum in arenâ collatum, sanitatem recepit: quod non hujus Baptismi valori, sed ipsiusmet Judæi pietati ac fidei tribuendum est.

*Obj.* 3.° Siricius, vel Stephanus III, vulgò II, Summus Pontifex, approbasse fertur Baptisma in vino, aquâ deficiente, collatum; ergo, etc.

*Resp.* 1.° dubiæ admodùm esse fidei, quæ de Baptismatis in vino collati approbatione referuntur.

*Resp.* 2.° Omissis aliis solutionibus quæ afferri solent, dico responsum hoc non esse Romani Pontificis, sed Stephani Tornacensis Episcopi, ut patet ex manuscripto S. Mariæ Laudunensis, in quo post relata varia quæ inter Galliæ Concilia Sirmundus edidit responsa, sub nomine Stephani II, in quorum numero habetur quod

nobis objicitur, sic in fine legitur: *Finis definitionum Stephani Papæ Tornacensis.* Facilè etiam fieri potuit, ut cùm sequentibus seculis Papæ nomen soli Romano Pontifici proprium fuerit, imperiti quidam, detracto Tornacensis nomine, putaverint hasce responsiones esse cujusdam Stephani Romani Papæ, quod erroris posteà fuit occasio. Ex dictis,

Colliges omnem et solam aquam elementarem, sive sit maris, sive fluminum, sive fontium, sive paludum, sive puteorum, esse validam Baptismi materiam; quia ea tantùm vera est et naturalis aqua. Nec refert ad Baptismi valorem, utrùm aqua sit frigida vel calida, benedicta vel non, dulcis vel salsa, quia hæc aquæ nec substantiam, nec naturalem usum immutant. Aliud dicendum si aqua in glaciem, nivem aut grandinem esset congelata, quia, ut diximus in *Tract. de Sacramentis*, aqua secundùm hunc statum non est ad abluendum idonea.

E contrà, quidquid secundùm communem æstimationem non est aqua naturalis et elementaris, valida non potest esse Baptismi materia: sic validè baptizari non potest in vino, lacte, oleo, sudore, salivâ, aquâ ex herbis vel floribus arte stillatâ, cervisiâ, humoribus aqueis qui defluunt ex vite aut radicibus incisis, ex fructibus herbisve contusis, vel ex ligno dùm comburitur. Imò si corpus aliquod aquæ elementari in tantâ admisceatur quantitate, ut solvatur aquæ species, ejusque pereat denominatio, mixtum hoc non erit apta ad Baptismum materia: tale est jusculum pingue, lixivium valdè spissum, vinum pauciori aquæ immixtum, etc.

*Quæres*, quòd si dubitetur an quædam mixtio

nuncupari soleat aqua naturalis, utrùm cum eâ liceat baptizare, v. g., si jusculum vel lixivium adeò spissum non sit, si parùm vini multò ampliori aquæ sit admixtum.

*Resp.* in necessitatis casu, et alterâ certiori materiâ deficiente, cum materiâ dubiâ licitum esse baptizare; quia tunc melius est adhibere remedium dubium quàm nullum. Si verò qui sic baptizatus est, supervixerit, sub conditione erit rebaptizandus.

### PROPOSITIO II.

*Ordinariè tenentur Sacerdotes adhibere in Baptismo aquam solemni ritu ad hunc finem consecratam, aliamque extra necessitatis casum usurpare non licet.*

Certa est propositio.

*Prob.* Quia ritus benedicendi solemniter aquam baptismalem, apostolicâ et universali Ecclesiæ praxi commendatur, sicut testatur S. Dionysius Areopagita : *Regenerationis aqua,* inquit, *sacris consecrationibus priùs consecretur.* Ita S. Basil., S. Amb., etc.

### PROPOSITIO III.

*Proxima Baptismi materia est ablutio ex aquâ naturali.*

De fide est propositio.

*Prob.* 1.° *ex verbis Christi,* Matth. c. 28, ℣. 19 : *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos,* etc. : atqui baptizare est abluere; ergo, etc.

*Prob.* 2.° *Ratione.* Quia materia proxima est applicatio materiæ remotæ : atqui remota Bap-

tismi materia est aqua naturalis, ut jam probavimus; ergo proxima Baptismi materia est aquæ applicatio, quæ nihil aliud est quàm ablutio.

Dixi, *ablutio*, per quam vocem denotatur, 1.° contactus realis et immediatus aquæ ad baptizati corpus; 2.° contactus successivus, ita ut aqua fluat et persona verè dici possit abluta.

*Quæres* quot modis fieri possit ablutio.

*Resp.* tribus modis posse fieri, nimirùm per immersionem, infusionem, et aspersionem. Porrò ad sacramenti valorem non refert quonam ex iis modis fiat ablutio, tum quia Christus præcepit duntaxat fieri ablutionem, sed illius faciendæ modum non determinavit; tum quia modò hunc, modò illum ritum adhibuit Ecclesia. In primis Ecclesiæ seculis frequentior erat immersio, iisdem tamen ipsis temporibus per infusionem, aut aspersionem Baptismus aliquandò ministrabatur, præsertìm ægrotantibus, ut testatur S. Cyprian. lib. 4, Epist. 7, ad Magnum, ubi sic ait : *Nec quemquam movere debet quòd aspergi, vel perfundi videntur ægri, cùm gratiam dominicam consequuntur.*

Pariter ad Baptismi valorem non refert an unica fiat, aut triplex immersio, aut infusio. Ita docet S. Greg. Magnus, lib. Epist. 1, Epist. 41, ad Leandrum Hispalensem, ubi sic loquitur : *Reprehensibile esse nullatenùs potest, infantem in Baptismate in aquam vel ter, vel semel immergere; quandò et in tribus mersionibus Personarum Trinitas, et in unâ potest Divinitatis singularitas designari.* Verùm in his omnibus quilibet Sacerdos Ecclesiæ suæ morem sequi debet; undè in nostris regionibus retinendus est Baptismi conferendi modus per infusionem, ita ut

ablutione triná baptizandi caput in modum crucis perfundatur, quemadmodùm in Rituali præscribitur.

*Obj.* 1.° Conc. Constantinop. I decrevit Eunomianos rebaptizari, hancque videtur afferre causam, quòd sub unicà immersione baptizarent; ergo essentialis est trina immersio.

*Resp.* Ideò Conc. decrevit Eunomianos rebaptizari, quia, ut testatur Epiphanius, Hæresi 76, baptizabant *in nomine Patris increati, in nomine Filii creati, et in nomine Spiritûs sanctificantis, atque à Filio procreati.* Non ergo ob materiæ sed formæ defectum iteratus fuit Baptismus ab iis Hæreticis collatus.

*Obj.* 2.° Pelagius Papa relatus can. *Multi sunt,* de Consecr. dist. 4, sic loquitur : *Evangelicum præceptum... nos admonet in nomine Trinitatis, trinâ immersione sanctum Baptisma unicuique tribuere;* ergo trina necessaria est immersio, sicut invocatio SS. Trinitatis.

*Resp. Nego cons.* Quia Pelagii verbis innuitur duntaxat, quòd modus baptizandi cum trinà immersione inductus sit ob præceptum divinum de SS. Trinitate invocandà; non verò quòd hæc trina immersio sit Baptismo essentialis.

*Obj.* 3.° Theodoretus, lib. 4 Hæreticarum Fabularum, cap. 3, inter Eunomii recenset errores, quòd trinam omitteret immersionem; ergo, etc.

*Resp. Dist. ant.* Quod trinam omitteret immersionem ad negandam Personarum Trinitatem, *conc.;* eo præcisè quòd unicam adhiberet immersionem, *nego.*

# CAPUT III.

## *De Baptismi Formâ.*

### PROPOSITIO.

*Legitima Baptismi forma in his continetur verbis*, Ego te baptizo, in nomine Patris, et Filii, et Spiritùs Sancti; *valida est etiam Græcorum forma,* Baptizatur *vel* baptizetur (N, seu talis) servus Christi, in nomine Patris, *etc.*

De fide est propositio.

*Prob. ex praxi Ecclesiæ* Latinæ et Græcæ, quarum neutra reprobata fuit, ut habetur in decreto ad Armenos.

*Prob.* insuper *ex verbis Christi,* Matth. c. 28, ℣. 19 : *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris*, etc. : atqui in utrâque formâ baptizantur homines in nomine Patris, etc.; ergo utraque valida est.

*Obj.* Greg. IX, Sum. Pont., teste Alberto Magno, in 4 dist. 3, respondet Dalmatas quosdam esse rebaptizandos, eo quòd in Ecclesiâ Romanâ Græcorum more baptizati fuissent; ergo Græcorum forma non valet in Ecclesiâ Romanâ.

*Resp.* Verè quidem jussit Greg. IX Dalmatas rebaptizari; sed, eodem Alberto teste, re diligentiùs examinatâ, fieri prohibuit.

*Quæres* an prædictæ formæ verba sint essentialia.

*Resp.* contra Lutherum, Zuinglium, sicut et contra nonnullos veteres Hæreticos, ad formæ essentiam has pertinere voces, *Baptizo te, in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti.*

Certa est responsio. *Prob.* Quia in Baptismi formâ tria sunt essentialiter exprimenda. 1.° Baptismi actio, quæ per hanc vocem, *Baptizo*, connotatur : undè Alexand. III, Sum. Pont., Decretal. lib. 3, tit. de Baptismo et ejus effectu, cap. *Si quis puerum,* decrevit quòd si quis puerum ter in aquâ immerserit, et non dixerit, *Ego te baptizo*, etc., non est puer baptizatus.

2.° Indicari debet persona baptizanda, ut ex formâ tum Græcorum, tum Latinorum patet; aiunt enim Latini : *Ego te baptizo;* Græci verò: *Baptizetur servus Christi.*

3.° Requiritur explicita trium SS. Trinitatis Personarum invocatio, sub distinctis nominibus et expressis Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti, ita ut declaretur una trium divinarum Personarum natura, quod fit dicendo in nomine, non verò in nominibus, ut patet ex Traditione.

Quamobrem si quis diceret, *Ego te baptizo, in nominibus Patris*, etc., vel, *in nomine Dei*, vel, *in nomine SS. Trinitatis*, nihil aliud addendo, vel tantùm, *in nomine Christi,* tunc Baptismus foret nullus, ut patet tum ex verbis Christi, Matth. c. 28, ubi explicita præscribitur trium SS. Trinitatis Personarum invocatio; tum ex Traditione, quam inter alios testatur Pelagius I, Summ. Pont de Consecr. dist. 4, can. 30 : *Si reverà hi de Hæreticis, qui in locis tuæ dilectioni vicinis commorari dicuntur, solummodò se in nomine Domini baptizatos fuisse confitentur, sine cujusquam dubitationis ambiguo, eos ad catholicam fidem venientes in SS. Trinitatis nomine baptizabis.* Zacharias pariter Summ. Pont. ibidem, can. 83 : *Si lotus in fonte Baptismatis quis fuerit sine invocatione Trinitatis,*

*perfectus christianus non est, nisi in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti fuerit baptizatus.* Quod ex Anglorum Synodo probat, in quâ dicit demonstratum fuisse, *Ut quicunque sine invocatione Trinitatis mersus fuisset, sacramentum regenerationis non haberet.* S. Cyprian. Epist. 73, ad Jubaianum: *Ubi post resurrectionem à Domino Apostoli ad gentes mittuntur, in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti baptizare Gentiles jubentur. Quomodò ergo quidam dicunt..... modò in nomine Jesu Christi, ubicunquè et quomodocunquè gentilem baptizatum remissionem peccatorum consequi posse, quandò ipse Christus baptizari jubeat in plenâ et adunatâ Trinitate?* Ita S. Basil. et S. Aug. quorum testimonia mox referemus.

*Obj.* 1.° Validus est Baptismus sub formâ ab Apostolis usurpatâ: atqui Apostoli baptizaverunt in nomine Christi, ut patet ex Act. c. 2, ℣. 38; c. 8, ℣. 12 et 16; c. 10, ℣. 48; c. 19, ℣. 5; ergo, etc.

*Resp. Dist. min.* Apostoli baptizaverunt in nomine Christi, adjuncto aliarum Personarum nomine, *conc.;* in solo Christi nomine, *nego.* His omnibus in locis explicitam aliarum personarum non excludi mentionem patet ex S. Basil. lib. de Spiritu Sancto, cap. 12, cujus titulus est, *In eos qui dicunt sufficere Baptismum in nomine Domini*, ubi relatis Scripturæ verbis, Act. c. 1, ℣. 5, *Vos autem baptizabimini in Spiritu Sancto*, et Matth. c. 3, ℣. 11, *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto*, sic addit: *Non ideò quis dixerit perfectum esse Baptisma, in quo solum Spiritûs nomen invocatum est. Oportet enim inviolabilem manere Traditionem.....*

*Proindè si in Baptismo separare Spiritum à Patre et Filio, ut periculosum est baptizanti, ita et Baptismum accipienti inutile, quomodò nobis tutum fuerit, à Patre et Filio distrahere Spiritum Sanctum?* Et ex S. Aug. lib. 2 contra Maximinum, cap. 17, qui explicans hæc verba, Act. c. 2, ℣. 38, *Baptizetur unusquisque vestrûm in nomine Domini Jesu Christi,* sic loquitur : *Non nominatis Patre et Spiritu Sancto, in nomine Jesu Christi jussi sunt baptizari; et tamen intelliguntur non baptizati, nisi in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti.*

Leguntur ergo Apostoli baptizasse in nomine Jesu, 1.° quia in virtute et auctoritate Christi baptizaverunt; nomen enim idem esse ac virtutem patet ex Act. c. 3, ℣. 6, et c. 4, ℣. 7. 2.° Ad distinguendum Christi Baptismum à Joannis Baptismate, ut habetur Act. c. 19, ℣. 3, 4 et 5. 3.° Quia fortè, quod probabilissimum est, ad commendationem nominis Jesu, quod Judæis ac Gentibus opprobrio erat et scandalo, communi formæ illud inserebant, ita ut dicerent : *Ego te baptizo, in nomine Patris, et Filii ejus Jesu Christi,* etc.

*Obj.* 2.° Quidam Summi Pontifices, ut Stephanus I, et Nicolaus I, quidam etiam SS. PP. quos inter S. Ambrosius, lib. 1 de Spiritu Sancto, cap. 3, Venerabilis Beda, in cap. 10 Actuum, et S. Bern. Epist. 240, ex Scripturæ locis jam à nobis citatis colligunt validum esse Baptisma in Christi nomine collatum; ergo, etc.

*Resp.* omnes illos auctores exponendos esse eo modo quo Scripturæ loca, quibus nituntur, exposuimus; vel si explicari non possint, eorum auctoritati opponendam esse aliorum tum Pon-

tificum, tum Patrum jam relatorum auctoritatem.

*Nota* 1.° pronomen, *Ego*, non pertinere ad essentiam formæ, quia includitur in verbo, *baptizo*. Quantùm ad *particulas copulutivas*, si omitterentur, dubium foret Baptisma, ac proindè sub conditione iterandum. Idem pariter dicendum in praxi de Baptismo collato in nomine Genitoris, Geniti, et ab utroque Procedentis; quia graves Theologi sentiunt formam illam non sufficere.

*Nota* 2.° quòd, quamvis utraque tum Græcorum, tum Latinorum forma valida sit, non licet tamen Latinis uti Græcorum formà. Similiter, quamvis laico liceat in casu necessitatis vulgari uti idiomate, Presbyteri tamen Ecclesiæ Latinæ formam latinam debent servare.

## CAPUT IV.

### *De multiplici Fine et Effectu Baptismi.*

VARII effectus Baptismi ad tres possunt revocari, nempè peccatorum remissionem, tum quoad culpam, tum quoad pœnam, gratiæ infusionem, et characteris impressionem: qui tres effectus sunt proximi fines pro quibus Baptismus fuit institutus. Itaque sit

PROPOSITIO PRIMA.

*Primus Baptismi effectus est remissio cujuslibet culpæ originalis et actualis ante ipsum commissæ, omnisque pœnæ pro illâ debitæ.*

Propositio est de fide, contra Lutherum et

Calvinum. Traditur in decreto ad Armenos, et definitur à Conc. Trid. Sess. 5, can. 5 : *In renatis nihil odit Deus... ita ut nihil prorsùs eos ab ingressu Cœli remoretur.* Quibus verbis declarat non modò peccata omnia fuisse per Baptismum remissa, sed omnem etiam pœnam peccatis debitam ; si quid enim pœnæ luendum superesset, id eos ab ingressu cœli remoraretur.

*Prob.* insuper 1.° *ex Script.* Rom. c. 8, ℣. 1 : *Nihil ergo nunc damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu,* ubi Apostolum de Baptismo loqui Patres omninò consentiunt.

*Prob.* 2.° *ex constanti Trad.* cujus testes sint S. Aug. et Inn. III : *Excepto Baptismi munere,* inquit S. August. Enchirid. cap. 64, *quod contra originale peccatum donatum est, ut quod generatione attractum est, regeneratione detrahatur, et tamen activa quoque peccata, quæcunque corde, ore et opere commissa invenerit, tollit.* Inn. III, in Psalm. 4 Pœnitentialem : *Sacramentum Baptismi,* inquit, *si dignè sumatur, liberat omninò à culpâ pariter et à pœnâ.*

*Obj.* Post Baptismum remanent concupiscentia aliæque miseriæ, ut ignorantia, fames, sitis, etc. : atqui hæc omnia sunt peccati pœnæ; ergo, etc.

*Resp. Dist. min.* Illa omnia pœnæ sunt impropriè dictæ, seu potiùs pœnalitates quæ ab ingressu cœli non remorantur, et quibus si benè utamur, promereri gloriam possumus, *conc.*; pœnæ propriè dictæ, *nego.*

## PROPOSITIO II.

*Per Baptismum gratia sanctificans cum virtutibus et donis quæ ipsam semper comitantur, confertur; insuper et gratia sacramentalis.*

Duæ sunt propositionis partes.

*Prob.* 1.ª *pars*, quæ de fide est, *ex Script.* Joan. c. 3, ℣. 5: *Nisi quis renatus fuerit*, etc. Tit. c. 3, ℣. 5, 6: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritûs Sancti, quem effudit in nos abundè per Jesum Christum.* Undè sic argumentor: Sacramentum illud gratiam confert sanctificantem, per quod homines spiritualiter regenerantur, quia regeneratio non fit nisi per gratiæ sanctificantis infusionem, quemadmodùm docent unanimiter SS. PP. et Theologi: atqui per Baptismum homines spiritualiter regenerantur; ergo Baptismus confert gratiam sanctificantem, et consequenter virtutes et dona, quæ illam semper comitantur.

*Prob* 2.ª *pars*, quæ ex communi Doctorum consensu certa est. Per sacramentalem gratiam intelligitur gratia habitualis seu sanctificans, cum jure ad recipiendas tempore opportuno speciales gratias actuales, quæ necessariæ sunt ut baptizatus christianè vivat, alia sacramenta dignè recipiat, omnia Dei mandata impleat, et res in Baptismo promissas fideliter servet: atqui ejusmodi gratiam confert Baptismus, etc.

## PROPOSITIO III.

*Per Baptismum imprimitur in animâ character,* id est, *signum spirituale et indelebile.*

De fide est propositio.

*Prob.* ex iis quæ attulimus in *Tract. de Sacram. in genere*, quibus hanc unicam addimus rationem : Baptismus legitimè datus, sed fallaciter, hoc est, sine requisitis dispositionibus receptus, aliquem in suscipiente producit effectum, undè iterari non potest ; idque ex omnium consensu, si Anabaptistas excipias, certum est : sed effectus ille non est gratia ; ergo effectus ille est character baptismalis, vi cujus, 1. Baptismus iterari non potest, 2. baptizati redduntur habiles ad alia sacramenta recipienda, modò debitæ non desint dispositiones.

*Quæres* utrùm aliquod sacramentum conferri possit homini non baptizato.

*Resp. negativè*, quia Concilia, SS. PP. et Theologi docent unanimiter Baptismum esse sacramentorum et spiritualis vitæ januam : nullum autem sacramentum ante illud conferri potest, quod est specialis cæterorum janua ; ergo, etc.

Confirmatur ratione congruentiæ : sicut enim in naturâ priùs debet infans concipi et nasci, quàm crescat aut nutriatur ; ita pariter priùs renasci spiritualiter necesse est, quàm in spirituali vitâ crescere vel augmentum capere.

## CAPUT V.

### *De Baptismi Ministro.*

Duplex distingui potest Baptismi minister, extraordinarius alter, qui validè et in casu necessitatis licitè baptizat ; alter ordinarius, qui solemniter et ex proprio officio Baptismum valet administrare. De utroque hìc agendum est.

### PROPOSITIO PRIMA.

*Quilibet homo, viator et rationis compos,* validè *baptizare potest : imò et in casu necessitatis* licitè.

De fide est propositio.

*Prob* 1.° *ex Conc.* Lateran. IV, cap. *Firmiter*, ubi sic legitur : *Sacramentum Baptismi... à quocunque ritè collatum, proficit ad salutem.* Florent. decreto ad Armenos, his verbis : *In casu necessitatis, non solùm Sacerdos vel Diaconus, sed etiam laicus vel mulier, imò etiam paganus et hæreticus baptizare potest, dummodò formam servet Ecclesiæ, et facere intendat quod facit Ecclesia.* Idem indicat Conc. Trid. Sess. 7, can. 4, de Baptismo.

*Prob.* 2.° *ex Traditione*, quam testantur Tertull. lib. de Baptismo, cap. 17; S. Hieron. Dialogo adversùs Luciferianos, cap. 4; S. Aug. lib. 2 contra epist. Parmeniani, cap. 14, ubi de Baptismo sic loquitur : *Et si nullâ necessitate usurpetur, et à quolibet cuilibet detur; quod datum fuerit, non potest dici non datum, quamvis rectè dici possit illicitè datum.*

Confirmatur congruentiæ ratione : æquum fuit ut Sacramentum, quod omnibus ad salutem necessarium est, à quolibet, saltem in necessitatis casu, possit administrari.

Dixi, *quilibet* in casu necessitatis, non modò *validè*, sed etiam *licitè* potest baptizare, si servetur ordo traditus à S. Thomâ, quæst. 67, art. 4, et à Catechismo Conc. Trid. parte secundâ, de Baptismo, numero 24, ut scilicet mulier viro cedat, laicus Clerico, Clericus inferior superiori,

quamvis quibusdam in casibus contingere possit ut mulier, v. g., obstetrix præferri masculo debeat, qui baptizandi modum tam ritè non callet.

Utrùm autem ipse pater proprium filium, præsente, v. g., obstetrice, aut aliâ muliere, baptizare possit, non consentiunt Doctores. Censent nonnulli eo in casu patrem, præ quâlibet muliere præsenti, debere filium baptizare, hâc ducti ratione quòd, ex S. Thomâ et Catech. Conc. Trid., non debeat mulier baptizare, si adsit copia viri; inferuntque maritum tunc cum propriâ uxore spiritualem non contrahere cognationem, quæ impediat usum matrimonii. Ita *Pontas*, tit. *Devoir conjug.* (cas. 52). Alii è contrà sentiunt, quibus assentimur.

Extra necessitatis casum, nec laicis, nec mulieribus, licet Baptismum conferre.

## PROPOSITIO II.

*Episcopus in suâ Diœcesi, sicut Parochus in suâ parochiâ, est ordinarius Baptismi Minister.*

*Prob.* Quia jus sacramenta ministrandi ad eos pertinet qui Pastoris funguntur officio : atqui, etc.

*Nota* Sacerdotem à Parocho vel Episcopo delegatum, posse etiam licitè baptizare solemniter.

*Quæres* utrùm etiam Diaconi possint solemniter baptizare.

*Resp.* consuetudinem nunc vigere ut ab ipsis Baptismus solemniter non administretur, cui consuetudini standum est.

# CAPUT VI.

## *De Personis baptizandis.*

Quæ hìc tractanda sunt, tribus absolvemus articulis : in 1.° examinabimus utrùm singuli homines etiam infantes possint baptizari; in 2.° quænam circa parvulorum Baptismum observanda sint; in 3.° agemus de adultorum Baptismo, eorumque dispositionibus.

### ARTICULUS PRIMUS.

### *An possint omnes Baptismum suscipere.*

#### PROPOSITIO.

*Omnis homo viator nondùm baptizatus validè baptizari potest, sive sit adultus, sive parvulus.*

Propositio est de fide.

1.ª *Pars*, quæ adultos spectat, etiam ab Hæreticis admittitur.

Quantùm ad parvulos, Anabaptistæ negant illos esse baptizandos : eorum sententia damnatur à Conc. Trid. Sess. 5, de Peccato originali, can. 4, his verbis : *Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat...; anathema sit.*

*Prob.* 1.° *ex Script.* Joan. c. 3, ℣. 5 : *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Undè sic argumentor : Parvuli non possunt absque Baptismo in regnum cœlorum introire atqui Christus Dominus vult illos introire : in regnum cœlorum ; ergo vult illos baptizari. *Prob. minor.* ex istis

Christi verbis, Matth. c. 19, ℣. 14 : *Sinite parvulos, et nolite eos prohibere ad me venire; talium est enim regnum cœlorum.*

*Prob.* 2.° *ex Traditione.* In primis Ecclesiæ seculis baptizabantur infantes, et hanc Ecclesiæ Traditionem ab Apostolis traditam esse probat S. Aug. lib. 4 de Baptismo contra Donatistas, cap. 24. Eamdem Traditionem testantur Concilia : Milevitanum, temporibus S. Aug. celebratum, can. 2; Lateran. IV, sub. Innoc. III, cap. *Firmiter ;* et Viennense œcumenicum.

Idem testantur SS. PP. Irenæus Martyr, Origenes, S. Cyprian., Hieron., Basil., etc. Ita etiam Sum. Pont. Clemens I, Siricius, Innoc. I, Leo I, Greg. Magnus, etc., qui omnes à Bellarmino citantur, lib. 1 de Baptismo, cap. 8. Origenem audiisse sufficiat : *Ecclesia,* inquit, *ab Apostolis Traditionem accepit etiam parvulis dare Baptismum.*

*Obj.* 1.° Matth. c. 28, ℣. 19, sic habetur : *Docete omnes gentes, baptizantes eos,* etc.; ergo cùm infantes doceri non possint, non possunt pariter baptizari.

*Resp. Nego consequent.* Non enim Christus Dominus eos excludit à Baptismo qui doceri non possunt, sed ordinem in conversione gentium servandum Apostolis præscribit, ut scilicet qui doceri possunt, priùs doceantur, quàm Baptismum suscipiant, quod etiam nunc in adultorum Baptismo servat Ecclesia; ac proindè locus nobis objectus de adultis, non de parvulis intelligendus est, sicut et alter Marci c. 16, ℣. 16 : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.*

*Obj.* 2.° Infidelis non est Baptismi capax : atqui infantes sunt infideles; ergo, etc.

*Resp. Dist. maj.* Infidelis positivè, id est, qui contrario infidelitatis habitu vel actu laborat, fructuosi incapax est baptismatis, *conc.*; infidelis negativè, *nego*. Parvuli porrò actualem quidem non habent fidem, sed in ipsis nullo contrario vitio laborantibus fidem illam supplet parentum et Ecclesiæ fides, in quâ baptizantur : *Decet enim*, ait S. Aug., *ut ad aliena verba sanentur, qui ad factum alienum vulnerantur.*

*Obj.* 3.° Qui baptizantur fiunt Ecclesiæ subditi, et ejus legibus adstringuntur : atqui infantes subjectionis et obligationis inducendæ sunt incapaces, cùm nemo nisi volens possit obligari; ergo, etc.

*Resp. Nego min. et ejus prob.* Etenim in antiquâ lege per circumcisionem pueri debitores legis suo tempore observandæ constituebantur; pariter qui nascuntur in aliquâ civitate vel regno, iisdem adstringuntur legibus quibus et eorum parentes.

## ARTICULUS II.

### *Quænam circa parvulorum Baptismum sint observanda.*

Quæ circa hanc materiam dicenda sunt, ad septem puncta possunt revocari : 1.° aperiendum est quanta parentibus et tutoribus adhibenda sit sollicitudo, ne parvuli Baptismo priventur; 2.° quænam observanda sint, quandò dubium est an infans fuerit validè baptizatus; 3.° quænam pars corporis sit abluenda; 4.° quid præstandum sit quandò mulier prægnans moritur; 5.° utrùm plures infantes simul baptizari possint; 6.° utrùm idem infans possit à pluribus baptizari; 7.° utrùm liceat, parentibus invitis, prolem baptizare.

## PROPOSITIO PRIMA.

*Parentes vel tutores ad quos infantium cura pertinet, tenentur ipsis, quamprimùm possunt, Baptismum procurare.*

*Prob.* tum ex absolutâ Baptismi necessitate, tum ex consuetudine, quæ vim legis obtinet, tum ex statutis hujus Diæcesis.

Nec obstat quòd in primis Ecclesiæ seculis plurimi Baptismum usque ad ulteriorem differrent ætatem; eam enim consuetudinem graviter reprehendunt SS. PP., eamque in Occidente S. Ambrosius, in Oriente verò SS. Gregorius Nazianzenus et Basilius exstirpare conati sunt, ut ex eorum ad Baptismum exhortationibus satis constat.

Deindè, quamvis olìm certa determinata fuerint tempora ad solemnem et publicam Baptismi administrationem, videlicet vigilia Paschæ et Pentecostes, quibus addita fuit Epiphaniæ vigilia, extra quas festivitates Baptismus conferri non solebat, nisi mortis urgeret periculum; posteà tamen cùm christianus populus plurimùm adauctus fuerit, et variæ occurrerent mortis occasiones, visum Prælatis Ecclesiæ fuit solemnem Baptismi administrationem omni tempore concedere, et mos invaluit, ut paucis à nativitate diebus baptizentur infantes. Undè Eugenius IV, Sum. Pont., in decreto ad Jacobitas, relato ad calcem Conc. Florentini, præcepit ut Baptismus, quamprimùm fieri commodè posset, parvulis conferretur.

Adverte obiter, quòd cùm Baptismi necessitatem palàm explicabit Pastor, monebitque parochianos, ut infantes suos quamprimùm ad Baptismum deferant, dicere non debeat infantes absque Baptismo decedentes ignis æterni flammis

addici : sed asserat eos in regnum Dei, vel in æternam vitam nunquàm ingressuros; hoc enim definivit Ecclesia Catholica.

### PROPOSITIO II.

*Quandò probabilis subest dubitatio, num validè fuerit baptizatus infans, tunc sub conditione est baptizandus.*

Certa est propositio.

*Prob. ex Ecclesiæ consuetudine*, et unanimi Theologorum consensu : undè hìc maximè locum habet vulgare dictum, quòd in dubio sit in animæ favorem inclinandum, et quòd melius sit Baptismi valorem, quàm hominis salutem periclitari.

*Nota* 1.° quòd quandò domi baptizatus fuit infans, diligenter debeat inquirere Sacerdos à quo, et quomodò fuerit baptizatus, advocatis etiam et seorsìm auditis super eâ re non solùm eo qui baptizavit, verùm etiam istis qui Baptismo interfuère; atque ut Parochus Baptismum sic domi collatum pro valido habeat, necesse est ordinariè ut præter eum qui baptizavit, duæ saltem personæ de modo et formâ administrati sacramenti idoneum reddant testimonium, nisi fortè qui baptizavit, talis sit, cui tutò credi eâ de re possit.

*Nota*. 2.° quòd si quis sub conditione sit baptizandus, sic proferenda erit conditio : *Si non es baptizatus, ego te baptizo,* etc. Monstrum autem de quo dubitatur an sit homo, sub hâc conditione baptizetur : *Si tu es homo, ego te baptizo,* etc. Consule Rituale Diœcesanum.

### PROPOSITIO III.

*Ordinariè caput est abluendum.*

Certa est propositio, et traditur in Ritualibus;

patet etiam ex Traditione et seculorum omnium praxi.

Dixi, *ordinariè*, quia si infans aliud emittat membrum, quod vitalem motum demonstret, in illo, si periculum mortis immineat, baptizetur : ratio est, quia in casu necessitatis melius est adhibere remedium dubium, quàm nullum.

Si tamen infans supervixerit, erit sub conditione baptizandus; non enim constat Baptismum in alio membro, quàm in capite, validum esse. Omnes istæ regulæ expressè traduntur in Ritualibus, quæ diligenter sunt consulenda.

A fortiori sub conditione baptizandus erit infans, si dùm in secundinâ pelle inclusus est, fuerit propter mortis periculum baptizatus, quia dubitatur utrùm tunc aqua ad ipsum infantis corpus pervenerit.

Observa quòd, dùm infantis abluitur caput, caveri debeat ut aqua non capillos solùm, sed etiam et capitis cutem pertingat : quarè laudabilis est regionum quarumdam consuetudo, in quibus obstetrices infantium recenter natorum capillos per modum coronæ tondent in vertice, ut baptismalis aqua caput illorum faciliùs attingat.

### PROPOSITIO IV.

*Quandò mulier prægnans ante partum moritur, statìm ejus secandus est uterus; et, si vivus infans fuerit repertus, debet quamprimùm baptizari; si verò mortuus fuerit, et baptizari non potuerit, non debet in sacro loco sepeliri.*

Certa est propositio.

*Prob.* ex Rituali, et communi Theologorum omnium consensu.

Hic autem observa quòd ut infantis vita, matre exspirante, conservetur, aliquid matris ori, v. g., cochlea, aut baculus, aut aliud ejusmodi, sit apponendum, ne scilicet infanti in utero degenti respirationis obturetur via, et sic præfocetur.

### PROPOSITIO V.

*Unus et idem Minister plures simul infantes validè potest baptizare, modò singulorum capiti aquam infundendo dicat, Ego vos baptizo, etc.*

Certa est propositio.

*Prob.* Quia in Baptismo sic collato reperire est materiam et formam, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia. Hoc tamen non licet, nisi cùm mortis imminet periculum, singulosque separatìm baptizari tempus non patitur.

### PROPOSITIO VI.

*Si Ministri plures ad unum hominem baptizandum ita concurrant, ut singuli causæ sint duntaxat partiales Baptismi : v. g., si unus aquam infundat, et alter verba proferat, invalidum est Baptisma.*

Certa est propositio.

*Prob.* Quia toties invalidum est sacramentum, quoties non salvatur formæ veritas : atqui in Baptismo sic collato non salvatur formæ veritas, ut satis per se patet; ergo, etc.

Si verò singuli ministri materiam adhibeant et formam, legitimâ cum intentione, validum erit sacramentum; quia plurimorum ministrorum conjunctio, materiæ valorem aut veritatem formæ quæ ab altero adhibetur, non destruit : si quis autem alios præveniat, et ante illos formam absolverit,

solverit, ille solus baptizabit. Verùm sic baptizare nunquàm licitum est.

### PROPOSITIO VII.

*Communis est Doctorum sententia, infidelium infantes, invitis parentibus, non esse ordinariè baptizandos, nisi mancipia fuerint, seu christianorum Principum servi.*

*Prob.* Quia vel infantes in parentum infidelium relinquuntur potestate, sicque manifesto apostasiæ exponuntur periculo, vel à parentum curâ et potestate abstrahuntur : at ordinariè non licet parentes invitos prolis educandæ jure privare, nisi sint christianorum Principum mancipia.

Dixi 1.°, *infantes;* si enim infidelium filii jam rationis usum attigerint, Baptismumque postulent, invitis etiam parentibus, erunt baptizandi : sed à parentum infidelium eruendi sunt potestate, ne forsitan ab eis subvertantur.

Dixi 2.°, *ordinariè ;* quia Theologi opinantur infantem in mortis periculo constitutum, et quibusdam aliis in casibus, invitis etiam parentibus, posse baptizari.

Quantùm ad Hæreticorum filios, invitis etiam parentibus, baptizari possunt, et in verâ fide instrui. Ratio est quia Ecclesiæ jurisdictioni subditi sunt Hæretici.

*Quæres* quo in loco Baptismus sit administrandus.

*Resp.* quovis in loco validè ministrari posse, ac etiam licitè, si necessitas urgeat; sed extra necessitatis casum, nulli privatis in ædibus baptizari debent, nisi fortè Regum, aut magnorum Principum filii.

*Prob. responsio* tum ex decreto Clementis V, in Conc. Viennensi, quod refertur in Jure canonico, Clementinâ unicâ, *de Baptismo*, tum ex Rituali Diœcesano (1).

## ARTICULUS III.

### *De Adultorum Baptismo.*

Quantùm ad dispositiones in adultis baptizandis requisitas, de iis egimus in *Tract. de Sacram. in genere*. Duæ nunc supersunt exponendæ difficultates : 1.ª utrùm adultus qui cum obice Baptismum suscepit, baptismalem gratiam possit deinceps consequi ; 2.ª utrùm infideles sint ad Baptismum cogendi.

#### PROPOSITIO PRIMA.

*Adultus qui voluntariè quidem, sed cum obice Baptismum suscepit, Baptismi gratiam potest deinceps consequi.*

Certa est propositio.

*Prob.* 1.° *ex S. Aug.* lib. 1 de Baptismo, cap. 12, cujus hæc sunt verba : *Sicut in illo qui*

---

(1) Hæc sunt ipsa Ritual. Tolos. verba, pag. 15 : *Le lieu du Baptême solennel est l'Eglise paroissiale ou l'Annexe, quand il y a des Fonts baptismaux. Il est défendu très-expressément de baptiser les enfans, ou dans un Oratoire, ou dans une Chapelle particulière, hors le cas de péril de mort, à moins qu'on en eût obtenu la permission par écrit. Dans le cas de la permission, on portera dans un vase de l'eau du Baptistère, dont on baptisera l'enfant, en omettant les cérémonies du Baptême.* Præterea, idem Rituale, pag. 180, n. 21, sub pœnâ suspensionis ipso facto incurrendæ, et D. D. Archiepiscopo reservatæ, prohibet ne quis, extra casum necessitatis, substantiam Baptismi ab illius sacramenti cæremoniis separet, non obtentâ priùs D. D. Archiepiscopi vel Vicariorum ejus Generalium licentiâ.

*fictus accesserat, fit ut non denuò baptizetur, sed ipsâ piâ correctione et veraci confessione purgetur, quod non posset sine Baptismo, ut quod antè datum est, tunc valere incipiat ad salutem, cùm illa fictio veraci confessione recesserit.* Et lib. 3, cap. 13 : *Tunc incipit valere idem Baptismus* (apud Hæreticos receptus) *ad dimittenda peccata, cùm ad Ecclesiæ pacem venerint.*

*Prob.* 2.° Quia qui baptismali gratiæ obicem posuit, potest adhuc originalis peccati et actualium ante Baptisma commissorum remissionem consequi : sed gratia per quam originale peccatum et actualia Baptismum præcedentia delentur, baptismalis nuncupatur, eo quòd absque Baptismo, vel in re vel in voto suscepto, haberi nequeat; ergo qui baptismali gratiæ posuit obicem, potest illam consequi. Cùm autem iterari non possit Baptismus, gratia illa per obicis seu impedimenti remotionem comparatur. At verò cujuscunque generis sit impedimentum istud, per actum perfectæ contritionis aut charitatis, aut dignam sacramenti Pœnitentiæ susceptionem tollitur.

PROPOSITIO II.

*Infideles apertâ vi aut suppliciis ad Baptismum cogendi non sunt.*

*Prob.* ex S. Gregorio Magno, lib. 1 Epistolarum, Indictione 9, Epist. 47; item lib. 13, Indict. 6, Epist. 12.

*Prob.* quoque ex Conc. Toletano IV, et pluribus aliis. Idem etiam ratione patet, quia qui ad Baptismum cogitur, illum invitè suscipit, ac proindè invalidè.

# TRACTATUS
# DE CONFIRMATIONIS
## SACRAMENTO.

Quæ de Confirmatione dicenda nobis sunt, ad quinque capita revocamus: quæremus in 1.° quid sit Confirmatio; agemus in 2.° de illius materiâ et formâ; in 3.° de multiplici fine et effectu; in 4.° de ministro; in 5.° de suscipiente et suscipientis dispositionibus. De Cæremoniis hic non agemus, sufficienter enim, tum in Pontificali Romano, tum in pluribus Catechismis exponuntur.

## CAPUT PRIMUM.

### *Quid sit Confirmatio.*

Confirmatio sic vocatur, eo quòd hominem in fide confirmet ac corroboret.

Definitur, *Sacramentum novæ legis quo per manûs impositionem et sacram Chrismatis unctionem, cum præscriptâ verborum formâ, datur plenitudo Spiritûs Sancti, augetur gratia, animusque roboratur ad firmiter credendum, et fortiter resistendum hostibus fidei et salutis, etiam cum vitæ periculo.*

Confirmationem verum esse propriè dictum novæ legis sacramentum negârunt Lutherus, lib. de Captivitate Babylonicâ, et Calvinus,

lib. 4 Institutionum, cap. 19, quibus suffragantur utriusque discipuli. Contra quos sit

PROPOSITIO.

*Confirmatio est verum et propriè dictum novæ legis Sacramentum.*

De fide est, ut patet tum ex decreto ad Armenos, tum ex Conc. Trid. Sess. 7, can. 1 de Sacram. in genere, atque etiam can. 1 de Confirm.

*Prob.* 1.° *ex Script.* Act. c. 8, ℣. 14, 15 et 17: *Cùm autem audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quòd recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem; qui cùm venissent, oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum Sanctum... Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum.* Et c. 19, ℣. 6: *Et cùm imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos.* Ex quibus habentur quæ necessaria sunt ad sacramentum propriè dictum. 1. Enim apparet signum sensibile, nempè manuum impositio et oratio. 2. Signum permanens, cùm sit ritus constanter et perpetuè observatus ac retentus, ut ex infrà dicendis patebit. 3. Signum gratiæ practicum, ut patet ex his verbis: *Et accipiebant Spiritum Sanctum..... Venit Spiritus Sanctus super eos.* 4. Deniquè signum à Christo institutum; quia signum illud est à Christo institutum, quod vi suâ et infallibiliter gratiam confert, non enim in potestate hominis est ut signum aliquod, quo gratia infallibiliter conferatur, instituat: atqui ritus Confirmationis vi suâ et infallibiliter gratiam confert, aliàs non tam constanter fuisset ab universâ Ecclesiâ usurpatus; ergo, etc.

*Prob.* 2.° *ex Traditione*, quâ constat adhibitam semper in Ecclesiâ fuisse Confirmationem tanquam ritum quo gratia conferretur, ut patet, 1. ex Conciliis, Eliberitano, can. 77; Laodiceno, can. 48; Florent., Trid. et aliis citatis à Bellarmino, lib. 2 de Confirm. cap. 4.

2. Ex Summis Pontificibus, Urbano, Cornelio, Melchiade in Epistolâ ad Episcop. Hispaniæ, Innoc. I Epist. primâ ad Decentium, cap. 3, et aliis. Vide eumdem Bellarm. cap. 3.

3. Ex Sanctis Patribus, Tertul. lib. de Resurrectione carnis, cap. 8, et lib. de Baptismo; S. Cypriano, Epist. 73 ad Jubaianum; S. Hieron. Dial. adversùs Luciferianos; S. Ambr. lib. 3 de Sacramentis, cap. 2, et lib. de initiandis, cap. 7; S. Aug. passìm, et aliis ab eodem Bellarmino ibidem laudatis, quorum testimonia mox referemus. Loco omnium hìc sufficiat S. Aug.: *Sacramentum Chrismatis*..... inquit, lib. 2 contra Litt. Petil. cap. 104, *in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus.*

*Obj.* 1.° Cæremonia illa non est sacramentum novæ legis, quæ et Apostolis peculiaris erat, et per quam gratiæ gratìs datæ tantummodò conferebantur: atqui talis erat illa cæremonia, de quâ in Actibus Apostolorum; ergo cæremonia illa non est verum novæ legis sacramentum.

*Resp. Nego min.* quoad utramque partem. 1. Enim non est potior ratio cur cæremonia illa peculiaris Apostolis fuerit, quàm Baptismi et Eucharistiæ administratio, quandoquidem utraque potestas fuit ad fidelium sanctificationem Apostolis concessa.

2.° Non meras gratias gratìs datas, sed gratiam sanctificantem fuisse collatam in Confirmatione,

patet ex S. Aug. lib. 3 de Baptis. contra Donatist. cap. 16 : *Spiritus autem Sanctus quòd in solâ Ecclesiâ Catholicâ per manùs impositionem dari dicitur, nimirùm hoc majores nostri intelligi voluerunt quod Apostolus ait : Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis :* atqui charitas est gratia gratum faciens ; ergo, etc. Idem habet in Epist. I S. Joan.

*Inst.* Samaritani de quibus Act. c. 8 mentio habetur, jam acceperant in Baptismo Spiritum Sanctum in ordine ad gratiam sanctificantem ; ergo nomine Spiritûs Sancti quem leguntur accepisse per manuum impositionem, non debet intelligi gratia sanctificans, sed gratia gratìs data.

*Resp. Nego consequent.* Pari namque ratiocinio probaretur Apostolos nullam die Pentecostes sanctificantem gratiam accepisse, eo quòd antè eâ non carerent ; idem dici posset de fidelibus qui ritè dispositi ad sacram communionem accedunt : quæ quàm sint absurda nemo non videt. Potest enim aliquis habere gratiam sanctificantem simpliciter, et eâ carere quantùm ad intensionem et perfectionem, quam deindè percipiat. Hoc igitur sensu Samaritani dicuntur accepisse Spiritum Sanctum per impositionem manuum Apostolorum, quòd ipsis datum fuerit gratiæ sanctificantis augmentum, quomodò quotidiè adaugetur in fidelibus per sacram communionem.

*Obj.* 2.° S. Hieron. et alii PP. passìm Unctionem accensent cæremoniis Baptismi ; ergo Confirmatio non est sacramentum à Baptismate distinctum.

*Resp. Dist. ant.* Unctionem quæ fit in vertice, *conc.* ; quæ fit in fronte, *nego.* Duplex ita-

que distingui debet Unctio, alia quæ fit in vertice, alia in fronte : prior est mera Baptismi cæremonia, posterior ad Confirmationem pertinet.

*Obj.* 3.° Sacramentum novæ legis debet esse à Christo institutum : sed Theologi plures asserunt Confirmationem non fuisse à Christo institutam, sed aut à Melchiade, Summo Pont. aut à Conc. Meldensi ; ergo, etc.

*Resp. Dist. min.* Et isti Theologi perperàm existimabant institutionem immediatam necessariam non esse ad rationem sacramenti, *conc.* ; secùs, *nego* ; nam nullus eorum Theologorum negavit Confirmationem esse sacramentum. Sed horum Theologorum opinio à cæteris hodiè planè rejicitur post Concilii Tridentini definitionem.

*Obj.* 4.° Theologi disputant inter se de materiâ et formâ Confirmationis ; ergo non est sacramentum.

*Resp. Nego consequent.* Tum quia Theologi omnes unanimi consensu fatentur Confirmationem esse verum sacramentum ; tum quia Hæretici ipsi acriter disputant inter se et adversùs Catholicos de formâ Baptismi et Eucharistiæ, nec tamen eorum dissidia prohibent quominùs tum Hæretici, tum Catholici, admittant Baptismum et Eucharistiam vera esse sacramenta ; ergo, etc.

*Quæres* quandonàm institutum fuerit Confirmationis sacramentum.

*Resp.* valdè incertum esse, probabile tamen est illud fuisse à Christo institutum in ultimâ Cœnâ, vel post resurrectionem, cùm in hisce temporibus Spiritum Sanctum sæpè promiserit.

## CAPUT II.

### *De Confirmationis Materiâ et Formâ.*

#### PROPOSITIO PRIMA.

*Essentialis Confirmationis materia est manuum impositio simul et unctio.*

Duæ sunt partes propositionis.

*Prob.* 1.ª *pars* ex locis Script. jam citatis et ex PP. Tertul. lib. de Resurrect. carnis, cap. 8: *Caro manûs impositione adumbratur, ut et anima Spiritu illuminetur.* Et lib. de Baptismo, cap. 8: *Dehinc manus imponitur, per benedictionem advocans et invitans Spiritum Sanctum.* Idem patet ex S. Cypr. Epist. 73, ad Jubaianum, et ex S. Hieron. Dialogo adversùs Luciferianos; et S. August. tract. 6 in Epist. I S. Joan.: *Nunquid modò quibus manus imponitur ut accipiant Spiritum Sanctum, hoc exspectatur ut linguis loquantur? aut quandò imposuimus manum istis infantibus, attendit unusquisque vestrûm utrùm linguis loquerentur?*

*Nota* manuum impositionem, de quâ hic agimus, distinctam esse ab unctione. Quis enim credat contactum pollicis dictum fuisse non tantùm manûs, sed etiam manuum impositionem? Deindè SS. PP. de manuum impositione et unctione tanquam de duabus distinctis actionibus loquuntur; tum quia eodem modo et iisdem ferè verbis de manuum impositione loquuntur, ac Ordo Romanus, qui eam ab unctione distinguit; tum quia etiam Scriptura, Act. c. 8, et

SS. PP., Tertul., S. Cyprianus, S. Ambrosius, et S. Augustinus, orationem assignant, tanquam formam manuum impositioni correspondentem.

*Prob.* 2.ª *pars.* 1.° *Ex Script.* per Sanctos Patres expositâ : II Cor. c. 1, ℣. 21 et 22 : *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos Deus, qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritûs in cordibus nostris.* Quæ verba de Confirmationis sacramento exponunt SS. PP. Amb., Chrysost., etc. I Joan. c. 2, ℣. 27 : *Et vos unctionem quam accepistis ab eo, maneat in vobis.* Quem locum explicans S. Cyrillus Hierosolymitanus, Catechesi Mystagogicâ 3 de Sacro Chrismate, sic loquitur, num. 3 : *Cæterùm vide ne nudum et vile suspiceris unguentum hoc esse ; nam sicut panis Eucharistiæ, post invocationem Sancti Spiritûs, non est communis panis, sed Corpus Christi ; ita et sanctum istud unguentum, non ampliùs nudum, neque si quis ita appellare malit, commune unguentum est post invocationem, sed Christi donarium, et Spiritûs Sancti..... quod quidem symbolicè fronti..... illinitur, ac dùm unguento visibili inungitur corpus, sancto et vivifico Spiritu anima sanctificatur.* Ex quibus sic argumentor : Illud est sacramenti Confirmationis materia, per cujus applicationem datur Spiritus Sanctus : atqui Spiritus Sanctus confertur per Chrismatis applicationem, ut patet ex Scripturâ à SS. PP. expositâ ; ergo Chrisma est materia Confirmationis.

Idem clarissimè habetur in decreto ad Armenos, his verbis : *Secundum sacramentum est Confirmatio, cujus materia est Chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat cons-*

*cicntiæ; et balsamo, quod odorem significat bonæ famæ, per Episcopum benedicto.* Idem pariter innuitur à Conc. Tridentino, Sess. 7, canone 2 de Confirm.

*Prob.* 2.° *ex Traditione* et perpetuâ totius Ecclesiæ praxi. Illud enim debemus agnoscere pro Confirmationis materiâ, quod semper adhibitum in Ecclesiâ Catholicâ fuit, tanquam vim per suam applicationem habens animas sanctificandi et consecrandi : atqui semper adhibita fuit unctio in Ecclesiâ, sive Græcâ, sive Latinâ, ut testantur Summ. Pontifices et SS. PP. : S. Clemens, libro 3 Institutionum, cap. 16 : *Posteà Episcopus baptizatos Chrismate ungat ;* et cap. 17 : *Chrisma Confirmatio confessionis est,* seu professionis ; Innocent. I Epist. ad Decentium, cap. 3 : *Frontem oleo signare solis debetur Episcopis, cùm tradunt Spiritum Paracletum ;* Tertull. lib. de Resur. carnis, cap. 8 : *Caro ungitur ut anima consecretur ;* et lib. de Baptismo, cap. 7 : *Egressi de lavacro, perungimur benedictâ unctione... In nobis carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit ;* S. Cypr. Epist. 70, ad Januarium : *Ungi quoque necesse est eum qui baptizatus sit, ut... habere in se gratiam Christi possit ;* S. Aug. lib. 2 contra litteras Petiliani, cap. 104 : *Sacramentum Chrismatis... in genere signaculorum visibilium sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus,* ergo Chrismatio est materia Sacramenti, etc.

*Obj. contra* 1.am *partem :* In decreto ad Armenos sic legitur : *Loco illius manûs impositionis datur in Ecclesiâ Confirmatio ;* ergo impositio manuum non est nunc materia Confirmationis. Idem fermè habet Innoc. III, cap. *Cùm*

*venisset*, Extravagante de Sacrâ Unctione, his verbis : *Per frontis Chrismationem manûs impositio designatur, quæ alio nomine dicitur Confirmatio.*

*Resp.* 1.° cum Bellarm. lib. 2 de Confirm. cap. 9, non omnia quæ habentur in decretis ad fidem pertinere, sed ea solùm quæ definiuntur: illa autem de quibus agimus, non definiuntur, sed obiter dicuntur ad rem explicandam.

*Resp.* 2.° utriusque sensum esse, quòd eadem res, quæ olìm manûs impositio vocabatur, nunc appelletur Confirmatio. Hunc esse decreti ad Armenos et Innoc. sensum patet, quia aliàs sequeretur Apostolos non habuisse sacramentum Confirmationis, quod procul dubio falsum est.

*Obj. contra* 2.am *partem :* Apostoli non adhibuerunt unctionem ; ergo unctio non est Confirmationis materia.

*Respondent* Theologi quidam Apostolos à Chrismate abstinuisse, eo quòd particulari privilegio visibilibus quibusdam signis de cœlo advenientibus, et Chrismatis vicem tenentibus, Spiritum Sanctum conferrent.

Alii aliter respondent, et dicunt non determinatam in specie infimâ fuisse à Christo Confirmationis materiam, sed in genere tantùm, relinquendo Ecclesiæ specialioris determinationis potestatem. Undè, inquiunt, etiamsi unctione usi non fuissent Apostoli, nihil adversùm nos concludi potest, quia manuum impositioni unctionem adjunxit Ecclesia.

Alii deniquè, et quidem meliùs, negant *antecedens :* quia universalem in Ecclesiâ videmus unctionis adhibendæ praxim à nullis Conciliis aut Pontificibus introductam, quæ proindè,

juxta regulam à S. Aug. traditam, lib. 4 de Baptismo, cap. 24, ab ipsis Apostolis manasse credenda est. Adde quòd unctionis usum ad Apostolos referunt Patres antiquissimi : Opus quod S. Dion. Areop. tribuitur, lib. 4 de Hierarchiâ ecclesiasticâ; S. Pacianus, qui Epist. 1 ad Sempronianum sic loquitur : *Chrismatis potestas.... ad Episcopos indè*, id est, ex Apostolorum formâ, *descendit;* aliique Patres in probationibus relati unctionis faciunt etiam mentionem.

*Inst.* In Actibus Apostolorum, c. 8 et 19, nulla fit unctionis mentio; ergo illam non adhibuerunt Apostoli.

*Resp. Nego consequent.* Sæpè enim in Scripturâ, uno relato, aliud intelligendum relinquitur, ut docet S. Aug. lib. de Fide et Operibus, cap. 9, de Eunucho qui baptizatus est, ut refertur Act. c. 8, cùm professus fuit Filium Dei esse Jesum. Dicit nempè S. Aug. rem à S. Lucâ per compendium fuisse narratam, sed omninò credendum esse Eunuchum de multis fuisse interrogatum. Nulla pariter fit mentio formæ in Baptismo Eunuchi usurpatæ, quam procul dubio non prætermisit S. Philippus. Licèt ergo unctionis mentio non fiat in locis citatis, concludi tamen non debet illam fuisse ab Apostolis prætermissam.

*Quæres* 1.° utrùm Confirmatio fieri debeat in fronte baptizati.

*Resp. affirmativè;* illud enim docent decretum ad Armenos, et Pontificale Roman.

*Prob.* 1.° *Traditione :* quia semper in Ecclesiâ Græcâ et Latinâ unctio adhibita fuit in fronte; et SS. Patres per frontis unctionem, Confirmationis sacramentum ab unctionibus merè cæremonialibus, et ab Extremâ Unctione discernunt.

Ita Innoc. I in Epist. ad Decentium, cap. 3: *Presbyteris... Chrismate baptizatos ungere licet... non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cùm tradunt Spiritum Paracletum.*

*Prob.* 2.° *Ratione* congruentiæ, quæ habetur in decreto ad Armenos. Cùm proprius Confirmationis effectus sit robur et fortitudo ad fidem etiam coram tyrannis confitendam, maximè congruit ut in fronte, ubi verecundiæ sedes est, confirmatus inungatur, ne Christi nomen confiteri erubescat.

Quantùm ad efformationem signi crucis, ritus est antiquissimus, ut patet ex Tertull. lib. de Resurrectione carnis, cap. 8: *Caro signatur, ut anima muniatur;* est etiam ab Ecclesiâ præceptus et maximè conveniens, quo docetur christianus ne Christi crucem erubescat: ad sacramenti tamen essentiam non videtur pertinere.

*Quæres* 2.° an Chrismatio fieri debeat immediatè manu Episcopi, an verò fieri possit mediante aliquo instrumento, v. g., calamo, aut aliâ re simili.

*Resp.* Chrismationem immediatè manu Episcopi esse faciendam; præscribit enim Pontificale Romanum, ut unctio fiat pollice Chrismate intincto, idque videtur perpetuò fuisse in Ecclesiâ servatum. Utrùm autem sit de sacramenti essentiâ, non satis constat inter Theologos.

*Quæres* 3.° quibus ex rebus Chrisma fieri debeat.

*Resp.* in Ecclesiâ Latinâ confici ex oleo olivarum et balsamo, ut notatum fuit in decreto ad Armenos. Quidam autem Theologi docent non solùm oleum, sed etiam balsamum, ad sacra-

menti valorem pertinere, alii verò negant. Probabilior tamen videtur sententia affirmans, eamque expressè docet Conc. Coloniense in doctrinâ de hoc Sacramento; idem innuit decretum ad Armenos.

Deindè patet semper Ecclesiæ morem fuisse ut balsamum cum oleo misceretur ad Chrisma conficiendum. Undè S. Cypr. vel quicunque est auctor Sermonis de Unctione Chrismatis, sic loquitur: *Hodiè in Ecclesiâ... sanctum Chrisma conficitur, in quo mixtum oleo balsamum regiæ et sacerdotalis gloriæ exprimit unitatem.*

*Quæres* 4.° utrùm Chrisma debeat esse ab Episcopo benedictum ad sacramenti valorem.

*Resp. affirmativè*, idque constat ex perpetuâ Ecclesiæ traditione, quam testantur Concilia, Hispalense II, can. 7; et Carthag. II. Imò, etiamsi simplicibus aliquandò Presbyteris sit concessa confirmandi potestas, id eâ fuit lege concessum, ut Chrismate uterentur per Episcopum benedicto.

*Quæres* 5.° quænam sit consecrandi Chrismatis forma.

*Resp.* nullam fuisse à Christo determinatam in particulari; quilibet tamen Episcopus eam tenetur adhibere quam præscribit Ecclesia; atque etiam quolibet anno, quanquam vetus ad valorem sacramenti sufficiat, Chrisma renovare.

*Observa* 1.° quòd cùm de sacramento Confirmationis cum Hæreticis, vel recenter conversis habetur sermo, non est initio disputationis aut colloquii de Chrismate loquendum, sed probandum est Confirmationem esse inter sacramenta reponendam, quia legitur in Actibus Apostolos per manûs impositionem et orationem Spiritum

Sanctum contulisse, quod et nunc ab Episcopis in Ecclesiâ geritur. Ita Cardinalis Richelæus, et doctissimus Perronius, aliique prudentiores Controversistæ probant Confirmationem verum esse sacramentum, nullâ factâ Chrismatis mentione.

*Observa* 2.° non exigendum ab Hæreticis ut Chrisma credant essentialem esse sacramenti Confirmationis materiam, cùm nullibi videatur definitum, et contrarium teneant Theologi quidam etiam Catholici. Quod autem legitur in decreto ad Armenos, non per modum definitionis, sed ad instar instructionis emissum est. Sufficiat ergo ab Hæreticis exigere ut credant quod à Conc. Trid. definitum est, Sess. 7, can. 2, de Confirm., scilicet illos *injurios non esse Spiritui Sancto, qui virtutem aliquam Chrismati tribuunt.*

## PROPOSITIO II.

*Forma Confirmationis est oratio manuum impositioni adjuncta, et verba unctioni correspondentia.*

Duæ sunt partes propositionis.

*Prob.* 1.ª *pars.* 1.° *Ex Script.* Act. c. 8, ℣. 15 : *Oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum Sanctum.* Et ℣. 17 : *Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum.*

2.° *Ex SS. PP.* Tertull. lib. de Baptismo, cap. 7, jam citato; S. Cypr. Epist. 73, ad Jubaianum : *A Petro et Joanne factum est, ut oratione pro eis* (Samaritanis) *habitâ et manu impositâ, invocaretur et infunderetur super eos Spiritus Sanctus, quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesiâ baptizantur, præpositis Ecclesiæ offerantur, et per nostram orationem ac*

*manûs impositionem Spiritum Sanctum consequantur*. S. Ambr. lib. 3 de Sacramentis, cap. 2 : *Ad invocationem Sacerdotis Spiritus Sanctus infunditur, Spiritus sapientiæ et intellectûs*, etc. S. Aug. lib. 15 de Trinitate, cap. 26 : *Neque enim aliquis discipulorum ejus dedit Spiritum Sanctum; orabant quippe ut in eos veniret, quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant, quem morem in suis præpositis etiam nunc servat Ecclesia.*

3.° Ex Amalario, qui lib. 3 de divinis Officiis, cap. 27, meminit orationis, quæ in Confirmatione adhiberi solet cum manuum impositione. Idem colligitur ex S. Greg. Sacramentario, Ordine Romano, et Occidentalis Ecclesiæ Pontificalibus, sicut et ex Græcorum Euchologiis, in quibus illa eadem refertur oratio.

*Prob. 2.ª pars. Ex decreto ad Armenos*, in quo sic legitur de Confirmatione : *Forma autem est : Signo te signo Crucis, et confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti.* Idem habetur in Pontificali Romano, et patet ex Ecclesiæ Latinæ praxi.

*Confirmatur* utraque propositionis pars. Quia unicuique materiæ sua debet respondere forma : sed nulla est quæ manuum impositioni respondeat, præter orationem; nulla pariter unctioni præter verba, tum apud Latinos, tum apud Græcos usitata; ergo, etc.

*Obj. 1.° contra 1.am partem.* In decreto ad Armenos, pro Confirmationis formâ assignantur hæc verba, *Signo te*, etc., nullâ factâ orationis mentione; ergo oratio non est Confirmationis forma.

*Resp. Nego cons.* Etsi enim orationis mentio

non fiat in decreto ad Armenos, non tamen propterea excluditur à Confirmatione; sicut in Ordinatione non excluditur manuum impositio, licèt de solâ instrumentorum porrectione meminerit decretum : ideò verò unctionis potiùs quàm impositionis manuum facta est mentio, tum quia in Scripturis satis habetur impositio manuum, et ei adjuncta oratio; tum quia ipsa in usu erat apud Armenos; tum deniquè quia per Chrismationem, et verba ipsi correspondentia evidentiùs exprimitur Confirmationis effectus, quàm per manûs impositionem et orationem.

*Obj.* 2.° Confirmatio gratiam producit ex opere operato : sed si illius forma esset oratio, gratiam non produceret nisi ex opere operantis, oratio enim est opus operantis; ergo, etc.

*Resp. Nego min.* Ad probationem, *dist.* Oratio est opus operantis, quatenùs est opus ministri, *conc.*; quatenùs à Christo instituta est in ordine ad aliquem effectum in sacramento producendum, *nego*.

*Obj. contra* 2.^am^ *partem.* Hæc forma, *Signo te*, etc., non habetur in antiquis auctoribus; ergo non est essentialis.

*Resp.* 1.° *Nego ant.* Habetur enim fermè ad verbum in edicto Constantini Magni, et in veteri Ordine Romano in Officio Sabbati sancti.

*Resp.* 2.° *Nego consequent.* Nam veteres sollicitè cavebant, ne sacramentorum formas propalarent; ideòque Innoc. I, à Decentio de Confirmatione interrogatus, ita de illius formâ respondet : *Verba verò dicere non possum, ne magìs prodere videar, quàm ad consultationem respondere.*

## CAPUT III.

### *De multiplici Confirmationis Fine et Effectu.*

Præcipui Confirmationis effectus ad tres facilè revocantur : 1.us est gratiæ sanctificantis augmentum; 2.us est plenitudo Spiritûs Sancti ad fidem etiam coram tyrannis liberè profitendam; 3.us deniquè est character : de quibus, ut potè cùm sint sacramenti fines, jam nobis est dicendum. Sit itaque

#### PROPOSITIO PRIMA.

*Confirmationis Sacramentum auget gratiam in Baptismo acceptam.*

Clarè habetur propositio in Epist. 2 Melchiadis, Sum. Pont. ad Episcopos Hispaniæ, his verbis : *In fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præstat ad gratiam.*

*Prob.* insuper : Quia per Confirmationem, Concilia et SS. PP. docent baptizatos confirmari, consummari et perfici; ergo, etc.

#### PROPOSITIO II.

*Per Confirmationis Sacramentum datur plenitudo Spiritûs Sancti, et septem ejus dona modo abundantiori infunduntur, ac præsertìm speciale robur confertur ad fidem, etiam coram tyrannis, tum verbo, tum actione liberè profitendam.*

Certa est propositio : eam docet decretum ad

Armenos, dùm observat in Confirmationis sacramento dari Spiritum Sanctum, ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes.

*Prob.* insuper ex omnibus Script., Conciliorum ac SS. PP. locis jam relatis, in quibus expressis verbis asseritur conferri Spiritum Sanctum per Confirmationis sacramentum.

Sequitur ex dictis quòd gratia sacramentalis Confirmationis sit ipsamet habitualis gratia, prout includit jus ad recipiendas tempore opportuno speciales gratias actuales, quarum auxilio homo jam baptizatus audacter Christi nomen confiteatur, ejusque vitam imitari, et sectari doctrinam non erubescat.

*Obj.* Datur in Baptismo Spiritus Sanctus cum ipsius donis; ergo hoc non est Confirmationis sacramento proprium.

*Resp.* dari quidem in Baptismo Spiritum Sanctum et ipsius dona, sed non in tantâ plenitudine, nec in ordine ad eosdem fines. Namque, ut ait S. Eucherius Lugdunensis, Homil. in diem Pentecostes : *In Baptismo regeneramur ad vitam; post Baptismum confirmamur ad pugnam : in Baptismo abluimur; post Baptismum roboramur.*

### PROPOSITIO III.

*Per Confirmationis Sacramentum imprimitur character, quo fit ut Sacramentum hoc iterari non valeat.*

De fide est propositio : definita fuit à Conc. Trid. Sess. 7, can. 9, de Sacramentis in genere.

*Prob. ex SS. PP.* Cypr. Epist. 73, ad Jubaianum, ubi confirmationem vocat signaculum, quæ vox characterem satis denotat. Idem habet

S. Ambr. lib. de Initiandis, cap. 7, et alii plures. Ex S. Aug. lib. 2 contra litteras Petiliani, cap. 104, ubi sic habet : *Sacramentum Chrismatis... potest esse in hominibus pessimis, in operibus carnis vitam consumentibus, et regnum cœlorum non possessuris* : atqui sacramentum non potest remanere in hominibus pessimis quantùm ad gratiam; ergo remanet quantùm ad characterem.

*Obj.* 1.° S. Aug. lib. 3 de Baptismo, cap. 16, sic ait : *Manûs impositio, non sicut Baptismus repeti non potest* : sed quod repeti potest, characterem non imprimit; ergo Confirmatio, etc.

*Resp. Dist. maj.* Manûs impositio reconciliatoria repeti potest, *conc.*; confirmatoria, *nego*. Multiplex olìm fuit manûs impositio, nimirùm confirmatoria, ordinatoria, curativa, et reconciliatoria : de hàc ultimâ loquitur S. Aug. in loco nobis objecto; nam eo capite docet generatim in Ecclesiâ per manuum impositionem dari Spiritum Sanctum seu charitatem, quod exemplo Confirmationis probat; deindè tria distinguit in Confirmatione, 1.° sacramentum ipsum; 2.° gratias gratis datas, quæ aliquandò dantur cum sacramento, v. g., donum linguarum; 3.° ipsum charitatem, seu gratiam gratum facientem. Primum et secundum docet esse posse in malis hominibus, non autem tertium. Cùm ergo dicit manuum impositionem posse repeti, non debet intelligi de sacramento Confirmationis, quod fatetur esse in malis hominibus, sed de aliquâ aliâ manuum impositione, nempè reconciliatoriâ.

*Obj.* 2.° Ritus quo recipiebantur Hæretici ad Ecclesiam venientes, iterari poterat : sed ritus ille erat Confirmationis sacramentum, erat enim manûs impositio cum unctione; ergo Confirma-

tionis sacramentum iterari potest, ac consequenter characterem non imprimit.

*Resp. Nego min.*, tum quia, ut ait S. Stephanus, Sum. Pont. apud S. Cypr. Epist. 74: *Si quis à quâcunque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur nisi quod traditum est, ut illi manus imponatur in pœnitentiam:* sed imponere manus in pœnitentiam, non est confirmare; ergo, etc.; tum quia nullus simplex Sacerdos, saltem in Occidente, Confirmationem administravisse legitur ante S. Gregorii Magni tempora: sed manûs impositio quâ recipiebantur Hæretici, sæpiùs à simplici Sacerdote facta est, etiam ante S. Gregorii Magni tempora, ut patet ex Conc. Arausic. I; ergo, etc.; tum deniquè, quia Confirmatio constanti semper modo fuit administrata in Ecclesia: sed ritus quo recipiebantur Hæretici constans non erat apud omnes: alii enim Hæreticos per solam manûs impositionem recipiebant, alii per unctionem solam, alii deniquè per utramque simul; ergo ritus ille non erat Confirmationis sacramentum.

## CAPUT IV.

### *De Confirmationis Ministro.*

Moveri quæstio potest de ministro Confirmationis, vel ordinario, vel extraordinario: de utroque hìc agendum nobis est. Itaque sit

#### PROPOSITIO PRIMA.

*Minister Confirmationis ordinarius, est solus Episcopus.*

De fide est propositio: docetur in decreto ad

Armenos his verbis : *Ordinarius minister* ( Confirmationis ) *est Episcopus , et cùm cæteras unctiones simplex Sacerdos valeat exhibere , hanc nonnisi Episcopus debet conferre.* Definita pariter fuit in Conc. Trid. Sess. 7 , can. 3 , de Confirmatione : *Si quis dixerit sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum , sed quemvis simplicem Sacerdotem ; anathema sit.* Idem fermè habetur Sess. 23 , cap. 4 , et can. 7.

*Prob.* 1.° *ex Script.* ex quâ patet Apostolos fuisse hujus sacramenti ministros : Act. c. 8 et 19 : sed Episcopi vicem Apostolorum tenent in Ecclesiâ , ut habetur in decreto ad Armenos ; ergo , etc.

*Prob.* 2.° *ex SS. PP.* S. Cypr. Epist. 73 , ad Jubaianum ; Innoc. I , Epist. ad Decentium , cap. 3 : *De consignandis infantibus manifestum est , non ab alio quàm ab Episcopo fieri licere..... Solis Pontificibus deberi , ut vel consignent , vel Paracletum Spiritum tradant , non solùm consuetudo ecclesiastica demonstrat , verùm et illa lectio Actuum Apostolorum ,* etc. S. Chrysost. ad cap. 8 Act. : *Hoc erat in Apostolis singulare ; undè et præcipuos et non alios videmus hoc facere.* S. Aug. lib. 5 de Trinitate , cap. 26 ; S. Hier. Dialogo adversùs Luciferianos , ubi sic loquitur : *Si quæris quarè in Ecclesiâ baptizatus , nisi per manus Episcopi non accipiat Spiritum Sanctum..... disce hanc observationem ex eâ auctoritate descendere , quòd post ascensum Domini Spiritus Sanctus ad Apostolos descendit :* sed hæc auctoritas est divina ; ergo secundùm S. Hieron. Episcopi sunt ministri Confirmationis ex divinâ auctoritate.

*Prob.* 3.° Quia etiamsi nulla sit ratio præter Christi voluntatem et institutionem, quæ per Ecclesiæ traditionem et definitionem nobis sufficienter innotescit, hæc tamen afferri potest congruentia: Confirmatio est sacramentum perfectionis, quo Christi militiæ adscribimur; congruum est ergo ut ab Episcopis conferatur, cùm sint Præfecti ac summi Sacerdotes et Ecclesiæ Duces.

*Obj.* 1.° Ananias, ut refertur Act. c. 9, manus S. Paulo imposuit: sed Ananias Episcopus non erat; ergo non solus Episcopus est minister ordinarius sacramenti Confirmationis.

*Resp. Dist. maj.* Ananias imposuit manus S. Paulo, ut ipsum à cæcitate liberaret, *conc.;* ut verè confirmaret, *nego.* Nam Confirmatio conferri non potest ante Baptismum: sed illa manuum impositio facta est ante Baptismum, ut ex eodem loco patet; ergo, etc.

*Obj.* 2.° ex S. Hieron. Epist. 101, ad Evangelium: *Quid facit exceptâ Ordinatione Episcopus, quod non faciat Presbyter?* ergo simplex Presbyter potest confirmare.

*Resp. Dist. ant.* Id est, ferè nihil est, ut videntur indicare S. Hieron. verba, *conc.;* nihil omninò, *subdist.* Si potestatem habeat à S. Pontifice delegatam, *conc.;* ex potestate Presbytero ordinariâ, *nego.*

*Inst.* S. Hieron. in Dialogo adversùs Luciferianos assentitur Luciferiano dicenti ob honorem sacerdotii fieri, ut Episcopi manus imponant, non ob legis necessitatem; ergo necesse non est ut Confirmationis sacramentum ab Episcopo conferatur.

*Resp. Nego cons.* Nam ipse S. Hieron. eodem loco

loco jam in probationibus citato, agnoscit Episcopum esse solum hujus sacramenti ministrum; cùm ergo dicit non ob legis necessitatem, significare vult vel naturam sacramenti Confirmationis necessariò non postulare, ut à solis Episcopis conferatur, vel ideò solis Episcopis concessam fuisse à Christo ejus administrationem, quia sacramentum hoc necessarium non est ad salutem; sic enim addit : *Alioquin lugendi sunt qui in viculis aut in castellis... per Presbyteros et Diaconos baptizati, antè dormierunt quàm ab Episcopis inviserentur.*

## PROPOSITIO II.

*Sacerdos ex delegatâ Ecclesiæ vel Sedis apostolicæ auctoritate, potest esse extraordinarius Confirmationis Minister.*

*Prob.* 1.° *ex pluribus factis* indubitatis quorum primum nobis exhibet S. Gregorius Magnus lib. 3, Epist. 26, ad Januarium Calaritanum Episcopum, ubi sic habet : *Pervenit ad nos quosdam scandalizatos fuisse, quòd Presbyteros Chrismate tangere eos qui baptizati sint, prohibuimus. Sed si omninò hâc de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizandos Chrismate tangere debeant, concedimus.* Quod quidem S. Greg. factum indicari videtur in decreto ad Armenos, his verbis : *Legitur tamen aliquandò per apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili et urgente admodùm causâ, simplicem Sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto, hoc administrasse Confirmationis sacramentum.*

Insuper testatur Arcudius, concessam fuisse Patribus Societatis Jesu in Brasiliâ degentibus, ubi nulli erant Episcopi, Confirmationis administrandæ potestatem. Idem pariter Fratribus Minoribus fuisse multoties concessum refert Wadingus. Nec desunt alia hujus concessionis exempla, ut refert Benedict. XIV de Synodo Diœces. lib. 7, cap. 6, n. 6.

*Prob.* 2.° *ex Græcorum consuetudine*, quæ cùm in Florentino Concilio fuerit agitata, reprobata tamen non fuit illa consuetudo.

*Obj.* Quandò ad validam sacramenti administrationem certus quidam requiritur character, sacramentum hoc etiam pèr Ecclesiæ dispensationem ab eo ministrari validè non potest, qui tali charactere destitutus est: atqui, ut primâ propositione probatum est, ad validam Confirmationis administrationem episcopalis requiritur character; ergo etiam per Ecclesiæ dispensationem non potest simplex Presbyter Confirmationem ministrare.

*Major* exemplis patet: v. g., quia ad validam Eucharistiæ consecrationem sacerdotalis requiritur character, ideò Diaconus etiam per Ecclesiæ dispensationem validè non potest Eucharistiam consecrare. Similiter, quia Sacerdotum Ordinatio episcopalem requirit characterem, non potest S. Pontifex per dispensationem simplici Sacerdoti committere munus ordinandi Sacerdotes; ergo à pari non potest conferre potestatem sacramenti Confirmationis administrandi.

*Resp. Dist. maj.* Quandò quidam requiritur character ad validam Sacramenti administrationem tum ordinariam, tum extraordinariam, *conc.*; quandò requiritur tantùm ad ordinariam

sacramenti administrationem, *nego*. Distinctâ pariter *min. nego consequent.*

Ad exempla allata, *Resp.* disparitatem esse, quòd neque completa sit neque incompleta potestas in Diacono ad Eucharistiam consecrandam: at verò simplicibus Presbyteris est incompleta quædam et inchoata confirmandi potestas, quæ per Ecclesiæ dispensationem perfecta et completa redditur, eodem ferè modo quo potestas absolvendi à peccatis in Ordinatione tradita, non est completa, secundùm quosdam Theologos, nisi ei accedat jurisdictio; neque tamen alteri quàm Sacerdoti potest hæc tribui potestas. In Episcopis autem, vi Ordinis, est confirmandi potestas perfecta et completa.

*Ad* 2.um *resp.* Sacerdotum Ordinationem simplicibus non posse committi Presbyteris, quia non aliundè possumus hujus potestatis possibilitatem adstruere, quàm ex Scripturâ aut Traditione: atqui neque ex Script. neque ex Traditione habetur posse committi Sacerdotum Ordinationem simplicibus Presbyteris: habemus autem ex Traditione confirmandi potestatem fuisse talibus concessam; ergo, etc.

*Quæres* quæ sint ministri Confirmationis obligationes.

*Resp.* duas esse præcipuas; 1.a est ut sacramentum hoc saltem aliquoties administret, alioquin ex negligentiâ omittens graviter peccabit; 2.a est, ut in suâ tantùm Diœcesi, et personas sibi subditas, nec in alienâ Diœcesi, sine proprii Episcopi licentiâ, confirmet; tunc enim validè quidem, sed illicitè sacramentum administraret.

## CAPUT V.

### *De Personis confirmandis.*

#### PROPOSITIO.

*Omnis et solus homo baptizatus confirmari potest.*

Duæ sunt propositionis partes, et ambæ constant.

*Prob.* 1.ª *pars,* tum exemplo Apostolorum, qui, ut ex eorum Actibus patet, baptizatos omnes indifferenter per manuum impositionem confirmabant; tum ex antiquâ Ecclesiæ praxi, cujus testes sunt Tertul., S. Cypr., S. Aug., etc. ex quâ patet statìm post Baptismum collatam fuisse omnibus Confirmationem; tum etiam ratione, quia quilibet baptizatus capax est effectûs hujus sacramenti, qui est gratiæ robur.

*Prob.* 2.ª *pars.* Ut jam diximus, Baptismus est aliorum sacramentorum janua, et per characterem baptismalem homo redditur habilis ad alia sacramenta suscipienda.

Observa quòd, licèt olìm Confirmationis sacramentum statìm post Baptismum, absque ullo ætatis discrimine, cuilibet conferretur, nihilominùs tamen infantes, antequàm rationis usum attigerint, nunc non solet Ecclesia Romana confirmare, tum propter majorem sacramenti reverentiam; tum ut sacramenti suscepti recordetur confirmatus, sicque illius iterationem impediat; tum ut cum propriâ dispositione accedens, uberiores etiam ex opere operato gratias consequatur.

*Quæres* 1.° quænam requirantur dispositiones ad dignam sacramenti hujus susceptionem.

*Resp.* 1.° in infante, qui nondùm rationis usum adeptus est, nullam aliam requiri dispositionem præter Baptismum validè susceptum; quia tunc, cùm sacramentum nullum reperiat obicem, effectum suum producit.

*Resp.* 2.° in adultis, præter intentionem, requiri ex parte corporis, ut jejuni accedant, quantùm fieri potest : idque constat ex cap. *Ut jejuni*, distinct. 5, de Consecratione, ut scilicet sacramentum quod plenitudinem Spiritûs Sancti tribuit, majori cum reverentiâ suscipiatur. Ex parte animæ requiritur præcipuè conscientiæ puritas, quia Confirmatio est sacramentum vivorum, cùm sit ad augmentum et perfectionem gratiæ baptismalis, quam semper in suscipiente præsupponit : hinc ab eo qui sibi conscius est peccati mortalis, confessio sacramentalis præmitti debet, quia initi suæ contritioni valdè periculosum esset; atque ita præscribunt plurima Concilia : Aurelian. tit. *de Consecrat.* dist. 5; Burdigal. an 1583; Rothomag. an. 1581. Aliæ dispositiones præscribuntur, tum in Pontificali, tum in Catechismis.

*Quæres* 2.° qualis sit Confirmationis obligatio.

*Resp.* quòd, quamvis sacramentum Confirmationis non sit absolutè necessarium ad salutem, tanta est tamen ejus utilitas, ut qui vel ex contemptu, vel ex negligentiâ sacramentum illud nollet recipere, à peccato non posset excusari. Et hæc de Confirmatione sufficiant.

# TRACTATUS
# DE POENITENTIÆ
# SACRAMENTO.

---

Deploranda est nimis humana pravitas, quâ Christiani perceptam in Baptismo gratiam et innocentiam, tam miserè per mortale peccatum amittunt, et promissæ Christo fidelitatis immemores ac proditores, diabolo servire eligunt, cui tamen in Baptismo tam solemniter abrenuntiaverant, sicque æternæ damnationis facti sunt rei. Attamen divina bonitas, infinitâ miseratione, deperditæ huic saluti consulere dignata est, et secundam post tam triste naufragium tabulam lapsis offert, quæ ut loquitur Tertullianus, peccatorum fluctibus mersos prolevare valeat, et in portum divinæ clementiæ protelare. *Sed, ô peccator!* inquit idem Tertullianus, *hanc secundam, imò jam ultimam Pœnitentiæ spem ita invade, ita amplexare, ut naufragus alicujus tabulæ fidem.* Quantæ ergo sit necessitatis Pœnitentiæ Sacramentum, ignorare nemo potest, quantâque cum diligentiâ de eo tractandum sit, ex rei magnitudine ac pondere facile est judicare; cùm enim una sit è præcipuis Sacerdotum functionibus lepram à leprâ secernere, pœnitentemque cum Deo reconciliare, certè operæ pretium futurum est, si paucis verbis ea comprehendamus quæ necessaria sunt, ut tantum, tamque periculosum ac difficile ministerium dignè et cum fructu exercere valeant.

Poenitentiæ nominis etymologiam multi repetunt à *pœnâ* vel punitione, adeò ut *pœnitere* idem sit ac pœnam vel punitionem tenere. Porrò quod Latini pœnitentiam vocant, apud Græcos *Metanoia* vel *Exomologesis* vocatur. *Metanoia*, ex usu sacrorum Scriptorum, idem significat ac resipiscentia : *Exomologesis* autem idem valet ac latinè *confessio*, quanquam apud quosdam veteres sæpè ad designandos omnes pœnitentiæ actus usurpetur.

Pœnitentia considerari potest vel quatenùs est *virtus*, vel quatenùs est *sacramentum*. Priori modo spectata definitur, *Virtus inclinans ad dolendum de peccato prout est offensa Dei, ipsumque debitâ satisfactione purgandum*. Posteriori modo considerata, rectè definitur, *Sacramentum institutum ad remissionem peccatorum post Baptisma commissorum*.

De Pœnitentiâ quatenùs est sacramentum potissimùm agimus in hocce Tractatu, quem in sex partimur capita : primum erit de existentiâ sacramenti Pœnitentiæ; secundum, de ipsius efficaciâ; tertium, de ejus materiâ in genere; quartum, de singulis partibus materiæ proximæ; quintum, de illius forma; sextum tandem, de ministro.

## CAPUT PRIMUM.

### *De Existentiâ sacramenti Pœnitentiæ.*

Quidquid circa sacramenti Pœnitentiæ existentiam senserint Montanistæ et Novatiani, de quo non una est eruditorum sententia, Lutherus, licèt initio libri de Captivitate Babylonicâ sacramenta

Baptismi, Pœnitentiæ et Eucharistiæ ex æquo admiserit, in fine tamen ejusdem libri, Pœnitentiæ sacramentum esse negavit; nec magìs hâc de re consentiunt ejus discipuli, etsi ferè apud omnes invaluisse videatur doctrina quam tradit Apologia Confessionis Augustanæ *(d'Augsbourg)* : *Verè igitur sunt sacramenta Baptismus, Cœna Domini, Absolutio, quæ est sacramentum Pœnitentiæ.* Vid. *Bossuet,* Hist. Variat. lib. 3, n. 46 et seqq.

Calvinus, cui præiverat Zuinglius, Pœnitentiam è numero sacramentorum expungit : docet enim lib. 4 Inst. cap. 15, solam Baptismatis recordationem per fidem, necessariam esse ad expianda peccata quælibet post Baptismum commissa. Illa autem fides seu fiducia in mente fidelium excitatur per exterius et nudum ministerium, quo Pastores declarant pœnitentibus sua remissa esse peccata. Hinc 1.°, si Calvino fides, Pœnitentia, seu medium ad reconciliationem institutum, non est à Baptismo vel ejus memoriâ distinctum. Hinc 2.° medium illud non verè remittit peccata, sed remissa declarat. Contra omnes illos errantes, doctrinam catholicam triplici propositione stabiliemus.

### PROPOSITIO PRIMA.

*Pœnitentia est verum ac propriè dictum sacramentum novæ legis.*

Est de fide, tradita à Conc. Trid. Sess. 14, can. 1 : *Si quis dixerit in Catholicâ Ecclesiâ Pœnitentiam non esse verè et propriè sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis à Christo Domino nostro institutum; anathema sit.*

*Prob.* 1.° *ex Script.* Joan. c. 20, ℣. 23 : Christus à mortuis redivivus in Apostolos *insufflavit*, eosque sic allocutus est : *Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis : et quorum retinueritis, retenta sunt.* Undè sic argumentari licet : Sacramentum novæ legis est ritus sensibilis, gratiæ productivus, à Christo permanenter institutus : atqui Pœnitentia, juxta textum modò allatum, est ritus ejusmodi. 1. Est ritus sensibilis : namque Christus per hæc verba dedit potestatem remittendi et retinendi peccata : atqui talis potestas modo exteriori, seu per ritum sensibilem exerceri debet, nimirùm ut Sacerdotes dignoscant quid remittere, quidve retinere debeant, et sciant Pœnitentes an peccata sua remissa vel retenta fuerint. Et verò, cùm potestas remittendi peccata in visibili Ecclesiâ, et inter homines exerceatur, modo sensibili, seu per ritum sensibilem exerceri debet. 2. Est ritus gratiæ productivus, cùm peccata non remittantur nisi per gratiam. 3. Est ritus à Christo institutus : ipse enim Christus hæc verba protulit : *Quorum remiseritis,* etc. 4. Ille ritus permanenter fuit institutus : nam verba modò relata indefinita sunt ratione temporis; ergo pro semper verificari debent. Et verò, finis propter quem ritus Pœnitentiæ fuit institutus, est remissio peccatorum; sicut ergo semper erunt in Ecclesiâ peccatores, ita ritus Pœnitentiæ permanenter institui debuit, ergo, etc.; aliundè, etc.; ergo, etc.

*Prob.* 2.° *ex Traditione.* Tertullianus, lib. de Pœnit. cap. 7 : *Pervicacissimus hostis* (diabolus) *nunquàm malitiæ suæ otium facit, tunc maximè sævit cùm hominem planè sentit liberatum.... Hæc providens Deus, clausâ licèt innocentiæ*

*januâ, et intinctionis* (Baptismi) *serâ obstructâ, aliquid adhuc permisit patere : collocavit in vestibulo Pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat.* Et Scorpiaci cap. 10 : *Si adhuc clausum putas cœlum, memento claves ejus Dominum Petro, et per eum Ecclesiæ reliquisse.* Ibi autem ex solà appellatione *clavium* perspicuum est, Tertullianum designare sacramentum Pœnitentiæ.

Origenes, Hom. 2 in Levit. : *Non erubescit peccator Sacerdoti Domini indicare peccatum suum, et quærere medicinam.*

S. Cyprianus, de Lapsis cap. 12 : *Confiteantur singuli, dùm... satisfactio et remissio facta per Sacerdotes apud Deum valet.*

S. Ambrosius, lib. 1 de Pœnit. cap. 2 et 8, Christi verbis ad Apostolos, *Quorum remiseritis peccata*, etc., eamdem vim tribuit ac istis, *Euntes, baptizate,* etc. Sic nempè Novatianos urget : *Cur baptizatis, si per hominem peccata dimitti non licet? In Baptismo utiquè remissio omnium peccatorum est : quid interest utrùm per Pœnitentiam, aut per lavacrum hoc jus sibi datum Sacerdotes vindicent? Unum in utroque mysterium est... Nonne nomen Dei operatur?*

S. Joan. Chrysost. lib 3 de Sacerdotio, relatis eisdem Christi verbis, dicit, *Sacerdotibus à Deo datam fuisse potestatem, quam Angelis non concessit, quippe qui non solùm regenerant; sed etiam posteà condonandorum peccatorum obtinent potestatem.*

S. Hieronymus, contra Pelagianos lib. 1 : *Redimatur sanguine Salvatoris, aut in dono Baptismatis, aut in Pœnitentiâ, quæ imitatur Baptismatis gratiam.*

S. Augustinus, lib. 2 de adulterinis Conjugiis, cap. 16 : *Si à catechumeno factum est homicidium, Baptismate abluitur; si à baptizato, Pœnitentiâ et reconciliatione sanatur.* Et in Epist. ad Bonifacium : *Si infans post Baptismum propria incipit habere peccata, illa non regeneratione auferuntur, sed aliâ curatione sanantur.*

Tandem S. Leo, Epist. 91, ad Theodorum Episc. : *Multiplex Dei misericordia ita lapsibus subvenit humanis, ut non solùm per Baptismi gratiam, sed etiam per Pœnitentiæ medicinam, spes vitæ reparetur æternæ... Mediator enim Dei et hominum hanc præpositis Ecclesiæ dedit potestatem, ut et confitentibus actionem Pœnitentiæ darent, et eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sanctorum, per januam reconciliationis admitterent.*

Ex his et aliis textibus, quos brevitatis causâ omittimus, sic licet argumentari : Qui Pœnitentiam in ritu exteriori sitam esse agnoscunt, eamque comparant cum Baptismo, nec minorem in illâ quàm in isto ad delenda peccata efficacitatem agnoscunt, ii sanè docent Pœnitentiam verum esse et propriè dictum sacramentum : atqui ita loquuntur citati PP.; ergo, etc.

*Prob.* 3.° *argumento præscriptionis.*

Seculo XVI, cùm Lutherus et Calvinus suos errores disseminare cœperunt, in universâ Ecclesiâ credebatur Pœnitentiam esse sacramentum novæ legis : atqui nulla contigit circa illud dogma mutatio seculis decimo sexto anterioribus; ergo semper in totâ Ecclesiâ creditum est Pœnitentiam verum esse novæ legis sacramentum.

*Major* est evidens : siquidem de Ecclesiâ Latinâ nulla potest esse difficultas, cùm fateatur ipse

Calvinus, lib. 4 Instit. cap. 15, Pœnitentiam inter sacramenta *communiter receptam esse,* et aliundè confirmat Ecclesiæ reclamatio in Concilio Tridentino. Idem profitebatur Ecclesia Græca, ut constat tum ex Jeremiæ, Patriarchæ Constantinopolitani, percelebri confessione; tum ex famoso anathemate lato in Cyrillum *Lucar,* à Concilio Constantinopolitano, anno 1638, cujus verba sunt hæc : *Anathema Cyrillo nova dogmata fabricanti, et credenti non esse ex institutione Christi, Apostolorum traditione, praxique Ecclesiæ perpetuâ, septem Ecclesiæ sacramenta, videlicet Baptisma... Pœnitentiam,* etc.; ergo, etc.

Itaque *prob. min.* Etenim si contigisset aliqua mutatio, hæc sensibilis fuisset, vel insensibilis : atqui 1.° non contigit mutatio sensibilis; namque in mutatione sensibili assignari potest locus in quo obtinuit, tempus quo incœpit, illius auctores ac præcipui ejus impugnatores, omnes deniquè circumstantiæ illius mutationis; hæc enim omnia facilè observantur in omnibus novorum dogmatum historiis : atqui nihil horum assignare possunt adversarii; ergo 1.°, etc. 2.° Neque insensibilis contigit mutatio : nam mutatio insensibilis ea est quæ fit sine vi, sine pugnâ, absque reclamatione validâ : atqui talis mutatio non contigit circa fidem sacramenti Pœnitentiæ; tale enim dogma vulgare est, practicum, onerosum, ut potè jugum grave confessionis imponens : atqui circa vulgare et practicum dogma mutationem insensibilem in totâ Ecclesiâ fieri repugnat; fideles enim sedato animo absque motu fidem antiquam mutari non patiuntur, præsertìm ubi de re admodùm arduâ nova fit obligatio. Et verò, si hæc

attentiùs considerentur quæ fidelibus præscribuntur, ad obtinendam peccatorum remissionem Pœnitentiæ sacramento, scilicet recursus ad Sacerdotes in quibus agnoscitur jus ligandi, peccatorum etiam gravissimorum et occultissimorum confessio, satisfactionum rigor, quis unquàm sibi persuadeat Ecclesiæ Pastores de jugo adeò gravi fidelibus imponendo cogitare potuisse, et fideles illud absque reclamatione acceptavisse? ergo 2.° repugnat mutatio insensibilis; aliundè et sensibilis; ergo nulla circa fidem sacramenti Pœnitentiæ mutatio contigit seculis decimo sexto anterioribus; ergo dogma sacramenti Pœnitentiæ semper obtinuit, ac proindè catholicâ fide credendum est.

Igitur omni argumentorum genere probatum manet Pœnitentiam verum esse et propriè dictum sacramentum novæ legis.

*Obj.* 1.° Verba S. Joannis in probationem allata eo sensu intelligi debent, quo illa intellexerunt Apostoli : porrò Apostoli ea verba intellexerunt non de potestate peccata dimittendi per sacramentum Pœnitentiæ, sed tantùm de potestate Evangelium prædicandi, ad pœnitentiam hortandi, et baptizandi, ut patet ex concionibus tum Petri, Act. c. 2 et 5, tum Pauli, Act. c. 17 et 26; ergo, etc.

*Resp.* 1.° *Nego min.* Namque eo certè sensu præfata verba intellexerunt Apostoli, quo ea intellexit Ecclesia priorum seculorum, quæ, non diffitentibus Protestantibus, veram Christi doctrinam ab Apostolis acceptam profitebatur : atqui ex Traditione constat Ecclesiam priorum seculorum verba citata intellexisse de potestate remittendi peccata per sacramentum Pœnitentiæ, ut ex dictis manifestum est, et ex dicendis magìs patebit.

*Resp.* 2.° *ad probat.* Petrum et Paulum tunc non usos fuisse potestate sibi à Christo collatâ dimittendi peccata per sacramentum Pœnitentiæ. Ratio in promptu est : Gentiles enim nondùm baptizatos alloquebantur, qui proindè capaces non erant sacramenti hujus recipiendi.

*Inst.* 1.° Si Apostoli intellexissent per citata Joan. verba sibi conferri potestatem peccata remittendi per Pœnitentiam, certè aliquis tantæ potestatis usus in Apostolorum Actibus legeretur : atqui tamen ibi non legitur Apostolos hâc potestate usos fuisse; ergo, etc.

*Resp. Nego maj.* Non enim omnia Apostolorum facta et dicta in eorum Actibus leguntur; ea verò quæ ibi narrantur, præcipuè spectant Gentiles et Judæos, quibus, ut potè non baptizatis, conferri non oportuit Pœnitentiæ sacramentum.

Et verò, non ex his quæ ab Apostolis gesta narrantur, dirimi debet hæc controversia, sed ex verbis Christi quæ exposuimus, et Traditione, cujus testes in gratiam sacramenti Pœnitentiæ protulimus. Præthereà, si quid valeret argumentum deductum ex silentio Scripturarum circa usum hujus sacramenti, facilè etiam probari posset Baptismum in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti non esse conferendum, cùm nullibi Scripturarum referatur sub expressâ hâc formâ Baptisma ab Apostolis fuisse collatum.

*Inst.* 2.° In operibus SS. PP. primi et secundi seculi nulla fit mentio de sacramento Pœnitentiæ; ergo non adeò universalis fuit circa hoc sacramentum Traditio.

*Resp.* Argumento præscriptionis suprà demonstravimus eamdem semper fuisse Ecclesiæ fidem de Pœnitentiæ sacramento; ergo quam

constanter tenuêre SS. PP. secundo seculo posteriores, ut ex illorum testimoniis evincimus, eamdem professi sunt SS. PP. huic epochæ anteriores. Si verò ratio hujus silentii quæratur, 1.ª est quòd rarissima supersint documenta primævæ illius ætatis, proindèque mirum videri non debet nullum à nobis afferri testimonium PP. qui tunc floruêre, si Tertullianum excipias, qui obiit anno 216. 2.ª Est quòd SS. PP. ut plurimùm, sermonem dirigebant ad Gentiles vel Catechumenos, quos non de Pœnitentiâ, sed de Baptismo priùs doceri oportebat. Addimus quòd, etsi nullam hujus silentii causam afferre possemus, nihil indè nostræ thesi deperiret; non enim negandum est quod siletur, præsertìm ubi res de quâ agitur, certissimis constat argumentis.

*Obj.* 2.° Hebr. c. 6, ℣. 4 et 6: *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati,...* id est, baptizati, *et prolapsi sunt, rursùs renovari ad pœnitentiam;* ergo peccata baptizatorum sunt irremissibilia, ac proindè Pœnitentia non est sacramentum quo remittantur.

*Resp.* 1.° nimis probare argumentum istud; probat enim omnia peccata baptizatorum non solùm per Ecclesiæ claves, sed etiam à Deo remitti non posse, quod tamen negant Hæretici cum quibus dimicamus. Eadem responsio afferri potest cæteris omnibus Scripturæ testimoniis quæ contra nos præposterè urgent adversarii.

*Resp.* 2.° *Admisso textu, nego consequent., textum explicando.* Etenim ex eo quòd peccantes post Baptismum rursùs renovari nequeant in pœnitentiam, minimè sequitur ipsorum peccata esse irremissibilia, si per renovationem in pœnitentiam intelligat Apostolus Baptismum, qui

de facto renovari non potest : atqui res ita est. 1.° Namque SS. PP. satis communiter hunc sensum Apostolo tribuunt : S. Athanas. Epist. 4, ad Serapionem : *Quod dictum est*, inquit, *impossibile est eos, etc., non excludit à Pœnitentiâ peccatores, sed ostendit unicum, et non duplex esse Baptisma.* S. Chrysost. Hom. 9, in cap. 6 ad Hebr. : *An pœnitentia exclusa est* (per objecta nobis Apostoli verba)? *absit, sed sola renovatio per lavacrum regenerationis.* Ita S. Ambros., S. Damasc., Theodoretus, etc. 2.° Idem Apostolus Tit. c. 3, v. 5, vocat Baptismum *lavacrum regenerationis;* mirum ergo videri non debet ipsum per renovari in pœnitentiam intellexisse baptizari. 3.° Cùm S. Paulus dicit, *Impossibile est eos*, etc., loquitur de semel baptizatis; ergo cùm addit, *rursùs renovari ad pœnitentiam*, loquitur de rursùs baptizandis; voces enim, *semel* et *rursùs*, in eâdem phrasi, rem eamdem afficiunt.

Sunt tamen qui distinguunt textum hoc modo: impossibile est moraliter, *conc.;* physicè, *nego.* Impossibilitas autem moralis dicitur magna difficultas, quæ tamen superari potest; sed præferenda est prior explicatio, ut potè conformior contextui, et doctrinæ SS. PP.

*Inst.* Hebr. c. 10, ℣. 26 : *Voluntariè peccantibus, post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia.* Undè sic : Peccata pro quibus nulla relinquitur hostia, remitti omninò non possunt : atqui, ex Apost., pro peccatis baptizatorum, etc.; ergo, etc.

*Resp. Dist. min.* Nulla pro iis qui post Baptismum voluntariè peccant, superest hostia, sed ex eorum unicè culpâ, *conc.;* secùs, *nego.* Ita-

que voluntariè peccantes, de quibus hìc, sunt Apostatæ, ut indicant Apostoli verba præcedentia, ℣. 25 : *Non deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam :* pro iis nulla supererat hostia, sed ex suâ culpâ tantùm, quatenùs scilicet abjurando Christianismum, et ad Judaïsmum se convertendo, carebant hostiâ novi fœderis, quod abjiciebant, simul et antiquæ legis, ut potè per novam abrogatæ.

## PROPOSITIO II.

*Pœnitentia est sacramentum à Baptismo vel ejus memoriâ distinctum.*

Est de fide, definita à Synodo Tridentinâ, Sess. 14, can. 2 : *Si quis sacramenta confundens, ipsum Baptismum Pœnitentiæ sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo sacramenta distincta non sint; atque ideò Pœnitentiam non rectè secundam post naufragium tabulam appellari; anathema sit.* Idem habetur in Conc. Florent. in decreto ad Armenos : *Quartum sacramentum*, inquit, *est Pœnitentia.*

*Prob.* 1.ª *pars*, 1.° *Ex Script.* laudatis verbis : *Quorum remiseritis*, etc. Illa namque probant Sacerdotes constitutos fuisse judices ad dimittenda vel retinenda peccata : atqui in Baptismate non possunt esse judices, cùm in solos jam baptizatos et sibi subditos judicia exercere possit Ecclesia, dicente Apostolo : *Quid mihi de iis qui foris sunt judicare?* I Cor. c. 5, ℣. 12; ergo, etc.

2.° *Ex Traditiòne*. SS. PP. quorum testimonia in primâ propositione retulimus, Pœnitentiam comparant Baptismo, quoad vim peccata

delendi ; eam esse dicunt aliam sanandis animabus medicinam, pro diversis ægrotis, ritu prorsùs diverso divinitùs institutam, etc. ; ergo SS. PP. Pœnitentiam à Baptismate distinctam esse intellexerunt.

3.° *Ratione theologicâ* quam indicat Concil. Trid. Sess. 14, cap. 2, scilicet : Ea sacramenta prorsùs sunt distincta quorum subjectum, materia, forma, minister, frequentia et effectus diversa sunt : atqui, etc. Namque 1. subjectum Baptismi est quilibet homo; Pœnitentiæ verò quilibet baptizatus. 2. Materia Baptismi est ablutio ; tres actus pœnitentis, juxta communiorem sententiam, sunt materia sacramenti Pœnitentiæ. 3. Baptismi forma consistit in illis verbis, *Ego te baptizo*, etc. ; forma autem sacramenti Pœnitentiæ hæc est : *Ego te absolvo*, etc. 4. Quilibet validè baptizat, solus autem Sacerdos absolvere potest. 5. Iterari potest sacramentum Pœnitentiæ, nequaquàm autem Baptismus. 6. Gratia Baptismì est gratia *regenerans*, quæ simul culpam omnemque pœnam tollit; dùm è contrà in sacramento Pœnitentiæ datur gratia *resuscitans*, quæ culpam delendo, ordinariè relinquit pœnam temporalem in hâc vel in alterâ vitâ luendam.

*Prob.* 2.ª *pars.* 1.° *Argumento ad hominem.* Juxta doctrinam Calvinianam, nihil est admittendum nisi quod in Scripturis expressè continetur : porrò nullibi in Scripturis legitur solâ Baptismi memoriâ peccatores cum Deo reconciliari.

2.° *Ex absurdis.* Si enim valeret Calvini sententia, sequeretur 1. Christum Apostolis et eorum successoribus frustrà contulisse potestatem *retinendi* peccata ; quis enim impedire potest

quin peccator susceptum Baptisma recogitet? Sequeretur 2. falsam esse doctrinam SS. PP. qui unanimiter docent peccatorum veniam difficiliorem esse post Baptismum quàm ante; namque Baptisma in memoriam revocare, certè facilius est, quàm ipsum reipsâ suscipere.

*Obj. contra* 1.$^{am}$ *propos. partem.* S. August. lib. 1, cap. 33 de Nupt. et Concup., sic docet: *Non*, inquit, *ut Baptismus quoties peccatur, toties repetatur, sed quia ipso quòd semel datur, fit ut non solùm anteà, verùm etiam posteà, quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur.* Undè sic: Ille Pœnitentiam à Baptismo non distinguit, qui peccatorum omnium à fidelibus commissorum remissionem ipsi Baptismati tribuit: atqui S. August., etc.; ergo, etc.

*Resp. Dist. maj.* Si illum effectum ipsi Baptismati tribuat tanquam causæ proximæ, *conc.*; tanquam causæ remotæ, *nego.* Porrò id unum significare voluit S. August., nempè omnia fidelium peccata, etiam Baptismo posteriora, per eum tanquam causam remotam deleri. Cùm enim sit cæterorum sacramentorum veluti janua, quorum, sine prævio Baptismate, nullus esse potest particeps; eo nondùm recepto, irritum prorsùs esset Pœnitentiæ sacramentum. Suî ipsius est interpres S. Doctor: *Quid enim prodesset, vel ante Baptismum Pœnitentia, nisi Baptismus sequeretur, vel posteà, nisi præcederet?* Nunquàm verò docuit S. Aug., peccata quæ Baptismum subsequuntur, per eum proximè remitti; hanc enim interpretationem aliis in locis prorsùs evertit, et maximè in isto: *Si à catechumeno factum est homicidium, Baptismate abluitur; si à baptizato, Pœnitentiâ et reconciliatione*

*sanatur*, lib. 2 de adult. Conjug. cap. 16. Nam si existimasset S. Doctor sacramentum Pœnitentiæ à Baptismo non differre, omniaque fidelium peccata in Baptismate verè proprièque deleri, nunquid dixisset homicidium, nunc Baptimo, nunc solâ Pœnitentiâ remitti, prout à catechumeno, vel à baptizato commissum fuerit?

### PROPOSITIO III.

*In sacramento Pœnitentiæ non declarantur peccata esse remissa, sed ipsa verè dimittuntur.*

Est de fide contra Protestantes; sic enim definivit Concilium Trid. Sess. 14, cap. 6; et can. 9: *Si quis dixerit absolutionem sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitenti...; anathema sit.*

*Prob.* 1.° *ex Script.* Verba enim jam laudata, Joan. c. 20, ℣. 23, *Quorum remiseritis peccata*, etc., litteraliter intellecta, probant peccata in sacramento Pœnitentiæ non declarari remissa, sed verè remitti: atqui præfata Christi verba litteraliter et sensu proprio accipi debent. Verba enim Scripturæ litteraliter intelligenda sunt, quoties sensus litteralis non repugnat aliis Scripturæ locis clarioribus, nec Traditioni, nec etiam evidenti rationi; ergo, etc. Matth. c. 16, ℣. 19: *Tibi dabo claves regni cœlorum..., et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.* Undè sic: Potestas remittendi peccata per metaphoram clavium exprimitur; ergo sicut dantur claves materiales ad aperiendum ostium, non

autem ut declaretur apertum, ita potestas data Sacerdotibus non consistit in declarandâ remissione peccatorum, sed in eorum remissione faciendâ.

*Prob.* 2.° *ex SS. PP.* S. Chrys. lib. 3 de Sacerd. cap. 6 : *Nostris Sacerdotibus non corporis lepram, verùm animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsùs concessum est.* S. Amb. lib. de Pœnit. cap. 2 : *Impossibile videbatur per Pœnitentiam dimitti peccata : concessit hoc Christus Apostolis suis, quod ab Apostolis ad Sacerdotum officia transmissum est.* Undè sic : Hic agitur de potestate quâdam quæ tanta est, ut eam mortali cuipiam concedere impossibile videatur : atqui tam stupenda potestas non potest intelligi de nudo ministerio declarandi peccata esse remissa; ergo, etc. S. Bernard. Serm. 1 de SS. Petro et Paulo : *Quid illo potentius qui claves regni cœlorum tam singulariter accepit, ut præcedat sententia Petri sententiam cœli?* atqui contrarium fieret, si verba absolutionis sint merè declaratoria remissionis peccatorum; ergo, etc. In eumdem sensum loquuntur S. Cyprianus, lib. de Lapsis; S. Leo, Serm. de Transfiguratione, etc.

*Prob.* 3.° *argumento theologico.* Si per sacramentum Pœnitentiæ declararetur tantùm peccata verè dimitti, sequeretur Pœnitentiam non esse sacramentum novæ legis, siquidem non produceret, sed significaret gratiam : atqui contrarium est de fide, ut mox probavimus; ergo, etc.

*Obj.* 1.° Luc. c. 5, ℣. 21, dicitur : *Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?* ergo Sacerdotes non habent potestatem peccata remittendi, sed remissa declarandi.

*Resp. Dist. ant.* Solus Deus potest peccata remittere auctoritate propriâ, *conc.;* ex conces-

sione et potestate ministeriali ab illo concessâ, *nego*. Solus quidem Deus jus habet remittendi offensas sibi illatas : at potestatem illam potest cui voluerit concedere, sicut concessisse ac demandasse Apostolis probant verba Christi, *Quorum remiseritis*, etc. Ita S. Pacianus, Epist. 1 ad Sempronianum Novatianum : *Solus hoc*, inquit, *Deus poterit, verum est, sed et quod per suos Sacerdotes facit, ipsius potestas est.*

*Obj.* 2.° Ex S. Aug. in Psal. 101, et ex S. Greg. Hom. 26 in Evang. discipuli solventes Lazarum à Christo suscitatum, erant figura Sacerdotum qui peccatores absolvunt; ergo sicut actio discipulorum vitam in Lazaro supponebat et non dabat, ita Sacerdotum absolutio vitam spiritualem et proindè remissionem peccatorum in peccatoribus supponit et declarat tantùm.

*Resp. Nego cons. et parit.* In eo enim præcisè stat comparatio, quòd sicut Apostoli frustrà solvissent corpus Lazari, nisi priùs ipsi spiritum vitæ restituisset Christus, ita nunc in vanum Presbyteri absolverent peccatorem, cui Deus non dedisset vitam inchoatam, quæ consistit in dispositionibus absolutioni necessariò præviis, et præsertìm in contritione. Ipse S. Aug. suam mentem profert, Conc. 2 in Psal. 101 : *Meritò per Ecclesiam dari potest solutio peccatorum; suscitari autem mortuus, nonnisi clamante Domino potest. Hæc enim Dominus interiùs agit.* Eamdem S. Greg. fuisse mentem manifestum est ex hâc ipsâ quam infert conclusione : *Videndum est*, inquit, *quæ culpa præcessit, aut quæ sit pœnitentia secuta post culpam, ut quos omnipotens Deus per gratiam compunctionis visitat, illos Pastoris sententia absolvat.*

*Obj.* 3.° S. Hieronymus in c. 16 Matth. : *Quomodò ibi*, id est, in veteri lege, *leprosum Sacerdos mundum vel immundum facit, sic et hìc*, id est, in novâ lege, *alligat vel solvit Presbyter;* ergo sicut Sacerdotes Levitici generis non purgabant lepram, sed purgatam probabant, ita Sacerdotes nostri non peccati lepram tollunt, sed ablatam esse declarant.

*Resp. Nego cons.* In eo stat unicè comparatio, quòd sicut antiqui Sacerdotes non poterant declarare mundum, nisi eum quem ex præviâ diligenti inquisitione talem compererant, ita Presbyteri novæ legis non ex mero arbitrio, sed ad normam ipsis à Christo præfixam solvere vel ligare debent peccatores : si secùs fecerint, præter crimen quod admittunt, sciant eorum prolatam in terrâ sententiam irritam fore in cœlo. Hunc esse S. Hieron. sensum indicant ejus verba in eodem loco : *Quodcunque solveris super terram, etc. Istum locum Episcopi et Presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio, ut vel damnare innocentes vel solvere noxios se arbitrentur;* in iis enim S. Doctor potestatem remittendi peccata supponit, et illius abusum tantùm vituperat, ut evidens est.

*Obj.* 4.° Sequeretur formam absolutionis verum quandoquè non enuntiare, nempè cùm pœnitens à peccatis, jam per absolutionem vel per contritionem perfectam remissis, denuò absolvitur; ergo, etc.

*Resp. Nego ant.* Nam sensus formæ absolutionis, *Ego te absolvo à peccatis tuis*, iste est : *Ego tibi confero gratiam sanctificantem, quæ est ex se peccatorum remissiva*, quod semper verum est, etiam respectu illius cui jam pec-

cata remissa sunt; id enim per accidens est, et gratia quam recipit, licèt non sit prima, ex se tamen est remissiva peccati, sicut et prima. Et sicut generatìm Baptismus regenerare dicitur, licèt si conferatur adulto jam perfectâ charitate regenerato hunc non sortiatur effectum; ita et à pari, etc.

### SCHOLIUM.

Non defuêre Theologi (inter quos Petrus Lombardus, Alexander Alensis, et S. Bonaventura), qui instar principii supponentes perfectam contritionem requiri in pœnitentibus ut à Sacerdotibus validè absolverentur, consequenter docuêre, Sacerdotes peccata dimittere vel retinere, *dùm dimissa à Deo vel retenta judicant et ostendunt*. Verùm, etsi hæc sententia ex mox probatis satis refellatur, sedulò notandum est illam ab errore Protestantium essentialiter discrepare; ii enim Theologi docent, 1.° Pœnitentiam esse novæ legis Sacramentum, cujus minister non solùm agit partes meri divinæ clementiæ præconis, sed etiam judicis, qui, auditâ confessione, *juridicè* declarat peccata esse remissa; 2.° agnoscunt contritionem, quantumcunque perfectam, non delere peccata, nisi in ordine *ad claves Ecclesiæ traditas;* et 3.° absolutionem producere secundam gratiam, seu augmentum gratiæ sanctificantis. Protestantibus verò, nec Pœnitentia sacramentum est, nec confessio necessaria, nec absolutio judicialis actus qui animam mundiorem faciat; undè nulla illis est *clavium* potestas, nisi vel prædicatio Evangelii, vel exterioris pœnitentiæ impositio, aut ejus relaxatio.

Hinc

Hinc præfata Theologorum opinio, etsi non satis menti Conc. Trid. congruat, et à Theologis plerisque ut temeraria et erronea respuatur, ab eodem tamen Concilio non fuit damnata. Et reverà scribit Pallavicinus, lib. 12 Hist. Conc. Trid. cap. 12, *Concilium eorum tantùm errorem damnasse, qui dicebant absolutionem esse nudum ministerium declarandi peccata esse remissa;* et testantur Launoius et Witassius, graves Theologos, etiam post Concilium, hanc opinionem propugnasse, quod procul dubio non fecissent, si certum fuisset illam à Concilio damnatam fuisse.

*Quæres* quandonàm institutum fuerit Pœnitentiæ sacramentum.

*Resp.* Christus illud instituit præcipuè post resurrectionem suam: ita Conc. Trid. Sess. 14, cap. 1: *Dominus autem sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipuè instituit, cùm à mortuis excitatus, insufflavit in discipulos suos, dicens: « Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt. »* Dicitur, *præcipuè*, quia Christus ante mortem, jam Apostolis potestatem judiciariam, seu ligandi et solvendi promiserat, his verbis Matth. c. 18, ℣. 18: *Amen dico vobis: quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo: et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo.*

Si objiciatur abfuisse S. Thomam, cùm Christus ad Apostolos dixit, *Accipite Spiritum Sanctum*, etc., respondemus cum S. Cyrillo Alex. lib. 12 in Joan. cap. 46, Christum hæc verba direxisse ad Senatum apostolicum, cujus membrum erat S. Thomas.

# CAPUT II.

## *De Effectibus sacramenti Pœnitentiæ.*

Triplex distingui potest sacramenti Pœnitentiæ effectus : 1.us est remissio omnium peccatorum, quantumvìs gravium, et pœnæ æternæ illis debitæ ; 2.us est collatio gratiæ sacramentalis; 3.us reviviscentia meritorum. De iis totidem articulis dicemus.

### ARTICULUS PRIMUS.

*Utrùm Pœnitentiæ sacramentum vim habeat omnia etiam gravissima remittendi peccata, et reatum pœnæ illis debitæ.*

Montanistarum ac Novatianorum fuit olim error, esse quædam graviora peccata, præsertim post Baptismum commissa, quæ nunquàm etiam pœnitenti virtute clavium remitterentur.

#### PROPOSITIO.

*Sacramentum Pœnitentiæ ex institutione Christi vim habet primariò ac per se remittendi omnia peccata mortalia, quantumvìs gravia, post Baptismum commissa, et consequenter reatum pœnæ æternæ illis debitæ.*

Utraque propositionis pars est de fide.

*Prob.* 1.a *pars.* 1.° *Ex Script.* Joan. c. 20 : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Undè sic : Ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, ut fert axioma : atqui Christus per hæc verba dando potestatem remittendi

peccata, minimè distinxit inter graviora et minùs graviora; ergo, etc. Et verò, non solùm Christus, Ecclesiæ tribuendo potestatem remittendi peccata, restrictionem nullam fecit, sed etiam omnem explosit, dicendo apud Matthæum, c. 18: *Quæcunque solveritis super terram*, etc.

*Prob.* 2.° *ex SS. PP.* S. Pacianus Epist. 3 ad Sempronianum: *Quæcunque solveritis, omninò nihil excipit: quæcunque, inquit, vel magna, vel modica.* S. Ambrosius, lib. de Pœnitentiâ, cap. 1: *Deus distinctionem non facit, qui relaxandi licentiam Sacerdotibus sine ullâ exceptione commisit.* S. Augustinus, libro de Agone christiano, cap. 31: *Nec eos audiamus, qui negant Ecclesiam Dei omnia peccata posse dimittere.*

*Prob.* 3.° *ex definitionibus Ecclesiæ.* Ubi enim exorta est hæresis Novatianorum, statim fuit damnata à Concilio Romano, et ab omnibus dispersis per totum orbem Episcopis; novissimè autem in Synodo Tridentinâ, Sess. 14, can. 1: *Si quis dixerit, in Catholicâ Ecclesiâ Pœnitentiam non esse verè et propriè Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, à Christo Domino nostro institutum; anathema sit.*

*Prob.* 4.° *ex praxi Ecclesiæ*, quæ graviora etiam peccata quovis tempore veris pœnitentibus dimisit: sic S. Paulus incestuosum Corinthium absolvit. Aliundè Ecclesia antiqua canones edidit, in quibus taxatur pœnitentia singulis etiam gravioribus imponenda criminibus, quod apertum est signum, ipsam non modò levia, sed etiam graviora crimina dimisisse.

*Prob.* 2.ª *pars*, nempè quòd, remissâ culpâ,

remittatur reatus pœnæ æternæ. 1.° *Ex Script.* Rom. c. 8, ℣. 1 : *Nihil ergo nunc damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu ;* id est, iis qui per gratiam sanctificantem Christo uniuntur. 2.° *Ex Conc. Trid.* Sess. 6, cap. 14, ubi dicitur quòd pœna æterna vel sacramento vel sacramenti voto, unà cum culpà remittitur. Et cap. 7, docet quòd per justificationem homo ex injusto fit justus, et ex inimico amicus, ut sit hæres secundùm spem vitæ æternæ : atqui non potest esse hæres vitæ æternæ, quin tollatur reatus pœnæ æternæ ; ergo, etc.

*Obj. contra 1.am partem propositionis.* Peccata quædam dicuntur in Scripturis non remittenda ; ergo in Pœnitentià remitti nequeunt omnia peccata, quantumvìs gravia.

*Resp. Nego consequent.* Ut enim impugnetur nostra thesis, non solùm probandum est quædam peccata non remitti, sed insuper ostendendum est ea remitti non posse, et quidem defectu potestatis in Sacerdote : atqui illud nullibi in Scripturà dicitur, quinimò contrarium constat, ex dictis.

*Inst.* 1.° I Joan. c. 5, ℣. 16, dicitur : *Est peccatum ad mortem : non pro illo dico ut roget quis :* atqui peccatum pro quo nec rogare licet, in Pœnitentià remitti non potest ; ergo, etc.

*Resp. Nego min.* quæ falsò supponit illicitam esse deprecationem pro peccato de quo agitur in *majore ;* allata enim verba significant solùm difficultatem maximam obtinendi remissionem cujusdam peccati, seu impossibilitatem moralem, nòn physicam. Hinc S. Ambr. : *Non scriptum est : Nullus orabit pro eo, sed, Quis orabit, hoc est, Quis ille sit, qui in tali causâ*

*orare possit? quæritur, non excluditur*... quia nempè *singularis vitæ aliquis debet orare pro eo qui peccavit in Dominum. Quò major culpa, eò majora quærenda sunt suffragia.*

*Inst.* 2.° Matth. c. 12, ℣. 32 : *Quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei : qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro.* Undè sic : Blasphemia in Spiritum Sanctum non remittetur; ergo illius remissio est impossibilis.

*Resp.* 1.° Nomine peccati contra Spiritum Sanctum intelligitur illa blasphemiæ species, quà homo non ex ignorantià vel infirmitate, sed ex merà malitià, contra veritatem sibi benè cognitam, Spiritùs Sancti opera negat, et diabolo tribuit, ne regnum Dei inter homines diffundatur; quale fuit peccatum Judæorum, qui clamitabant Christum diabolum habere, et in nomine Beelzebub dæmonia ejicere; objecta enim verba occasione insignis illius blasphemiæ protulit Christus, et hæc est interpretatio omnium ferè veterum Patrum, SS. Athanasii, Chrysostomi, Basilii, Hilarii, et multorum aliorum, quos recenset Bellarminus.

*Resp.* 2.° *Dist. cons.* Blasphemiæ in Spiritum Sanctum remissio est impossibilis, moraliter, *conc.*; physicè, *nego.* Scilicet, quandò res aliqua tam rara et insolita est, ut nonnisi rarissimè et difficillimè contingat, ex loquendi more Scripturarum ipsâque hominum consuetudine, de eâ dicitur quòd sit impossibilis. Sic Matth. c. 19, ℣. 24, Christus dixit : *Facilius est camelum per foramen acûs transire, quàm divitem intrare in regnum Cœlorum* : quibus certè non

significatur omninò impossibile esse divitem salvari, sicut omninò impossibile est camelum per foramen acûs transire; Christus enim addit: *Quod impossibile est apud homines, possibile est apud Deum.* Jam verò, eodem modo accipi potest quod dicit Christus, irremissibile esse peccatum in Spiritum Sanctum; ergo nobis cum S. Chrys. Hom. 52 in Matth. concludere licet: *Christus dicendo: Non remittetur, etc., significare voluit multò minùs cæteris peccatis hoc esse ignoscibile.*

Duplex autem potissimùm est causa, cur tam difficilis sit remissio peccati in Spiritum Sanctum: una est quòd oriatur ex integrà malitià, quæ nullam habet excusationem; altera autem, quòd illud peccatum majus apponat gratiæ operationibus impedimentum. Et reverà, cùm non possit obtineri gratia, nisi per Christum mediatorem, qui illius opera dæmoni tribuit, omnem sibi præcludit aditum ad hunc unicum omnis gratiæ fontem.

*Inst.* 3.° Ipsum peccatum in Filium hominis difficillimè dimittitur; ergo quod ei opponitur peccatum, tanquam longè gravius, est verè irremissibile.

*Resp. Nego consequent.* Ut enim, penes veniam, realis intercedat oppositio inter peccata duo, quorum aliud sit contra Filium hominis, aliud contra Spiritum Sanctum, necesse non est ut posterius sit remissu prorsùs impossibile, sed sufficit ut illius condonatio longè difficiliùs obtineatur, quàm remissio alterius, etiam magnoperè difficilis.

*Obj.* 2.° Nonnulli SS. PP. quædam videntur peccata irremissibilia judicasse; ergo, etc.

*Resp.* eos in sensu Scripturæ Sacræ locutos fuisse, ac proindè iisdem responsis satisfieri objectionibus ex eorum scriptis desumptis. Et verò, inter illos numerantur SS. Cyprianus, Pacianus et Hieronymus: atqui omnibus notum est Novatianos et Montanistas ab illis fortiter debellatos fuisse.

*Inst.* Multi SS. PP., imprimis Origenes et S. Ambros. dicunt gravioribus criminibus semel tantùm concedi pœnitentiam; ergo, etc.

*Resp.* SS. PP. qui semel tantùm agendam dicunt pœnitentiam, loqui solùm de publicâ et solemni pœnitentiâ.

Pro cujus rei pleniore intelligentiâ, sciendum est, præter pœnitentiam internam, quæ virtus est animæ, multiplicem à Patribus distingui pœnitentiam. Quædam enim erat pœnitentia baptismalis, quâ Catechumeni præparabantur ad Baptismum suscipiendum; alia etiam post Baptismum agenda, pro iis peccatis quæ post ipsum committuntur; et hæc etiam multiplex est, alia namque privata, alia publica. Privata autem duplex: altera quotidiana, pro quotidianis levibus peccatis; altera pro gravioribus, id est, mortalibus culpis iisque occultis peragenda. Publica quoque pœnitentia duplex: altera solemnis, altera non solemnis; solemnis ea erat quæ pro solis criminibus gravioribus, iisque manifestis imponebatur, et quam qui subibant stare debebant extra septa Ecclesiæ, in vestibulo, in omnium conspectu, orantes et aliorum fidelium preces pro se humiliter et flebiliter implorantes: sed et cilicio et sacco vestiebantur, et jejuniis assiduè carnem affligebant, nec ad ingressum Ecclesiæ recipiebantur, nisi feriâ quintâ Cœnæ

Domini. Ad reconciliationem verò et ad Ecclesiæ sacramenta nonnisi post longum pœnitentiæ tempus recipiebantur, excepto mortis articulo, aut aliâ causâ ab Episcopo approbandâ. Porrò quicunque hanc pœnitentiam semel egerant, eis neque militare deinceps, neque matrimonium contrahere permittebatur; tametsi aliquandò hâc in re propter ætatem dispensabantur. Hoc autem pœnitentiæ genus nunquàm licebat iterare, etiamsi fortè in crimina similia vel graviora aliquis posteà prolapsus fuisset; idque ob tres causas: 1.ª ne ex iteratione vilesceret hoc solemne remedii genus; 2.ª propter significationem, nam ejectio pœnitentis extra forum Ecclesiæ, quæ in illâ pœnitentiâ fiebat, ipso Quadragesimæ initio, significabat Adæ expulsionem de Paradiso, quæ semel tantùm facta fuit; 3.ª quia solemnitas illa pœnitentiæ erat veluti quædam publica professio conservandi eam perpetuò et nunquàm committendi quidquam propter quod iterari deberet.

Pœnitentia autem publica non solemnis, fiebat quidem etiam propter crimina tum secreta tum publica, ideòque et publicè agebatur, non tamen cum solemnibus cæremoniis quæ pœnitentiam solemnem comitabantur. Dùm ergo sancti Patres dicunt pœnitentiam semel tantùm agendam, de solâ publicâ et solemni intelligendi sunt. Vide *Fleury, Mœurs des Chrétiens.*

## ARTICULUS II.

### *Utrùm in Pœnitentiâ conferatur Gratia sacramentalis.*

#### PROPOSITIO.

*Sacramentum Pœnitentiæ confert Gratiam sacramentalem sibi propriam, quæ vocatur Gratia reconciliationis.*

Hæc propositio ab omnibus Theologis admittitur, ejusque probatio repeti potest ex dictis in *Tract. de Sacram. in genere.* Porrò gratia hæc reconciliationis duo includit : 1.° gratiam habitualem sanctificantem, non quidem primam simpliciter, in toto vitæ tempore, sed primam post lapsum et mortem spiritualem : undè datur per modum spiritualis resurrectionis et reconciliationis. 2.° Gratia illa includit et secum affert jus ad recipiendas tempore opportuno gratias actuales spirituales ad plenam præteritorum peccatorum detestationem et satisfactionem, et ad fugam eorumdem in posterum, ac studiosam acceptæ gratiæ conservationem.

## ARTICULUS III.

### *Utrùm Merita per peccatum deperdita Pœnitentiæ subsidio reviviscant.*

Priusquàm hunc tertium Pœnitentiæ effectum exponamus, supponendum est quatuor à Theologis distingui operum genera, scilicet, viva, mortua, mortifera, et mortificata.

Opera *viva* sunt opera supernaturalia, facta ab homine in statu gratiæ sanctificantis, quæ est vita

spiritualis, ideòque meritoria sunt vitæ æternæ de condigno.

Opera *mortua* sunt opera moraliter bona, vel supernaturalia, facta ab homine in statu peccati mortalis existente : mortua dicuntur quia vitam gratiæ seu charitatis nunquàm habuerunt.

Opera *mortifera* sunt opera quælibet mortalia.

Opera *mortificata* sunt opera bona supernaturalia, facta ab homine in statu gratiæ, sed quæ desinunt esse meritoria per lapsum ejusdem in peccatum mortale.

*Quæritur* ergo an quandò justificatus est homo per Pœnitentiam, opera illa mortificata reviviscant, seu fiant iterùm vitæ æternæ meritoria. Nam de mortuis et mortiferis non ambigitur; cùm enim nunquàm vixerint, non possunt reviviscere.

### PROPOSITIO.

*Opera mortificata per peccatum iterùm reviviscunt per Pœnitentiam.*

Hanc propositionem unanimiter docent Theologi, et sine temeritate negari non potest.

*Prob.* 1.° *ex Script.* Ezechiel. c. 33, ℣. 12 : *Impietas impii non nocebit ei in quâcunque die conversus fuerit :* atqui noceret ei plurimùm, si merita quæ mortificavit impietas ejus, positâ conversione non reviviscerent; ergo, etc. Et c. 18, ℣. 21, 22 : *Si autem impius egerit pœnitentiam...; omnium iniquitatum ejus quas operatus est non recordabor :* recordaretur autem Deus, si priora merita nullo donaret præmio.

*Prob.* 2.° *ex SS. PP.* S. Ambrosius, lib. 1 in Luc., n. 33 : *Vide*, inquit, *quàm bonus Deus, et facilis indulgere peccatis : non solùm ablata*

*restituit, sed etiam insperata concedit* : sed qui ablata restituit, merita per pœnitentiam redintegrat. S. Hieron. in cap. 3 ad Galat. : *Quicunque ob fidem Christi laboraverit, et posteà lapsus fuerit in peccatum : sicut priora dicitur passus fuisse sine causâ, dùm peccat; sic rursùs non perdet ea, si ad pristinam fidem et antiquum studium revertatur* : quæ verba nostram thesim continent. S. Chrysost. Hom. 6 in Genes. : *Per misericordiam Dei, si modò condemnare facta nostra voluerimus, poterimus statìm ad pristinam abundantiam redire* : atqui verè pœnitentes non possent statim ad pristinam abundantiam redire, si merita per peccatum mortificata non reviviscerent per pœnitentiam; ergo, etc.

*Prob.* 3.° *ex Conc. Trid.* Sess. 6, cap. 16 : *Nihil ipsis justificatis ampliùs deesse credendum est, quominùs plenè, illis quidem operibus quæ in Deo sunt facta... vitam æternam suo tempore, si tamen in gratiâ decesserint, consequendam, verè promeruisse censeantur* : atqui opera mortificata, 1.° sunt opera hominis justificati; 2.° in Deo, id est, auxilio Dei, et propter finem supernaturalem sunt facta; 3.° sunt opera hominis qui in gratiâ non quidem perpetuò conservatâ, sed redintegratâ per pœnitentiam, decedere potest; ergo, etc.

*Prob.* 4.° *Rationibus theol.* 1.ª Merita reviviscunt, si peccatum spectari debet ut obex quo suspendatur meritorum efficacia, et qui per Pœnitentiam tollatur; non verò ut causa quâ penitùs deleatur : atqui res ita est; bona quippe opera, ex quibus oritur meritum, Deus grata et accepta habuit absolutè, non tantùm sub conditione justitiæ perpetuò servandæ; ergo merita re-

viviscunt. 2.ª Circa bona opera non plus valet culpa, quàm gratia : sed bona opera per culpam mortificantur ; ergo et per gratiam subsequentem vivificantur.

*Obj.* 1.° Ezechiel. c. 18, Deus non recordabitur justitiarum quas fecit justus, si à justitiâ suâ exciderit semel; ergo reviviscere non possunt.

*Resp. Nego cons.* Ibi agitur de justo à justitiâ excidente, et perseverante in malo; de eo enim immediatè adjicit Propheta, *In peccato quod peccavit morietur;* mirum ergo non est quòd ipsius merita nunquàm reviviscere possint.

*Obj.* 2.° Peccatum, ut potè infinitum, fortius esse debet gratiâ, quæ finita prorsùs est; ergo sicut gratia ita delet peccatum, ut nunquàm reviviscat : ita, et quidem à fortiori, peccatum sic merita præcedentia extinguere debet, ut nunquàm reviviscant.

*Resp. Trans. ant. Nego cons.* Ratio disparitatis est, quòd gratia omninò deleat peccatum, dùm è contrà peccatum merita præcedentia minimè destruit : mortificat ea tantùm instar obicis, quo sublato per pœnitentiam, quasi sponte reviviscunt.

### SCHOLIUM.

Circa reviviscentiæ modum scinduntur Theologi, ex Suaresio, quem plures sequuntur, merita statìm et ex integro reviviscunt per pœnitentiam, etiam debilem, modò veram. Juxta S. Thomam, 3.â parte, quæst. 89, art. 2, in corp., et resp. ad 2.um, et art. 5, ad 3.um, cujus sententiam multi quoque amplexi sunt, non reviviscunt nisi ad mensuram contritionis illius qui resurgit.

Prior sententia nobis magìs arridet, 1.° quia

textus Scripturæ et Patrum qui proferri solent in gratiam reviviscentiæ meritorum, illam tribuunt conversioni peccatoris simpliciter tali, et ideò prorsùs independenter à gradibus suæ pœnitentiæ. 2.° Quia peccatum adveniens, seu defectus gratiæ non destruit merita in se; illa tantùm mortificat, et instar obicis impedit quominùs vim exerant suam; ergo, ut ex integro reviviscant, sufficit quòd obex tollatur : atqui tollitur per pœnitentiam debilem, modò veram, ipsa enim independenter à gradibus peccatum destruit; ergo, etc.

Attamen quia res extra dubium non est, curent Confessarii ut pœnitentes ad dolorem intensum et acrem excitentur, et *pœnitentia crimine minor non sit,* ut ait S. Cyprianus. Sic pœnitentes, et præcedentia merita non dubiè tantùm, sed certò reviviscere facient; et, quod summoperè optandum est, longè majorem in receptâ gratiâ firmitatem acquirent.

*Quæres* an quandò homo justificatus à peccato iterùm peccat mortaliter, priora demerita redeant.

*Resp.* non redire *simpliciter*, et *prob.* 1.° *ex Script. : Quorum remiseritis peccata,* etc. Undè sic : Peccata semel dimissa, non reviviscunt, si Christus per hæc verba dederit potestatem remittendi peccata absolutè : atqui Christus, etc. Nulla siquidem conditio exprimitur in verbis Christi, nulla etiam in aliis continetur Scripturæ textibus; ergo, etc.

2.° *Ex SS. PP.* S. Prosper, in Respons. 2.â ad object. Gallorum : *Qui recedit à Christo, non in id quod remissum est recidit.* Gelasius Papa, dist. 4. de Pœnit. cap. 24 : *Divina clementia remissa peccata in ultionem ulteriùs redire non*

*patitur*. Hæc adeò clara sunt, ut nullâ interpretatione indigeant.

3.° *Ratione*. Si peccata dimissa per novum delictum reviviscant, ipsa iterùm subjici debent clavibus Ecclesiæ, ut de novo remittantur : atqui istud contradicit praxi in totâ Ecclesiâ receptæ; ergo, etc.

*Obj*. 1.° III Regum c. 17, Deus recordari dicitur peccatorum nostrorum : atqui non recordaretur peccatorum, nisi ipsa reviviscere faceret; ergo, etc.

*Resp*. *Nego min*. Deus eo sensu recordatur peccatorum, quòd ipse postmodùm puniat delicta quorum propter dilatam punitionem videbatur oblitus.

*Obj*. 2.° Matth. c. 18, Deus nobiscum agit, sicut egit rex ille qui debitum omne servo dimissum ab ipso repetiit propter ejus in conservum duritiam; ergo, etc.

*Resp*. *Dist*. *ant*. Deus nobiscum agit, etc., quoad aliqua, *conc.;* quoad omnia, *nego*. Itaque parabolæ in omnibus urgeri non debent, sed in his tantùm quæ conducunt ad finem seu scopum à proponente intentum; cætera enim ad ornatum unicè apposita censentur. Porrò Christi scopus erat ut doceret nos omnem veniæ aditum intercludi nobis, nisi proximo remitteremus offensam; ergo in his tantùm urget parabola.

Dixi, peccata dimissa non redire *simpliciter ;* nam reviviscunt *secundùm quid,* quatenùs in causâ sunt cur peccatum de novo admissum sit majus in genere ingratitudinis.

# CAPUT III.

## *De Materiâ sacramenti Pœnitentiæ.*

In sacramento Pœnitentiæ duplex distinguitur materia : altera *remota,* circa quam versatur efficacia sacramenti, scilicet peccata, quorum delendorum causâ institutum fuit; altera *proxima,* quæ cum formâ immediatè componit sacramentum. Pro duplici illâ materiâ, duo erunt articuli.

### ARTICULUS PRIMUS.

### *De Materiâ remotâ.*

#### PROPOSITIO.

*Omnia et sola peccata post Baptismum commissa, sunt materia remota sacramenti Pœnitentiæ.*

*Prob.* Quia in judicio criminali, crimen de quo agitur est materia remota et circa quam; ergo etiam in sacramento Pœnitentiæ, peccata sunt hujus sacramenti materia remota, seu potiùs removenda, non quidem ex quâ conficitur sacramentum, sed circa quam occupatur.

Dixi 1.°, *peccata post Baptismum commissa ;* tum quia Baptismus ordinatus est ad remittenda peccata ipsum præcedentia; tum etiam quia homo ante Baptismum non est de foro Ecclesiæ, ideòque Ecclesia non potest de ejus actionibus eo tempore factis judicare; nam, ut ait Trid. Sess. 14, cap. 2, *Ecclesia in neminem judicium exercet, qui non priùs in ipsam per Baptismi januam fuerit ingressus.* Ideò S. Hieronymus, Epist. 97

aliàs 8, pœnitentiam vocat *secundam post naufragium tabulam*, quia scilicet de secundo naufragio gratiæ post Baptismum acceptæ evadimus.

Dixi 2.° *omnia peccata*, id est, 1. *mortalia* nondùm *directè* remissa, quæ dicuntur materia *necessaria* confessionis, non quidem eo sensu quòd sine illis stare nequeat Pœnitentiæ sacramentum, sed quia pœnitens tenetur ea confiteri, ut dicemus infrà. 2. *Venialia*, quæ dicuntur materia *sufficiens* et *libera* : *sufficiens* quidem, cùm, etsi venialia, nihilominùs vera sint peccata, ad quæ proindè pertinent Christi verba, sine exceptione prolata, *Quorum remiseritis peccata*, etc., *Quæcunque solveritis*, etc.; *libera* verò, quia, ut ait Conc. Trid. Sess. 14, cap. 5, *quanquam rectè et utiliter citraque omnem præsumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt*. 3. Peccata *jam remissa*, et quæ potest pœnitens iterùm confiteri, iterùmque eorum absolutionem recipere, licèt ab iis fuerit jam *directè* absolutus, ut probatur tum ex verbis Christi, *Quorum remiseritis*, etc., quæ, ut potè generalia, restringi non debent; tum ex Decretali Benedicti XI, *Inter cunctas*, tum deniquè ex communi fidelium praxi.

Nec reponatur neminem in eodem tribunali de eodem crimine bis judicari, aut bis à corporeis vinculis solvi : disparitas enim in eo est, quòd secundum judicium prorsùs inutile foret, et nova à vinculis solutio nihil auferre possit quod anteà ablatum non fuerit : at verò non ita est de sacramentali judicio, quoad jam remissa peccata; namque ex pœnâ temporali, quæ peccato mortali di-

misso luenda sæpiùs remanet, aliquid auferre potest, atque etiam ampliorem gratiam impertiri.

*Nota* quòd si quis susciperet Baptismum cum fictione, aut aliâ pravâ dispositione mortali, peccatum illud remitteretur per sacramentum Pœnitentiæ, licèt, strictè loquendo, non sit commissum post Baptismum, sed eo tempore quo receptum est Baptisma : undè à quibusdam vocatur commissum *non ante* Baptismum, et revocatur tamen ad ea quæ post Baptisma committuntur, quia est actualis sacramenti profanatio, quæ posterior est ratione ipso sacramento.

*Dices* : Materia sacramenti remota suâ parte concurrit ad gratiæ productionem, ut patet de aquâ in Baptismo : atqui peccata non sunt hujusmodi; ergo, etc.

*Resp. Dist. maj.* Materia remota quæ applicatur et adhibetur, *conc.*; materia quæ destruitur et removetur, *nego*. Porrò peccata sunt Pœnitentiæ materia, non applicanda et adhibenda, sed per ipsum sacramentum destruenda et removenda.

## ARTICULUS II.

### *De Materiâ proximâ.*

Duo hic distinguenda sunt, errores et opiniones. 1.° Juxta Lutherum, *terrores* ex legis commnationibus incussi, et *fides*, seu certa remissionis peccatorum fiducia, ex Evangelii promissionibus concepta, sunt materia sacramenti Pœnitentiæ. Calvinus verò Pœnitentiam constituit in *mortificatione* seu refrenatione vitiorum, et *vivificatione* seu benè vivendi studio.

2.° Etsi in confutandis illis erroribus concordes sint Theologi, in assignandâ tamen materiâ

proximâ sacramenti Pœnitentiæ inter se dissentiunt. Alii enim hujus sacramenti essentiam in absolutione reponunt, ita ut absolutio, prout est ritus sensibilis, habeatur pro materiâ; quatenùs autem significat effectum, id est, remissionem peccatorum, pro formâ reputetur : ita *Scotistæ*. Alii materiam hujus sacramenti esse docent manuum impositionem : ita nonnulli veteres, et, inter recentiores, Morinus et Witassius. Alii tandem cum S. Thomâ, pro materiâ hujus sacramenti assignant tres actus pœnitentis, confessionem nempè, contritionem et satisfactionem.

## PROPOSITIO PRIMA.

*Nec terrores aut fides, ad sensum Lutheri; nec mortificatio et vivificatio, ad sensum Calvini, sunt Pœnitentiæ partes.*

*Prob.* 1.ª *pars*, 1.° *de terroribus.* Etenim illud Pœnitentiam non constituit, quo posito, potest non esse vera pœnitentia; quo sublato, vera pœnitentia esse potest : atqui terrores ex lege incussi esse possunt, quin adsit vera pœnitentia, ut constat exemplo dæmonum, qui *credunt* et *contremiscunt*, Jacobi c. 2, licèt nullam agant pœnitentiam; et vice versâ, vera pœnitentia esse potest sine iis terroribus, ut probatur exemplo Magdalenes, quæ solo Dei amoris impulsu egit pœnitentiam : *Remittuntur ei peccata multa*, inquit Christus, *quoniam dilexit multùm*, Luc. c. 7. 2.° *De fide.* Fides seu fiducia justificans, ad sensum Lutheri, est merum figmentum, ut probatur in *Tract. de Gratiâ;* meritò igitur hunc errorem Lutheri anathemate confixit Conc. Trident., Sess. 14, can. 4.

*Prob.* 2.ª *pars.* Namque mortificatio vitiorum et vivificatio, ad sensum Calvini, omnium hominum est, etiam justorum; pœnitentia verò peccatorum duntaxat; ergo in his non reponenda est pœnitentia.

### PROPOSITIO II.

*Manùs impositio non est materia proxima sacramenti Pœnitentiæ.*

*Prob.* 1.° Quia nec Eugenius Papa, in decreto ad Armenos, neque Concilium Tridentinum, ullam hujus manûs impositionis mentionem faciunt, licèt tam accuratè ea recenseant quæ ad sacramentum Pœnitentiæ pertinent. 2.° Hæc manùs impositio mera est cæremonia; nam, ut probat ipse Morinus, lib. 6 de Pœnitentià, cap. 8, pluries in eosdem pœnitentes adhibebatur in decursu ejusdem pœnitentiæ. Præterea, non solùm Episcopi et Presbyteri, sed etiam Clerici inferiores pœnitentibus manus imponebant, teste S. Cypr. Epist. 10.

*Nota.* Licèt manùs impositio non sit ritus essentialis in sacramento Pœnitentiæ, omitti tamen non debet : 1.° quia est cæremonia antiquissima, et probabiliter ducens originem ab apostolicâ traditione; 2.° quia tutius est eam retinere, quàm negligendo eam omittere. Hæc autem manûs impositio significat auctoritatem Sacerdotis per modum judicii absolventis.

### PROPOSITIO III.

*Materia proxima sacramenti Pœnitentiæ sunt actus pœnitentis, scilicet Contritio, Confessio et Satisfactio.*

Ita longè major pars Theologorum.

*Prob.* 1.° Illa sententia anteponenda est, quæ magis accedit ad mentem Concilii, quod ex professo istud tractavit argumentum : atqui talis est sententia quæ proximam sacramenti Pœnitentiæ materiam in tribus pœnitentis actibus reponit; namque sic loquuntur Patres Tridentini, Sess. 14, de Pœnit. cap. 3 : *Sunt* QUASI MATERIA *hujus sacramenti ipsius Pœnitentis actus, nempè contritio, confessio et satisfactio; qui, quatenùs in pœnitente ad integritatem sacramenti, ad plenamque et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hâc ratione Pœnitentiæ partes dicuntur*. Et can. 4 : *Si quis negaverit ad plenam et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente,* QUASI MATERIAM *sacramenti Pœnitentiæ...; anathema sit.*

Præiverat Eugenius IV, in suo decreto ad Armenos, ubi eosdem pœnitentis actus appellat, *quasi materiam Pœnitentiæ.*

Porrò cum verbis Patrum Tridentinorum maximè convenit sententia quam tuemur; nam tres pœnitentis actus ab illis ita dicuntur *quasi materia* sacramenti, ut nullam aliam assignent, imò et *partes Pœnitentiæ* appellantur : atqui prorsùs improbabile est Patres, qui de rebus ad integritatem sacramenti essentialibus ex professo dicebant, prorsùs siluisse de verâ illius materiâ proximâ, imò et illam *materiæ proximæ* prærogativam attribuisse meris dispositionibus in subjecto requisitis ad effectum sacramenti percipiendum. Nec nocet particula, *quasi*, quam adhibet sancta Synodus; hanc enim locutionem sic exponit Catechismus Concilii, de Sacr. Pœnit. n. 17 : *Hi actus, quasi materia à sanctâ Synodo*

*non appellantur, quia veræ materiæ rationem non habeant ; sed quia ejus generis materia non sint, quæ extrinsecùs adhibeatur, ut aqua in Baptismo, et chrisma in Confirmatione.*

*Prob.* 2.° *Ratione theologicâ.* Certum est sacramentum Pœnitentiæ per modum actûs et processùs judicialis à Christo fuisse institutum, ut patet tum ex verbis Christi, Joan. c. 20 ; tum ex Patribus citatis, et infrà citandis ; tum etiam ex Concilio Tridentino, cap. 2 et 5. Sicut ergo in judicio, cognitio causæ habet rationem materiæ, ita etiam in hoc sacramento confessio, in quâ tota causæ cognitio consistit, dicenda est materia : sed quia confessio fieri debet à pœnitente voluntariè, et in ordine ad reconciliationem cum Deo obtinendam, ideò confessio necessariò conjungi debet cum dolore de præterito; verus autem dolor esse nequit sine proposito satisfaciendi; ergo contritio, confessio et satisfactio saltem *in voto*, sunt materia proxima hujus sacramenti.

*Obj.* 1.° Docet Concilium Tridentinum, Sess. 14, actus pœnitentis esse dispositiones ad percipiendum cum fructu sacramentum : atqui dispositio ad sacramentum non est ejus materia ; ergo, etc.

*Resp. Dist. maj.* Sunt dispositiones ad sacramentum inadæquatè spectatum pro absolutione, *conc.* ; adæquatè consideratum, *nego.* Sub illo etenim respectu sunt illius partes, et quasi materia, ex eodem Concilio Tridentino.

*Obj.* 2.° Cùm sacramentum, ex ipsâ ejus definitione ab omnibus admissâ, sit res subjecta sensibus, illius materia proxima debet esse sensibilis : atqui contritio ipsaque satisfactio saltem

in voto, quæ tanquam sufficiens admittitur, non sunt quid sensibile, cùm intùs sint in corde pœnitentis; ergo non possunt dici materia proxima sacramenti.

*Resp. Dist. maj.* materia proxima cujuslibet sacramenti debet esse sensibilis in se, vel in quodam suî signo, *conc.;* in seipsâ, *nego.* Interni autem pœnitentis actus signis exterioribus et moraliter certis manifestari possunt.

*Inst.* Nullus ex his actibus sensibilis est ubi sacramentum Pœnitentiæ confertur moribundo qui sensibus captus confiteri non valet; ergo, etc.

*Resp.* 1.° in hoc casu sacramentum maximè periclitari; et ideò moribundis hujusmodi datur absolutio, tum quia sententia Scotistarum probabilitate non caret, tum quia moribundi quandoquè signa contritionis exhibent quæ nec à sacerdote nec ab adstantibus percipiuntur: in extremâ autem necessitate, incerta media, certis deficientibus, applicanda sunt.

*Resp.* 2.° In hoc casu est aliqua confessio, saltem dubia, scilicet vita christiana, quam moribundus anteà profitebatur: in dubio autem tutior pars est ea quæ sacramentum nullitatis periculo exponit, potiusquàm salutem hominis; sed de his redibit sermo ubi de *absolutione moribundi.*

*Obj.* 3.° Si actus pœnitentis essent materia sacramenti, pœnitens esset minister qui seipsum absolveret, sibique per proprios actus conferret gratiam: falsum *consequens;* ergo et *antecedens.*

*Resp. Nego sequelam maj.* quoad omnes partes. Ille enim solus est minister pœnitentem absolvens et gratiam conferens, qui solus sen-

tentiam absolutionis nomine Christi pronuntiat, et verba formæ profert, *in quibus*, ex Conc. Trid., *præcipuè sita est vis sacramenti :* atqui solus Sacerdos sententiam absolutionis pronuntiat nomine Christi, etc.; ergo, etc. Enimverò actus pœnitentis non concurrunt ad productionem gratiæ prout sunt actus pœnitentis, sed prout per verba formæ determinantur ut sint materia sacramenti : porrò pœnitens activè non concurrit ad unionem materiæ cum formâ.

Colliges contritionem, confessionem et satisfactionem *in voto*, esse partes essentiales sacramenti Pœnitentiæ; siquidem essentialiter prærequiruntur ad judicium reconciliativum, quod exercetur in hoc sacramento.

Dixi satisfactionem *in voto*, id est, propositum satisfaciendi Deo, essentialiter requiri ad sacramentum Pœnitentiæ, quia sine tali proposito nemo est verè contritus. At verò satisfactio *in re* seu opere et exsecutione, non est pars essentialis, sed integralis tantùm, ut patet ex eo quòd absolutio dari soleat ante impletam satisfactionem; imò interdùm nulla injungatur, v. g., cùm absolvitur homo statìm moriturus : quod tamen non impedit quominùs sacramentum validum sit, et gratiam conferat.

*Quæres* 1.° an contritio, confessio et satisfactio præcedere debeant absolutionem, et cum eâ conjungi.

*Resp.* 1.° contritionem et confessionem præcedere debere absolutionem, quia accusatio et cognitio causæ præcedere debet sententiam : quoniam autem illi actus cum absolutione faciunt judicium reconciliativum, ideò inter accusationem et prolationem sententiæ ea reperiri debet

unio, quæ in judicio requiritur ut faciat unum moraliter judicium; validum ergo erit sacramentum Pœnitentiæ, etiamsi contritio et confessio præcesserint absolutionem aliquo tempore. Curare tamen debet Confessarius, ut maxima inter illas partes servetur conjunctio : undè si confessio paulò antè facta fuerat, post eam confusè et generaliter repetitam dari debet absolutio.

*Resp.* 2.° necessarium non esse ut ante absolutionem satisfactio impleatur, ut fusè probabitur infrà : interim sufficiat dixisse talem esse Ecclesiæ praxim, cui contradicere nemo Catholicus audeat; quippe, ut ait S. Aug. Epist. 54 aliàs 118, ad Januarium, cap. 5, *Si quid tota per orbem frequentat Ecclesia..... quin ita faciendum sit disputare, insolentissimæ insaniæ est.*

*Quæres* 2.° an ad validitatem sacramenti sufficiat contritio præcedens aliquanto tempore, vel subsequens confessionem pœnitentis.

*Resp.* 1.° Si quis sine sufficienti contritione peccata sua narravit, modò conteratur ante absolutionem, verè absolvitur : ratio est quia dicendo se dolere de peccatis, quæ confessus est, vel humiliter petendo, et exspectando absolutionem illorum, virtualiter repetit confessionem, quæ tùm dici potest sacramentalis, et ab interno dolore procedens, ac dolorem illum manifestans.

*Resp.* 2.° si contritio aliquanto tempore præcessit confessionem, tunc eam posse sufficere, modò tres habeat conditiones. Prima est, ut moraliter conjuncta sit cum confessione, ita ut judicio prudentùm confessio censeatur vi præcedentis doloris fieri : sic Doctores putant sufficere, si quis manè vel vesperè contritionem elicuit, et post aliquot horas confitetur. Secunda conditio

conditio est, ut contritio præcedens non fuerit retractata per aliquod peccatum mortale de novo commissum. Tertia conditio est, ut contritio sit elicita cum aliquâ cogitatione et relatione ad sacramentum, seu ad confessionem vel absolutionem, v. g., si peccata recogitavit, et de iis doluit, ut ea confiteretur : ratio est quia actus sacramentales poni debent ex intentione faciendi vel recipiendi sacramentum.

Consultum tamen est ac magìs tutum curare ut contritio non multùm distet à confessione, sed ante illam renovetur, si fortè jam aliquanto tempore præcesserit, vel de peccatis inculpabiliter oblitis absolutio recipienda sit.

## CAPUT IV.

### *De singulis partibus Materiæ proximæ.*

Tres sunt, ut jam diximus, partes materiæ proximæ hujus sacramenti, contritio nempè, confessio et satisfactio, de quibus distinctis sectionibus dicendum est.

## SECTIO PRIMA.

### *De Contritione.*

Maximi momenti est illud quod aggredimur argumentum, cùm ex omnibus sacramenti Pœnitentiæ partibus, contritio ea sit quæ nequeat suppleri, ita ut absque illâ nunquàm peccatorum remissio obtineatur. Ut autem hæc gravis quæstio dilucidè exponatur, agemus 1.° de contritione generatim consideratâ; 2.° de contritione perfectâ; 3.° de contritione imperfectâ, quæ in scholis

*Attritio* vocari solet; 4.° de curâ ministri in dignoscendâ et procurandâ contritione pœnitentis.

## ARTICULUS PRIMUS.

### *De Contritione generatìm sumptâ.*

Inquirendum venit, 1.° quænam sit ipsius natura, 2.° quænam illius proprietates, 3.° quænam illius necessitas.

### § I.

### *De Naturâ Contritionis in genere.*

Contritio generatìm sumpta definitur à Concilio Tridentino, Sess. 14, cap. 4, *Animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.*

Dicitur 1.°, *animi dolor*, id est, tristitia quædam, afflictio, amaritudo non in sensu tantùm posita, sed *animi* seu *voluntatis*; licèt enim interdùm ex voluntate redundet in appetitum sensitivum, ob sympathiam, tamen id non semper accidit, sed quandoquè impeditur ex dispositione corporis; neque etiam id necessarium est, modò animi dolor verus sit et sincerus.

Dicitur 2.°, *detestatio*, id est, efficax et absoluta displicentia de peccato commisso, aversio, retractatio illius, excludens omnem voluntatis affectum ad illud, et movens illam ad destruendum peccatum præteritum, et ad illud in futurum fugiendum; hoc autem sic exprimi potest : Pœnitet me peccasse; Utinam non peccassem! Si in eâdem essem occasione peccandi, nunc certè non peccarem. Hoc autem desiderium cum spe et petitione veniæ conjungi debet : undè contritio

propriè dicta, neque in Beatis, neque in damnatis, neque in viatoribus de salute suâ desperantibus reperiri potest, quia, quantumvis desiderent se non peccasse, non moventur tamen efficaciter ad abolendum peccatum cum spe veniæ.

Dicitur 3.°, *de peccato commisso*, id est, de propriâ offensâ Deo factâ, sive per commissionem, sive per omissionem.

Dicitur 4.°, *cum proposito non peccandi de cætero,* id est, cum deliberatâ et firmâ voluntate vitandi omnia peccata mortalia, et adimplendi omnia Dei mandata : hoc autem propositum novæ vitæ inchoandæ, simul cum cessatione à peccatis in contritione includi patet ex Concilio Trid. Sess. 6, cap. 14, et Sess. 14, cap. 4, ubi dicitur : *Declarat igitur S. Synodus, hanc contritionem non solùm cessationem à peccato, et vitæ novæ propositum et inchoationem, sed veteris etiam odium continere, juxta illud : «Projicite à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis ; et facite vobis cor novum, et spiritum novum.»* Ratio est quia sine tali proposito intelligi et concipi non potest verus ac sincerus dolor de peccatis, excludens omnem affectum et voluntatem peccandi. Adde quòd nemo possit cum Deo reconciliari, et amicitiam ejus recuperare, nisi habeat propositum eum non ampliùs offendendi. Utrùm verò propositum illud debeat esse explicitum, infrà dicemus.

Postremò, nunc in lege gratiæ, post institutionem sacramenti Pœnitentiæ, quod necessarium esse ad salutem infrà ostendemus, contritio debet continere, saltem *implicitè*, votum seu propositum confitendi et satisfaciendi, vel, ut loquitur Trid. Sess. 14, cap. 4, *votum præstandi reli-*

*qua, quæ ad ritè suscipiendum* Pœnitentiæ *sacramentum requiritur.*

## § II.

### *De Proprietatibus Contritionis.*

Quatuor vulgò à Theologis assignantur contritionis proprietates, scilicet, ut sit interna, supernaturalis, universalis, et summa : de iis singulatim tractabitur.

### I.

### *An Contritio debeat esse interna.*

Interior dicitur contritio, quæ non ab ore tantùm, sed ex intimo cordis affectu profluit.

PROPOSITIO.

*Contritio ad validitatem sacramenti sufficiens, interna esse debet.*

*Prob.* 1.° *ex Script.* Joel. c. 2, ℣. 12 et 13 : *Convertimini ad me in toto corde vestro..... et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra.*

*Prob.* 2.° *ex SS. PP.* S. Cyprianus, lib. de Lapsis, circa finem : *Agite pœnitentiam plenam; dolentis ac lamentantis animi probate mœstitiam.* S. Chrys. lib. 1 de Compunct. cordis : *Non requirit Deus ciliciorum pondus..... Hoc solum est quod exposcitur à nobis, ut semper recordemur, et ad animam revocemus mala nostra.* Ita alii PP. loquuntur.

*Prob.* 3.° *Ratione.* Hinc prodire debet contritio, undè prodeunt peccata omnia : atqui *de corde exeunt cogitationes malæ, homicidia,* etc., Matt. c. 15, ℣. 19; ergo, etc.

Hinc 1.° non sufficit voluntas confitendi, et recipiendi absolutionem, etiam sine ullà complacentià in peccato, nisi adsit prætereà verus dolor.

Hinc 2.° nec sufficit dolor quem quis habet eo quòd de peccatis non doleat : quamvis in conscientiis timoratis quæ hunc habent affectum, possit esse signum veri doloris de peccatis.

Hinc 3.° non sufficit dolor existimatus, quantumvìs invincibiliter; si enim verè non adsit, sacramentum erit nullum defectu materiæ à Christo institutæ, licèt ignorantia invincibilis excuset pœnitentem à novo peccato. Vide Trid. Sess. 14, cap. 6, ubi dicit : *Non debet pœnitens adeò sibi de suâ ipsius fide blandiri, ut, etiamsi nulla illi adsit contritio..., putet tamen se propter suam solam fidem verè et coram Deo esse absolutum.*

*Quæres* 1.° an contritio seu detestatio peccati debeat esse expressa et distincta.

*Resp.* Confessarium regulariter procurare debere ut pœnitens formalem ac expressam de peccatis contritionem habeat. Quamvis enim contritio virtualis qualis in charitate perfectà continetur, per accidens sufficere possit, putà in Martyre aut in alio qui totus in eliciendis perfectæ charitatis actibus, de peccatis actu non cogitat, magìs tamen communiter docent Theologi formalem et expressam contritionem esse partem essentialem sacramenti Pœnitentiæ à Christo institutam, cui proindè substitui non possit alia, quantumvìs æquivalens, scilicet actus charitatis perfectæ.

*Quæres* 2.° an de cætero non peccandi propositum debeat quoque esse explicitum et formale, an verò sufficiat virtuale et implicitum, quale in sincerà peccati detestatione includitur.

*Resp.* alios asserere propositum de cætero non

peccandi formale et explicitum, ad contritionis essentiam pertinere; alios verò negare. Hinc Confessarius sollicitè curare debet ut pœnitentes formale et expressum eliciant de cætero non peccandi propositum, quia id tutius est. Per accidens tamen, defectu temporis vel considerationis, sufficit implicitum, modò pœnitentem ita suorum peccatorum pœniteat, ut si adverteret ad futura, proponeret ea nunquàm iterare, ut notat Sylvius, post Navarrum.

## II.

### *An Contritio debeat esse supernaturalis.*

Contritio illa dicitur supernaturalis, quæ elicitur tum ex motivo supernaturali seu per fidem cognito, tum ex supernaturali principio gratiæ actualis, sive prævenientis, sive adjuvantis.

### PROPOSITIO.

*Contritio ad sacramentum Pœnitentiæ sufficiens debet esse supernaturalis, tum ratione principii, tum ratione motivi.*

*Prob.* 1.ª *pars*, quæ est de fide, *ex Conc. Trid.* Sess. 6, can. 3 : *Si quis dixerit sine præveniente Spiritûs Sancti inspiratione atque ejus adjutorio, hominem.... pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur; anathema sit.*

*Prob.* insuper ex Concilio Arausicano II, can. 7. Idem habent multi alii canones contra Pelagianos editi, et Patres contra eos disputantes, inter quos S. Augustinus sic loquitur, lib. 2 de Peccat. merit. cap. 18, n. 31 : *Quòd à Deo nos avertimus, nostrum est; quòd verò ad Deum nos convertimus, nisi ipso nos excitante et juvante non possumus.*

Accedit etiam censura hujus propositionis, damnatæ ab Innoc. XI, *Probabile est sufficere attritionem naturalem, modò honestam;* cui notam hæreseos affixit Clerus Gallicanus, anno 1700.

*Prob.* 2.° *Ratione.* Aliqua debet esse proportio inter dispositionem pœnitentis et effectum ad quem disponit : porrò nulla est proportio inter dolorem solis naturæ viribus elicitum, et supernaturalem effectum, nempè peccatorum remissionem, ad quam contritio pœnitentis disponit; ergo, etc.

*Prob.* 2.ª *pars*, quæ est certissima, et ab omnibus Confessoribus admittitur in praxi; namque ea esse debet contritio ad justificationem necessaria quæ peccatorem reducat ad Deum ut finem supernaturalem, à quo per peccatum recesserat : porrò motivum naturale ad finem supernaturalem non excitaret; ergo, etc. Hùc etiam spectare videtur censura propositionis in probationibus 1.æ partis allatæ.

*Nota.* Contritionis motivum sedulò distingui debet ab occasione quâ homo ad pœnitentiam movetur : sic Ninivitæ occasione et metu subversionis suæ urbis, quam Jonas Propheta imminere annuntiabat, in sacco et cinere pœnitentiam egerunt; sed, intùs movente Spiritu Sancto, illorum contritio ad ordinem supernaturalem evecta fuit. Eodem modo, multi morbo vel alio quocunque temporali damno, veluti flagello quodam excitati, occasionem habent ad Deum sese convertendi et, per verum et supernaturalem de peccatis suis dolorem, illum placandi.

## III.

### *An Contritio debeat esse universalis.*

Contritio universalis ea est quæ ad omnia peccata extenditur nullo excepto.

#### PROPOSITIO.

*Necessaria est contritio vel attritio universalis de omnibus peccatis saltem mortalibus.*

Certissima est propositio.

*Prob.* 1.° Ex Conc. Later. II, sub Innoc. II, can. 22, falsam pœnitentiam esse constat, *cùm, spretis pluribus, de uno solo pœnitentia agitur; aut cùm sic agitur de uno, ut non discedatur ab alio.* Iisdem verbis id habet etiam Conc. Melphitanum sub Urbano II, can. 17.

Idem habet Greg. VII, Pontifex Maximus, lib. 7, Epist. 7: *Infructuosam enim pœnitentiam dicimus, quæ ita accipitur, ut in eâdem culpâ vel simili, deteriori vel parùm minori permaneatur.*

*Prob.* 2.° Quia ex Trid. Sess. 14, cap. 4, requiritur dolor, qui efficaciter tendat ad reconciliationem cum Deo obtinendam: talis autem dolor continet aversionem ab omni peccato mortali, cum quo gratia reconciliationis stare nequit. Et verò, ex eodem Trid. dolor sufficiens ad justificationem in sacramento obtinendam, debet esse talis, ut voluntatem peccandi excludat; ergo debet ad omnia peccata extendi. Ratio à priori est, quia unum peccatum mortale non potest remitti sine alio, et ex Dei ordinatione nullum remittitur nisi per pœnitentiam. Si quis

ergo de peccato mortali etiam inculpabiliter omisso non doleat, neque illius, neque aliorum obtinet remissionem.

Porrò dolor potest esse universalis dupliciter: 1.° quidem ita ut tot eliciantur doloris actus, quot commissa sunt peccata, et hic modus non est necessarius, nisi fortè quis detestetur peccatum ex motivis particularibus, et cuique peccato propriis: sic, v. g., qui detestatur homicidium ob propriam ejus turpitudinem, non ideò detestatur furtum, imò potest simul habere propositum furandi. 2.° Dolor potest esse universalis, ita ut unus tantùm eliciatur doloris actus ex motivo universali et communi omnibus peccatis, v. g., quia peccatum est offensa Deo injuriosa, vel quia Deo displicet; qui enim ex tali motivo vel simili, secundùm totam suam amplitudinem apprehenso, peccatum detestatur, virtualiter omnia peccata detestatur, etiamsi de illis actu non cogitet, et hic modus sufficiens est ad valorem et effectum sacramenti.

Colliges ad dolorem universalem non requiri necessariò, per se loquendo, distinctam peccatorum cogitationem, sed confusam sufficere, imò unius peccati cogitationem actualem sufficere posse ad detestationem virtualem omnium: attamen ratione obligationis confitendi, restituendi, removendi occasiones, etc., necessaria est distincta peccatorum recogitatio.

Dixi in propositione, *de omnibus saltem mortalibus peccatis;* cùm enim mortalia sine venialibus remitti possint, necessarium non est ut dolor ad venialia extendatur ad hoc ut absolutio à mortalibus sit valida, licèt utilissimum illud sit. Sedulò tamen observandum est 1.° quòd si

pœnitens nonnisi venialia confiteatur, de uno saltem ex illis dolere debet, ne invalidum fiat sacramentum defectu contritionis, quæ est illius pars essentialis, ut jam dictum est. Observandum 2.° non turbandos esse fideles *timoratos*, quasi contritionem non habuerint de venialibus, ex eo quòd in eadem sæpè labuntur; id enim potiùs humanæ fragilitati quàm defectui contritionis tribuendum est.

## IV.

### *An Contritio debeat esse summa.*

Triplici modo dolor potest esse summus: 1.° *intensivè*, quandò maximus est et vehementissimus, et plures habet gradus intensionis; 2.° *extensivè*, quandò multùm durat; 3.° *appretiativè*, quandò scilicet pluris æstimatur fuga peccati, quàm alterius cujuslibet mali, et cùm quis detestatur peccatum supra omne aliud malum, et proponit omnia pati potiùs ac perdere, quàm peccare.

### PROPOSITIO PRIMA.

*Ad veram contritionem non requiritur necessariò dolor summè aut multùm intensus.*

Ita communiter Doctores.

*Prob.* 1.° Quia hanc conditionem nec Script. nec Concilia requirunt; ergo sine fundamento adstruitur ejus necessitas.

*Prob.* 2.° *ex SS. PP.*, inter quos S. Chrysost. relatus in Jure Canonico, cap. *Talis*, de Pœnitentiâ, dist. 3, sic ait: *Talis, mihi crede, talis est erga homines pietas Dei. Nunquàm spernit pœnitentiam, si ei sincerè et simpliciter*

*offeratur ;... quantulamcunque et quamlibet brevi tempore gestam non respuit, suscipit etiam ipsam, nec patitur quamvis exiguæ conversionis perdere mercedem.* S. Leo, Epist. 91 : *Misericordiæ Dei*, inquit, *nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera conversio.*

*Prob.* 3.° *Rationibus theologicis.* 1.ª Neque in actibus aliarum virtutum, fidei, spei, etc., ut satisfiat præcepto, neque ad peccatum ut sit mortale, requiritur intensitas; ergo neque in actu pœnitentiæ. Et reverà, contritio in quolibet gradu vera est contritio; ergo ad sacramentum vera est dispositio. 2.ª Si quis intensionis gradus ad validitatem sacramenti in contritione requireretur, gradus ille assignari deberet, alioquin et confessarius de absolutionis validitate, et pœnitens de sufficientiâ suæ contritionis anxii et dubii semper forent : porrò gradus ille intensitatis assignari nequit.

*Obj.* 1.° Joelis c. 2, ℣. 12 : *Convertimini ad me in toto corde vestro ;* ergo requiritur dolor summus intensivè, seu summus conatus voluntatis.

*Resp.* has voces, *In toto corde vestro*, non significare summum voluntatis conatum, sed integritatem cordis, ita ut sit totum Deo dicatum, non autem divisum, et nihil admittat amicitiæ divinæ contrarium : sicut totâ manu aliquid tenere dicimur, quamvis non totâ intensione, nec magno conatu illud teneamus.

*Obj.* 2.° SS. PP. requirunt dolorem summè intensum : S. Cypr. tract. de Lapsis : *Quàm magna deliquimus*, inquit, *tam granditer defleamus..... Pœnitentia crimine minor non sit.* S. Amb. ad Virginem lapsam, cap. 8 : *Fortiùs*

*est dolendum, quia fortius est peccatum; ergo*, etc.

*Resp.* SS. PP. nihil aliud velle, nisi ut servetur proportio quæ inter ipsa peccata reperitur, quantùm ad eorum gravitatem, ut scilicet majora magis detestemur: at indè non sequitur certum intensionis gradum esse ad contritionem necessarium.

### PROPOSITIO II.

*Ad veram contritionem non requiritur ut certo tempore duret, sed uno instanti perfici potest.*

Hæc propositio est etiam certissima, et probatur iisdem auctoritatibus et rationibus ac præcedens: sed speciatìm, 1.° *ex Script.* Isaiæ. c. 30, juxta LXX Interpretes: *Cùm conversus ingemueris, tunc salvus eris.* Et ℣. 19: *Ad vocem clamoris tui statìm ut audierit, respondebit tibi.*

*Prob.* 2.° *ex SS. PP.* S. Cyprianus, aut quilibet alius auctor libri de Cœnâ Domini, inter ejus opera, sic loquitur sub fine: *Nec brevitas temporis, nec horæ extremitas, nec vitæ enormitas (si vera contritio, si pura fuerit voluptatum mutatio), excludit à veniâ.* Cœlestinus I, Papa, Epist. 2 ad Episc. Galliæ, c. 2: *Vera conversio in ultimis positorum, mente potiùs est existimanda, quàm tempore, Prophetâ hoc taliter asserente: Cùm conversus ingemueris, tunc salvus eris.*

### PROPOSITIO III.

*Contritio debet esse* appretiativè *summa.*

Certissima est propositio.

*Prob.* 1.° *ex Script.* Matth. c. 10, ℣. 37:

*Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus.* Et Luc. c. 14, ℣. 26 : *Et non odit,* id est, qui comparatione meî non minùs amat *patrem suum et matrem..., non potest meus esse discipulus.*

*Prob.* 2.° *Ratione.* Ex Trid. Sess. 14, cap. 4, contritio debet excludere omnem affectum ad peccatum, et omnem voluntatem peccandi; ergo debet esse detestatio peccati super omne detestabile, ita ut quis sit paratus quodvis aliud malum subire potiùs aut pati, quàm peccare. Deindè peccatum mortale est omnium malorum maximum; ergo voluntas debet illud detestari supra omnia.

Cæterùm, dupliciter fieri potest hæc æstimatio peccati supra omne aliud malum : 1.° per actualem et expressam comparationem, detestando peccatum plus quàm tribulationem, famem, mortem, etc.; vel proponendo mortem, famem, et omnia mala potiùs perpeti, ac omnia bona perdere, quàm peccare; hæc autem actualis comparatio non est necessaria, et sæpè non expedit. 2.° Hæc æstimatio peccati fieri potest per comparationem virtualem peccati, super omnia detestando peccatum, quatenùs est omni malo detestabilius, scilicet quatenùs est offensa Dei; ex vi enim talis detestationis, si absoluta sit et efficax, ita homo pœnitens est dispositus, ut malit omnia pati aut perdere, quàm peccare : et hoc sufficit.

## § III.

### *De Necessitate Contritionis.*

Tria quæruntur, 1.° an peccatoribus necessaria sit contritio, 2.° quandonàm urgeat contritionis præceptum, 3.° an contritio etiam justis ad remis-

sionem venialium sit necessaria. Primum solvet sequens

PROPOSITIO.

*Contritio peccatoribus per se et regulariter necessaria est, non solùm necessitate medii, sed et præcepti, tum naturalis, tum divini, tum ecclesiastici.*

*Prob.* 1.ª *pars.* Illud est necessarium necessitate medii, sine quo etiam inculpabiliter omisso peccator salvari non potest : atqui sine contritione, etc., peccator justificari, ac proindè salvari nequit, cùm in gratiam Dei redire non possit, quandiù ipsius voluntas à Deo aversa remanet : manebit autem, donec ad Deum contritione revertatur. Hinc 1.° S. August. lib. de duabus Anim. cap. 14 : *Potest aliquis dicere se non peccare ; at nulla est barbaries quæ dicere audeat, non esse pœnitendum, si peccaverit.* Hinc 2.° Conc. Trid. Sess. 14, cap. 4 : *Fuit quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius.*

*Prob.* 2.ª *pars,* nempè necessariam esse contritionem præcepto *naturali,* etc. Præcepto quidem naturali. Dictat enim naturalis ratio compensandam esse injuriam Deo per peccatum illatam : porrò per contritionem compensatur. Præcepto autem divino, ut constat ex multis Script. textibus, imprimìs Ezech. c. 18, ℣. 30; Luc. c. 13, ℣. 3 : *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes... peribitis.* Deniquè, præceptum ecclesiasticum satis ostendit lex Ecclesiæ de annuâ confessione, quæ sine contritione esse non potest.

Dicitur in propositione, *per se et regulariter,* quia, ut benè notat Sylvius, per accidens potest

interdùm sufficere contritio virtualis, qualis in amore Dei super omnia continetur.

Circa 2.am propositam quæstionem, quandonàm scilicet obliget præceptum contritionis, certum est 1.° obligare tum *per se et directè*, ubi instat morale mortis aut perpetuæ amentiæ periculum, cùm aliter peccator suæ saluti consulere non possit; tum *indirectè et per accidens*, quandò scilicet aliter tentatio superari non potest, vel peccator sacramentum aliquod ministrare aut suscipere tenetur, quia aliàs sacrilegium committeret.

Certum est 2.° gravem adesse peccatoribus obligationem non differendi per longum tempus contritionem, juxta Eccli. c. 5, ℣. 8 et 9 : *Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem; subitò enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te.* Illud etiam inculcant SS. PP., dùm acriter invehunt contra eos qui suam conversionem procrastinant; et ratione confirmari potest : quandò enim conversio diù protrahitur, peccator grave incurrit periculum nova peccata committendi, imò et exponitur probabili periculo æternæ damnationis.

Sed quandiù differri debeat contritio, ut hæc dilatio peccatum mortale reputetur, non facilè potest determinari. Attamen certum est etiam contritionis præceptum obligare plus quàm singulis quinquenniis; de eo quippe præcepto idem dicendum est ac de præcepto charitatis, quod plus quàm singulis quinquenniis urget, ut constat ex multis propositionibus ab Innocent. XI et Clero Gallicano proscriptis, imò si æstimanda sit obligatio contritionis ex obligatione confessionis, dicendum est ad minùs quotannis peccatorem teneri

contritionis actum elicere. Si verò ulteriùs quæratur an pluries et quoties in anno, vel mense, urgeat tale præceptum, respondemus id certò et præcisè non posse determinari, ob discrepantes hâc de re Doctorum opiniones; sed relinquendum esse judicio pii et prudentis Confessarii, qui dilationis circumstantias omnes antè ponderaverit. Negat tamen longè major pars Theologorum, præceptum contritionis per se obligare, saltem sub mortali, statìm ac peccatum commissum est, vel memoriæ occurrit, vel singulis diebus dominicis et festis, quamvis illius praxis maximè sit consulenda. Lege *Billuart,* de Pœnitentiâ, pag. 162, et Melchiorem Canum, Relect. de Pœnitentiâ, part. 4. Hìc sufficiat annotare, consultum fore, ut Confessarii pœnitentes interrogent, quandiù fermè distulerint actus contritionis elicere, postquàm in peccatum mortale prolapsi fuerint; sic enim statum pœnitentis meliùs dignoscent.

Circa 3.am quæstionem, an contritio necessaria sit etiam ad remissionem peccatorum venialium, *Resp. affirmativè.* Etenim vel in sacramento Pœnitentiæ vel extra sacramentum eorum obtinetur rèmissio : si in sacramento, requiritur contritio, ut patet ex dictis; si extra sacramentum, utiquè necessaria est, quia nullum peccatum dimittitur, nisi displiceat cum proposito abstinendi. Undè S. August. dicit Epist. 93, ad Vincentium : cap. 13 : *Nec quemquam putes à quocunque seu magno seu parvo ad correctionem sine pœnitentiâ posse transire.*

## ARTICULUS II.

### *De Contritione perfectâ.*

Expendendum 1.° in quo sita sit natura contritionis perfectæ, 2.° an contritio perfecta semper justificet extra sacramentum, 3.° utrùm contritio perfecta necessaria sit dispositio ad sacramentum Pœnitentiæ.

### § I.

### *In quo sita sit natura Contritionis perfectæ.*

Consentiunt Theologi omnes contritionem perfectam eam esse, quæ charitate perficitur, ut habet Trid. Sess. 14, cap. 4. Sed disputant inter se, utrùm charitas, ad hoc ut perficiat contritionem, debeat esse non solùm appretiativè summa, sed etiam intensa : affirmant pauci, negant verò plurimi.

PROPOSITIO.

*Contritio perfecta ea est quæ proficiscitur ex amore Dei propter se, super omnia, seu ex charitate* appretiativè *summâ.*

*Prob.* 1.° Illa contritio perfecta est quæ proficiscitur ex amore qui justificat : atqui amor Dei propter se, super omnia, justificat. Etenim justificat amor Dei *ex toto corde et ex totis viribus*, juxta illud Christi, Luc. c. 10, ℣. 28 : *Hoc fac et vives :* atqui amor Dei propter se, super omnia, est amor ex toto corde et ex totis viribus ; iste enim loquendi modus, ex aliis Scripturæ locis, amorem præcipuum et dominantem præcisè significat. Et verò, vel amor Dei propter se et super omnia, justificat, vel non : si posterius dicatur,

ergo diligens Deum propter se et super omnia poterit damnari, contra istud, *Ego diligentes me diligo*, Proverb. c. 8, ℣. 17, et contra sensum divinæ bonitatis omnibus ingenitum. Nec dicant adversarii damnandum non fore eum qui super omnia Deum propter se diligit, sed nondùm intensè, quia in articulo mortis Deus supplebit defectum sacramenti Pœnitentiæ; hæc enim suppositio est penitùs gratuita, et quidquid Deus promisit charitati, promissum est absolutè et independenter ab articulo mortis.

*Prob.* 2.° Contritio ex amore Dei qui sufficit ad impletionem primi mandati, sanè perfecta est; dictum est enim Matth. c. 17, ℣. 19 : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata,* quæ hoc ipso quo impletur primum, necessariò implentur omnia : atqui ad impletionem primi mandati sufficit amor Dei propter se, super omnia, quod probatur 1. Catechismis, in quibus ad hanc interrogationem, Quid sit charitas, ad quam et primo mandato tenemur, respondent : Est virtus per quam diligimus Deum propter se, et super omnia, et proximum sicut nos, propter Deum. 2. Ex praxi et sensu fidelium, qui putant se fecisse satis primo mandato, si actus amoris Dei propter se et super omnia identidem et sæpè renovent, non curando an sint remissi vel intensi.

*Prob.* 3.° Contritio ex amore Dei perfecto perfecta esse debet : atqui amor Dei propter se perfectus est, quandò est summus appretiativè, etsi non sit intensivè. Namque eodem modo judicandum est de virtute per quam amamus Deum, ac de aliis virtutibus : atqui cæteræ virtutes perficiuntur independenter ab intensione seu gradibus.

*Prob.* 4.° Vel contritio perficitur ex charitate appretiativè summâ, vel etiam ex intensâ : atqui posterius dici nequit. Si enim contritio perficeretur ex charitate intensâ, Deus nobis alicubi revelasset ad quem usque gradum intensionis pervenire debet charitas, ut perfecta sit perficiatque contritionem : atqui Deus nullibi, etc., cùm ipsi adversarii cogantur recurrere ad certum gradum soli Deo notum. Repete quæ diximus suprà, cap. 4, sect. 1, art. 1, § 2, n. 4.

*Obj.* 1.° Marc. c. 12, ℣. 30 : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex totâ animâ tuâ, et ex totâ mente tuâ, et ex totâ virtute tuâ.* Undè sic : Contritio perficitur ex amore Dei perfecto : amor autem Dei perfectus, ex toto corde, ex totâ animâ, ex totâ mente, et ex totis viribus esse debet : porrò amor Dei ex toto corde, etc., est amor non solùm appretiativè, sed etiam intensivè summus; ergo, etc.

*Resp. Nego* quòd amor Dei ex toto corde, etc., sit amor etiam intensivè summus; namque in hâc phrasi verba, *ex toto corde*, etc., significant totalitatem appretiationis, et non intensionis, neque durationis, ita ut teneamur totalitate appretiationis diligere Deum propter se, super omnia, non autem summo conatu actus contritionis elicere, nec etiam in illis continuò et actualiter perseverare.

*Obj.* 2.° Ex Catechismo Concilii Tridentini : *Quis ignorat* (ad hoc ut peccata contritione deleantur) *illam adeò vehementem, acrem, intensam esse oportere, ut doloris acerbitas cum sceleris magnitudine æquari... possit?* de Sacram. Pœnit. n. 46; ergo contritio perfecta non est nisi summa sit etiam intensivè.

*Resp.* 1.° Si auctores Catechismi ita docuerint, non tenemur eis assentiri, ut ait Tournelius; agitur enim de opinione liberæ Theologorum disputationi permissâ.

*Resp.* 2.° Verba nobis objecta possunt intelligi de contritione appretiativè summâ, quæ ideò vehemens et acris dicitur, quia ordinariè non potest elici à magnis peccatoribus, absque magnis conatibus, propter impedimenta quæ superari debent. Hunc esse sensum textûs qui nobis objicitur, probari potest ex loquendi modo quem adhibent auctores Catechismi ad suam assertionem comprobandam: *Quis ignorat*, etc.; ergo loquuntur de re inconcussâ, ab omnibus concessâ: atqui nedùm in confesso sit apud omnes contritionem, ad hoc ut extra sacramentum justificet, non solùm appretiativè, sed etiam intensivè summam esse debere, imò contrarium frequentiùs tenetur; ergo, etc.

## § II.

### *Utrùm Contritio perfecta justificet extra sacramentum.*

Negantem habemus Estium cum paucissimis. Contra quos, sit

#### PROPOSITIO.

*Contritio perfecta statìm reconciliat peccatorem, etiam extra casum necessitatis, antequàm Pœnitentiæ sacramentum actu suscipiatur.*

*Prob.* 1.° *ex Script.* Ezechiel. c. 33, ℣. 12: *Impietas impii non nocebit ei, in quâcunque die conversus fuerit.* Undè sic: Deus per hæc

verba promittit impio veniam statìm à conversione suâ obtinendam : atqui per contritionem perfectam peccator verè, imò perfectè convertitur ; ergo statìm veniam consequitur.

*Prob.* 2.° *ex SS. PP.* S. Chrysost. lib. 1 de Repar. laps. cap. 4 : *Pietas Dei nunquàm spernit pœnitentiam, si ei sincerè et simpliciter offeratur, et quamlibet brevi tempore gestam suscipit.* S. Leo Epist. 91 : *Apud Deum nullas patitur veniæ moras vera conversio :* sed ubi est contritio perfecta, ibi est vera pœnitentia, vera conversio; ergo, etc.

*Prob.* 3.° *ex Conc. Trid.* Sess. 14, cap. 4 : *Etsi contritionem hanc aliquandò charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare priusquàm hoc sacramentum actu suscipiatur,* etc.; ergo contritio, ubi perfecta est, peccatorem reconciliat; adverbium enim, *aliquandò,* non cadit in verba, *Deo reconciliare,* sed in ista, *perfectam esse :* ita ut sensus sit, contritionem esse aliquandò perfectam, ipsamque, quandò perfecta est, semper reconciliare peccatorem.

*Prob.* 4.° *Ratione theologicâ.* Contritio perfecta statìm et in omni casu justificabat, in antiquâ lege ; tunc enim erat aliquod medium ad justificationem, quod aliud, præter contritionem perfectam, fingi non potest ; ergo nunc etiam ita justificat, quia per institutionem sacramenti Pœnitentiæ, nihil contritioni perfectæ detractum est.

*Obj.* 1. Perfectâ contritione afficiebatur peccatrix, Luc. c. 7, ℣. 37, quæ ad Jesum accessit, ejus pedes lavit, et capillis suis extersit : atqui tamen veniam peccatorum non priùs consecuta

est, quàm à Christo audiret : *Remittuntur tibi peccata ;* ergo, etc.

*Resp. Nego min.* Cùm enim mulieri peccatrici dixit Christus, *Remittuntur tibi peccata*, his verbis tantùm declarare voluit eam peccatorum remissionem, quam per dilectionem perfectam mulier jam consecuta erat ; sicut alteri quam à profluxu sanguinis jam sanaverat, dicit, Marc. c. 5, ℣. 34 : *Esto sana à plagâ tuâ*, nempè ut palàm declaret et confirmet sanitatem quam mulieri propter suam fidem jam concesserat.

*Obj.* 2.° Sanè Paulus in viâ Damasci prostratus et dicens : *Domine, quid me vis facere ?* perfectè contritus erat : atqui tamen statìm justificatus non est, cùm post triduum ipsi dixerit Ananias : *Baptizare, et ablue peccata tua ;* ergo, etc.

*Resp. Nego min.*, cujus falsitas constat ex SS. PP. et ex communi sensu Interpretum, post D. Thomam, 1.ª 2.æ, quæst. 112, art. 2, ad 2.um Ad probationem *minoris, dico* verba Ananiæ ad summum probare Ananiam ignorasse perfectàm Pauli contritionem.

*Obj.* 3.° S. Aug. tract. 13 in Joan. : *Quantumcunquè Catechumenus proficiat, non ei dimittetur iniquitas, nisi cùm venerit ad Baptismum ;* ergo contritio perfecta extra sacramentum non justificat.

*Resp. Nego cons.* Ibi loquitur Augustinus de Catechumenis qui, suis bonis operibus confidentes, negligebant Baptismi susceptionem ; de illis autem meritò pronuntiabat, quòd illi, quantumvìs proficere sibi viderentur, sarcinam iniquitatis adhuc portarent. *Neque* enim, ut lo-

quitur S. Doctor, lib. 4 de Bapt., *ullo modo dicenda est conversio cordis, cùm Dei sacramentum contemnitur.*

*Nota.* Nonnulli ex SS. PP., speciatim SS. Gregorius et Fulgentius, sensisse videntur neminem, *extra casum martyrii,* sine Baptismo *in re* salutem consequi posse, quæcunque sit eorum contritio. Hæc opinio paucissimorum fuit, et constanti Ecclesiæ doctrinæ contradicit. Et reverà, ipse Estius admittit contritionem perfectam, non solùm in casu martyrii, sed *urgente aliâ quâcunque necessitate,* sufficere ad remissionem peccatorum obtinendam, sine susceptione Baptismi, aut sacramenti Pœnitentiæ.

## § III.

### *An Contritio perfecta sit necessaria in sacramento Pœnitentiæ.*

#### PROPOSITIO.

*Contritio perfecta non est dispositio ad sacramentum Pœnitentiæ necessaria.*

Est contra plurimos veteres Theologos.

*Prob.* 1.° *ex Script.: Quorum remiseritis, etc.* Undè sic: Sacramentum Pœnitentiæ, ut potè institutum ad remissionem peccatorum, non potest exigere, tanquam dispositionem præviam, contritionem peccati certò remissivam: atqui, ex dictis, perfecta contritio dimittit peccata; ergo, etc.

*Prob.* 2.° *ex SS. PP.* S. Chrys. Hom. 5 de Verbis Isaiæ; S. Bernardus, Serm. de Nat. SS. Petr. et Paul.: *Præcedit sententia Petri sententiam cœli:* atqui contrarium eveniret, si

contritio perfecta et per se justificans prævia foret ad absolutionem dispositio ; ergo , etc. Et verò , Augustinus , Epist. 80 , ad Honoratum , exaggerat periculum quod imminet fidelibus moribundis , quibus à Pastoribus suis deseri contingit : atqui nihil aut ferè nihil est quod timeant illi , ob desertionem Pastorum , si contritio perfecta , quæ statìm justificat , prævia sit ad sacramentum dispositio. Vel enim hanc contritionem perfectam habent moribundi , vel non habent : si prius , salvabuntur , quantumvìs deserantur à Pastore suo ; si posterius , damnabuntur quidem , sed nihilominùs damnarentur , licèt præsens foret Pastor , cujus absolutio prodesse nequit iis qui carent dispositione necessariâ.

*Prob.* 3.° *Ratione theologicâ.* Non est difficilior in novâ lege remissio peccatorum , quàm in veteri : atqui tamen difficilior foret , in sententiâ adversariorum ; nunc enim ad remissionem peccati necessaria esset contritio perfecta , simul et confessio , antiquitùs autem sufficiebat contritio perfecta.

Accedit auctoritas Cleri Gallicani , qui sic statuit in Comitiis anni 1700 : *Ne quis putet in utroque sacramento , Baptismo et Pœnitentiâ , requiri ut præviam contritionem , illam quæ sit charitate perfecta , et quæ cum voto sacramenti , antequàm actu suscipiatur , hominem Deo recônciliat.*

## ARTICULUS III.

### *De Contritione imperfectâ , seu Attritione.*

Contritio imperfecta , seu attritio , est animi dolor de peccato commisso , ex motivo supernaturali

turali quidem, inferiori tamen motivo charitatis perfectæ. Attritio concipi potest ex multiplici motivo, scilicet, vel ex turpitudine peccati, nimirùm ex oppositione quam habet cum rectitudine supernaturali, quam fides commendat, vel ex metu gehennæ, seu amore beatitudinis, vel ex motivo gratitudinis, etc.

De attritione ex metu conceptâ lis unicè movetur, et quæritur, 1.° utrùm bona sit et laudabilis; 2.° an sufficiat hujusmodi attritio ad justificationem in sacramento Pœnitentiæ obtinendam, aut insuper aliquis requiratur amor; 3.° qualis amor sit necessarius.

## § I.

### *Utrùm Attritio ex metu gehennæ bona sit et laudabilis.*

Triplex distinguitur timor : 1.° timor *filialis*, quo quis dolet de peccato, aut abstinet ab eo, ex amore Dei vel justitiæ; 2.° timor *simpliciter servilis*, quo quis dolet de peccato, vel abstinet ab illo, ex metu gehennæ præcisè, abstrahendo scilicet ab eo quod faceret, si fortè non esset gehenna; 3.° timor *serviliter servilis*, quo quis dolet de peccato, vel ab eo abstinet, ex metu gehennæ, ita conditionatè affectus ut vellet peccare, si non esset gehenna. Timor filialis certè bonus est : serviliter servilis indubiè malus; ergo de simpliciter servili quæstio tantùm esse potest.

Juxta Lutherum, timor ille malus est, quia coactus, faciens hominem peccatorem magis, et hypocritam. Juxta Baium, Jansenium et Quesnellum, malus etiam est, 1.° quia non datur medium inter laudabilem charitatem, et vitiosam cupiditatem; 2.° quia includit actualem et con-

ditionatam peccandi voluntatem, saltem implicitam. Contra illos omnes, sit

PROPOSITIO.

*Attritio ex solo gehennæ metu concepta, seu timor* simpliciter servilis, *bonus est, utilis et laudabilis.*

*Prob.* 1.° *ex Script.* Ps. 110 : *Initium sapientiæ timor Domini.* Undè sic : Timor de quo ibi agitur, bonus est, cùm sit initium sapientiæ : atqui timor ille est simpliciter servilis. Vel enim ibi agitur de timore simpliciter servili, vel de timore filiali : atqui non de filiali, qui non est initium sapientiæ, sed consummatio; ergo, etc. Et in hoc sensu S. Aug. in Ps. 149, hunc textum intelligit : *Nisi timore, inquit, incipiat homo Deum colere, non perveniet ad amorem; initium enim sapientiæ timor Domini.*

*Prob.* 2.° *ex Tradit.* Clemens Alex. lib. 7 Strom. : *Justitia est duplex, una quidem propter charitatem, alia verò propter metum. Jam verò abstinentiam à malis operatur qui timet.* S. Aug. Serm. 156, n. 14 : *Qui adhuc ideò benè agit, quia pœnam timet, Deum non amat. Utinam tamen vel pœnam timeat ! Timor, servus est ; charitas, liber est; et, ut sic dicamus, timor est servus charitatis... Fac, fac, vel timore pœnæ, si nondùm potes amore justitiæ. Veniet dominus, et servus abscedet, quia consummata charitas foràs mittit timorem.* Ita non minùs disertè loquitur S. Doctor in Ps. 27, n. 7; Serm. 161 aliàs 18, de Verbis Apostoli, et aliis in locis.

*Prob.* 3.° *ex Conc. Trid.* Sess. 14, cap. 4 : *Declarat sancta Synodus... illam Contritionem*

*imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ et pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ : ... non solùm non facere hominem hypocritam et magìs peccatorem, verùm etiam donum Dei esse, et Spiritûs Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat.*

*Prob.* 4.° *Ratione.* Timor servilis tria importat : 1.° fugam gehennæ, quæ instar finis se habet in actu timoris; 2.° odium peccati, quod est medium ad finem obtinendum; 3.° deniquè ordinationem hujus medii ad prædictum finem : atqui hæc tria bona sunt. 1.° Quidem bona est gehennæ fuga, et eò melior quò gehenna in se pejor est. 2.° Bonum est odium peccati, ut per se patet. 3.° Bonum est ordinariè odium et fuga peccati ad vitandam gehennam, quia odium et fuga peccati, quod est causa gehennæ, medium est idoneum ad vitandam gehennam.

*Prob.* 5.° speciatim contra Baium et Jansenium, quia falsum est illorum principium, nullum dari medium inter laudabilem charitatem et vitiosam cupiditatem, ut probatum est in *Tract. de Gratiâ.*

Hinc meritò Doctrina Synodi Pistoiensis, inter damnatas n. 25, eo sensu intellecta quòd « timor » ipse gehennæ, quam fides docet peccato infli» gendam, non sit in se bonus, et utilis, velut » donum supernaturale, ac motus à Deo inspi» ratus, præparans ad amorem justitiæ, » reprobata est à Sum. Pontif. Pio VI in Constit. *Auctorem fidei,* tanquam « falsa, temeraria, perni-

» ciosa, divinis donis injuriosa, aliàs damnata, » contraria doctrinæ Concilii Tridentini, tum et » communi PP. sententiæ. »

*Obj.* 1.° II Timoth. c. 1, ℣. 7 : *Non dedit nobis Deus spiritum timoris, sed dilectionis;* ergo, etc.

*Resp.* Indè tantùm sequitur, spiritum charitatis prævalere in novâ lege, non verò in eà timorem excludi : *Utrumque*, ait S. Aug. de Moribus Eclesiæ, cap. 28, *in utroque est; prævalet tamen in veteri timor, amor in novo.*

*Inst.* Timor opponitur charitati, et ab eà expellitur, juxta hæc S. Joannis verba, *Perfecta charitas foràs mittit timorem;* ergo, etc.

*Resp. Dist.* Opponitur charitati, et ab eà expellitur, ut minùs perfectum à perfecto, prout fides expellitur à visione beatificâ, *conc.;* excluditur tanquam aliquid vitiosum, *nego.* Ita S. Aug. Tract. 9 in Joan. : *Timor*, inquit, *quasi locum præparat charitati..... Quantùm illa crescit, ille decrescit..... sicut videmus per setam introduci linum...; seta priùs intrat, sed nisi exeat, non succedit linum; sic timor primò occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideò intravit, ut introduceret charitatem.*

*Obj.* 2.° plura S. Aug. loca in quibus timorem servilem carpit, quasi semper includat voluntatem peccandi conditionatam, si non esset gehenna; ergo ex S. Aug. probari non potest timorem servilem esse bonum.

*Resp.* Quia nimis longum foret omnia S. Doctoris testimonia sigillatìm explicare, satis erit hìc unum et alterum præmittere solutionis principium, quod variis textibus ex S. Aug. objici solitis applicari potest. 1.° Dici nequit S. Doctorem

sibimetipsi contradicere; ergo cùm ex ipso protulerimus testimonia quæ nostræ sententiæ favent, sequitur ea quæ in contrarium objiciuntur, explicari posse et debere. 2.° Quia sæpè contingit in iis qui solo metu aguntur, conditionatam reperiri voluntatem malè operandi, si non esset pœna, ideò S. Aug. in servilem pluries debacchatur timorem, quasi semper ejusmodi includeret voluntatem. Undè verba ipsius probant timorem serviliter servilem esse malum; timori autem simpliciter servili minimè præjudicant. 3.° Ut aliquid contra nos probetur ex S. Aug, non sufficit allegare testimonia ex ipso desumpta, in quibus servilem carpit timorem, quia, ut jam dixi, timor ille habet sæpiùs malam servilitatem adjunctam; sed requiritur ut ex S. Doctore clarè constet nunquàm fieri posse ut qui ex solo gehennæ metu peccatum fugit et adversatur, non peccet.

*Obj.* 3.° Ille timor malus est, qui adjunctam habet peccandi voluntatem, si non esset gehenna: atqui talis est timor simpliciter servilis; namque mercator qui projicit merces suas in mare, ex solo metu naufragii, vellet eas servare, si non esset tempestas; ergo à pari, qui ex solo metu gehennæ fugit peccatum, vellet illud committere, si non esset gehenna.

*Resp. Nego min.* et ad probat. *Nego cons. et parit.* Disparitas est quòd depositio affectûs conditionati ad merces, non sit necessaria ad vitandum naufragium; ad gehennam verò devitandam, non sufficit peccatum exteriùs fugere, sed etiam oportet abjicere omnem peccandi voluntatem.

*Obj.* 4.° Timor simpliciter servilis non excludit voluntatem peccandi; ergo non est bonus.

*Resp.* 1.° *Nego consequent.* Nam etsi timor ille voluntatem peccandi non excluderet, non ideò malus esset : ut malus non sit, satis est quòd peccandi voluntatem non includat. Certè actus fidei bonus est : atqui tamen voluntatem peccandi, per se, non excludit. Cæterùm, in iis qui operando ex metu, conditionatam admittunt voluntatem peccandi si non esset pœna, in iis, inquam, hæc mala voluntas non est vitium timoris, qui in se bonus est, sed timentis.

*Resp.* 2.° *Nego ant.* Timor simpliciter servilis non potest quidem immediatè per seipsum excludere peccatum habituale, seu peccati maculam, ad hoc enim requiritur charitas seu contritio perfecta extra sacramentum Pœnitentiæ, imperfecta autem intra illud. At potest excludere voluntatem peccandi, non solùm negativè, ita ut non includat illam, sed etiam positivè, eo sensu quòd ex solo metu gehennæ possimus formare propositum non peccandi mortaliter de cætero. Illud probatur ex textu Conc. Trid. suprà allato, in quo sermonem habens de attritione ex solo metu gehennæ conceptâ, dicit eam disponere ad justificationem obtinendam in sacramento, *si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ;* quæ verba Concilii, licèt quidam, teste Concinâ, intellexerint de exclusione negativâ tantùm, meliùs tamen sensu exclusionis positivæ accipiuntur, ut constat 1.° ex ipsâ vi terminorum; 2.° ex circumstantiis : cùm enim Concilium ibi loquatur de contritione è solo metu conceptâ, disponente ad justificationem in sacramento recipiendam, quæ firmum non peccandi de cætero exigit propositum, meritò censeri debet per hæc verba de attritione dicta, *si voluntatem peccandi excludat,* intellexisse ex-

clusionem voluntatis peccandi positivam, quæ in firmo proposito consistit.

## § II.

*An Attritio ex metu gehennæ concepta sufficiat in sacramento Pœnitentiæ, ut peccator Deo reconcilietur.*

Quamvis ante Tridentinum communiter Theologi docuerint, ad Dei gratiam in sacramento Pœnitentiæ obtinendam, satis esse contritionem imperfectam, quam jam tunc attritionem nuncupabant; attritionis tamen nomine nunquàm intellexerunt dolorem de peccatis aliundè excitatum quàm ex motivo charitatis, seu omninò sejunctum ab aliquo saltem remisso, tenui, debili, seu initiali amore Dei. Omnium primi, Franciscus Victoria, et Dominicus Soto, docuerunt ad peccatorum remissionem virtute clavium assequendam, satis esse attritionem servilem, seu conceptam ex solo metu gehennæ, modò tamen à pœnitente bonâ fide credatur contritio. At Melchior Canus eam prætereà extendit ad attritionem merè servilem sic cognitam, id est, quæ à pœnitente non existimatur vera contritio.

Melchioris Cani sententia vix nata scholas omnes pervasit, et tanto plausu excepta est, ut plurimos ac magni nominis statìm invenerit patronos, et præsertim Franciscum *Suarez*, et Gabrielem *Vasquez*, quos innumeri secuti sunt Theologi: adeò ut, tempore Alexandri VII, inter Scholasticos *communior videretur*. Illud constat ex hujus Summi Pontificis decreto 5 Maii 1667, quo sub pœnâ excommunicationis latæ

sententiæ, Sedi apostolicæ reservatæ, prohibet ne alterutri opinioni neganti vel asserenti necessitatem aliqualis dilectionis Dei in præfatâ attritione ex metu conceptâ, ulla theologica censura aut contumeliæ nota inuratur. Hactenùs fermè Benedictus XIV, de Synodo diœcesanâ, lib. 7, cap. 13. Quibus historicè præmissis, sit vulgata nunc in scholis opinio.

PROPOSITIO.

*In sacramento, ad reconciliationem peccatoris, insufficiens est attritio quæ adjunctum non habet aliquem Dei amorem.*

Ex variis argumentis quæ in gratiam hujus propositionis congerunt Theologi, efficaciora seligimus.

*Prob.* itaque 1.° *ex Concilio Tridentino* quod Sess. 6, cap. 6, loquens de adultorum dispositionibus justificationi per Baptismum adipiscendæ præviis, sic habet : *Disponuntur ad justitiam, dùm excitati divinâ gratiâ... liberè moventur in Deum..., illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversùs peccata, per odium aliquod et detestationem.* Undè sic : Dispositio adultis necessaria ad obtinendam justificationem in sacramento Baptismi, à fortiori necessaria est in sacramento Pœnitentiæ, quod est Baptismus laboriosus et minùs efficax quàm Baptismus aquæ : porrò, ex citato textu, in Baptismo requiritur aliquis amor ad justificationem adultorum ; ergo, etc.

*Prob.* 2.° *ex Clero Gallicano.* In Comitiis anni 1700 : *De dilectione Dei, duo ex Concilio*

*Tridentino docenda esse duximus : alterum ne quis putet in sacramento Pœnitentiæ securum se esse, si, præter fidei et spei actus, non incipiat diligere Deum tanquam omnis justitiæ fontem.*

*Prob.* 3.° *Ratione theologicâ.* Ubi agitur de sacramenti cujusdam materià, aut saltem de dispositione ad ipsum necessarià, illa sententia admittenda non est, quæ est nova et minùs tuta: atqui 1. nova est sententia quæ affirmat in sacramento Pœnitentiæ sufficientem esse attritionem ex solo pœnarum æternarum metu conceptam, ut constat ex suprà prænotatis Bened. XIV, de Syn. diœces. lib. 7, cap. 13. 2. Est minùs tuta, cùm ex adversariis multi, inter quos *Suarez*, ingenuè fateantur periculi non expertem esse suam opinionem, et idcircò non tenendam in articulo mortis; ergo, etc.

*Nota.* Quæcunque solent objici in gratiam sufficientiæ attritionis ex solo metu conceptæ, non elidunt vim probationum quas modò attulimus : undè meritò infertur hanc opinionem saltem maximè incertam esse. Porrò, ut rectè admonet Clerus Gall. in prædictis Comitiis anni 1700, *Caveri debet à sacramenti Pœnitentiæ administris, ne in hoc Pœnitentiæ sacramento aliisque sacramentis conferendis, sequantur opiniones probabiles de valore sacramenti, relictâ tutiori; neve pœnitentes ipsorum fidei animam suam committentes admonere cessent, ut in pœnitendo saltem dilectionis Dei ineant viam, quæ sola secura sit, graviter peccaturi in hoc salutis discrimine, vel eo solo quòd certis incerta præponant* (*Procès-verbaux des assemblées du Clergé, Pièces justificatives*, pag. 214).

## § III.

*Quis et qualis esse debeat amor in sacramento Pœnitentiæ requisitus.*

Hactenùs probavimus necessitatem dilectionis initialis ad justificationem in Pœnitentiæ sacramento obtinendam ; nunc quàm brevissimè dicendum est quid sit illud dilectionis initium.

Hâc de re multiplex est opinio Theologorum. 1.ª Sententia dilectionem initialem intelligit de amore Dei *propter se* (seu in se boni), qui sit super omnia, appretiativè summus, sed in gradu remisso. Hæc opinio rejicienda videtur, ex suprà probatis, ubi de Contritione perfectâ, contritio quippe concepta ex amore Dei *propter se*, et super omnia, in quocunque gradu, verè perfecta est, et justificat extra sacramentum.

2.ª Sententia amorem initialem accipit pro amore spei, seu concupiscentiæ, quo scilicet Deum diligimus *propter nos* (seu ut nobis bonum). Illa sententia, quæ multos habet patronos, à multis rejicitur, ut potè quæ non satis congruere videatur menti Conc. Trid. Etenim 1.° PP. Tridentini, inter dispositiones justificationi prævias, quas Sess. 6, cap. 6 exponunt, jam immediatè anteà recensuerant amorem spei, per hæc verba, *In spem eriguntur,* etc. : spes autem amorem spei includit, cùm nemo id speret quod non amat tanquam *sibi bonum.* 2.° Per illud *initium dilectionis* significatur amor quem ipsi decreti præformatores intellexerunt : porrò per illud *dilectionis* initium ii intellexerunt amorem *charitatis*, seu Dei propter se dilecti. Sic enim Pallavicinus, Hist. Conc. Trident.

lib. 8, c. 14, inducit eos loquentes, ibi *sermonem esse de quodam charitatis actu.* 3.° Initialis hæc dilectio ipsa est quam decreto inseri postulârunt quidam Theologi, quorum votis annuit Conc. Trident., teste Pallavicino: atqui, ex eodem, lib. 8, c. 13, *postulârunt ut aliquis charitatis actus insereretur.* Addunt istius opinionis impugnatores declarationis Cleri Gall. auctoritatem, inter probationes præcedentis propositionis relatæ, quam de initiali charitate propriè dictâ intelligi volunt, ut infrà in expositione quartæ sententiæ dicemus.

3.ª Sententia initium dilectionis interpretatur de influxu, sive de actu amoris Dei propter se, qui nondùm sit super omnia, quique junctus cum aliis motivis, v. g., cum metu gehennæ, aut beatitudinis amore, facit ut pœnitens detestetur peccatum super omnia, nolitque ampliùs peccare. Placitum istud quorumdam Theologorum multis displicet, 1.° quia talis amor imperfectior est ipso metu gehennæ, vel amore spei, quæ duo motiva tantùm non sufficiunt ex jam dictis: quòd sit imperfectior constare videtur cùm ipse peccandi voluntatem excludere non possit, quod tamen ex solo metu gehennæ, vel amore spei fieri potest. 2.° Quia amor Dei propter se, sed nondùm super omnia, vel consistit in merâ complacentiâ, quæ nullam implendi mandata voluntatem conjunctam habeat, et tunc dici non potest amor Dei: *Si quis* enim, ait Christus, Joan. c. 14, ℣. 23, *diligit me, sermonem meum servabit;* vel consistit in complacentiâ non plenè quidem sed paululùm efficaci, et tunc patroni hujus sententiæ, gradum et extensionem ejus efficacitatis assignare debe-

rent, quod hucusque non fecerunt, nec facient unquàm. 3.° Quia amor ille Dei, si tamen amor dici possit, tam exilis, tam exiguæ perfectionis, est, tam obvius ipsis etiam peccato constanter addictis, ut vix concipi possit quomodò potuerit Deus illum exigere velut complementum necessarium attritionis ex solo metu conceptæ.

4.ª Sententia initium dilectionis esse vult ipsum amoris Dei propter se dilecti desiderium, quo quis, propositâ sibi per fidem bonitate Dei in se, seu absolutâ, illum propter se et super omnia amare desiderat, et ad ejusmodi amorem seipsum, opitulante gratiâ, excitat ac provocat. Hæc sententia, quæ suas quoque difficultates habet, præ cæteris plerisque arridet, 1.° quia feliciùs conciliare videtur generaliter dicta in Scripturis de necessitate charitatis ad justificationem obtinendam in sacramento Pœnitentiæ. 2.° Quia videtur conformior menti Præsulum Gallicanorum, in Comitiis anni 1700; exigunt enim ut pœnitens sit saltem *animo ita præparato, ut ad primum et maximum mandatum exsequendum, opitulante gratiâ divinâ, se excitet ac provocet :* atqui in eo præcisè consistit desiderium amandi Deum propter se super omnia. Et verò, illustrissimus Bossuetius, qui præfatis interfuit Comitiis, non potuit ignorare mentem Cleri Gallicani : atqui per charitatem initialem ipse intellexit desiderium charitatis ex motivo summæ amabilitatis divinæ profectum. Sic enim loquitur, Opuscul. de Doctrinâ Concilii Tridentini circa dilectionem in sacramento Pœnitentiæ requisitam, 2 part., n. 34, pag. 517, tom. 7, edit. Versal. : *Sanè incipit diligere qui desiderat, qui petit, qui enititur ut dilectionem*

*habeat : neque enim quis fidem aut petit, aut desiderat, aut ad eam enititur, nisi ex quibusdam fidei initiis, ita de dilectione dicendum est. An autem jam dilectionem habeat qui cupit, vult et petit, quis sapiens et intelliget hæc? Habet enim suo modo, quippe desiderans, petens et enitens, ex quibusdam sanè dilectionis initiis. Nondùm autem habet, ut habere oportet ad justificationem actu obtinendam; nondùm enim plenè habet qui desiderat, qui petit et enititur ut habeat. Quis ergo ejus status? nempè is quem ex sacro Concilio delineavimus. Nam et petit quod nondùm potest, nempè ut diligat; et facit quod potest, desiderare enim optat, enititur, necdùm plenè fruitur amore justitiæ, sed ad eam tamen præparatur.*

Quidquid sit de veritate hujus vel alterius opinionis, Confessarii pœnitentes ad veram et perfectam contritionem hortentur et excitent : *Id siquidem*, inquit Benedictus XIV, loco suprà citato, *faciendum suadent etiam præcipui auctores, qui pro sufficientiâ doloris ex solo metu gehennæ steterunt. Et quod magìs est, ita fieri præcipit Rituale Romanum, jussu Pauli V editum.*

## ARTICULUS IV.

### *De curâ Ministri in dignoscendâ ac procurandâ Contritione pœnitentis.*

Cùm pœnitentis contritioni omni studio succurrere debeat Confessarius, hoc primum in pœnitente observare debet, si veram peccatorum suorum contritionem habeat : quibus autem signis dolorem hunc agnoscere, quibusve modis procurare valeat, nunc inquirendum.

## § I.

### *Quibus signis Confessarius dignoscere poterit Contritionem pœnitentis.*

Certum est Confessarium debere signis sufficientibus prudenter judicare pœnitentem habere contritionem requisitam, ut eum possit absolvere.

Ratio est quia alioquin, sine hâc sufficienti cognitione, exponeret se periculo absolvendi indignum, et errandi in re tanti momenti.

Signa autem quibus prudenter Confessarius percipere potest contritionem et bonum propositum pœnitentis, sunt ista vel similia. 1.° Si pœnitens rudis non sit, sed satis instructus et eruditus. 2.° Si præparationem adhibuit ante confessionem, scilicet orationem, desiderium veræ contritionis, et piam aliquam considerationem ad eam excitandam. 3.° Si ex motivis contritionis aliquod seriò perpendit. 4.° Si nec necessitate, nec consuetudine ad confitendum est impulsus, sed pio aliquo motivo. 5.° Si peccata confitetur humiliter et exaggeranter, non autem ea minuendo vel excusando. 6.° Si pœnitentiam quamvis difficilem, et monita salutis prompto animo acceptet; hæc enim et similia signa contritionis ordinariè sufficiunt, nisi specialis aliqua ratio dubitandi occurrat, v. g., obligatio restituendi, deserendi occasionem proximam, etc. Majora enim tunc et plura Confessarius habere debet contritionis indicia ut prudenter absolvat, ut posteà dicemus.

## § II.

### *Quibus modis Confessarius procurare debeat in pœnitente Contritionem.*

Certum est sæpissimè obligari Confessarium ad diligentiam exhibendam, ut pœnitens excitetur ad contritionem.

Ratio est quia sæpè contingit ut pœnitens contritionem non habeat, et nisi à Confessario juvetur, non sit habiturus; vel quia omninò rudis est, ac peccata sine ullo doloris sensu, velut historiam quamdam confitetur; vel quia, etsi satis videatur eruditus, peccati tamen magnitudinem, damna ingentia quæ affert, dignitatem læsæ majestatis divinæ, severitatem judiciorum Dei, peccatoris ingratitudinem, etc., nunquàm satis intellexit aut expendit. In his ergo et similibus casibus, evidenter patet diligentiam à Confessario adhibendam esse, ut cum Dei gratiâ et auxilio pœnitentem disponat ad contritionem perfectam, aut saltem imperfectam concipiendam.

Ut autem id feliciter præstet Confessarius, debet 1.° paratas habere rationes urgentes, et motiva è libris spiritualibus hausta, præsertim verò ex meditationibus sanctis, quæ pro diversâ pœnitentis qualitate breviter, clarè et piè studebit ei proponere, ut ad detestationem et emendationem vitæ præteritæ eum excitet. 2. Rationibus illis propositis, interdùm à pœnitente quæret an verè peccatum detestetur, et cum eo actus detestationis peccatorum formabit, ac propositi ea fugiendi in posterum. 3.° Deniquè, talibus motivis propositis, juvabit aliquandò eum differre, et moram aliquam ei concedere, ut per quadrantem aut

semihoram gratiam contritionis à Deo postulet, motiva proposita perpendat, peccata detestetur, et ab eis in posterum abstinere firmiter proponat.

Motiva quæ metum incutiunt, aptiora sunt et magìs congrua rudibus ac peccato assuetis pœnitentibus, v. g., si ipsis benignè sed acriter proponantur 1.° æterna damnatorum supplicia, dæmonum cruciatus, ira Dei omnipotentis, in cujus manus incidere horrendum est. 2.° Si enumerentur bona per peccatum amissa, gratia Dei, filiatio et hæreditas, dona supernaturalia, immensæ divitiæ, etc., quibus anima eorum nudata est, cùm peccato mortua dæmonum hospitium est effecta. 3.° Exhiberi iis poterunt varia peccatorum minùs graviter fortè peccantium supplicia statìm ab ultore Deo immissa : narrabit etiam Confessarius punitionem Angelorum, vel Core et ejus asseclarum, qui vivi absorpti sunt dehiscente terrâ, et in inferis sepulti. Addet eodem ipsos torquendos fuisse jamdiù supplicio, nisi benignitas Dei, qui certè non irridetur, eorum pœnitentiam exspectasset.

Motiva amoris et gratitudinis proponenda sunt intelligentibus, minùsque in malo obfirmatis, v. g., ob oculos eorum poni possunt, 1.° summa Dei majestas, quæ à vili creaturâ contemnitur; infinita bonitas, quæ offenditur ab eo quem bōnis temporalibus et spiritualibus cumulavit, nec cessat cumulare. 2.° Immensa Christi charitas et misericordia, Passionis ejus tormenta, sputa, opprobria, mors ignominiosa pariter et dolorosa pro peccatoribus. 3.° Ingratus peccatorum animus, qui pejores Turcis Christum non agnoscentibus, odium pro dilectione, injurias pro laboribus ipsi deferunt, ipsum iterùm crucifigunt in

semetipsis, osculo Filium hominis tradunt, Judæ similes, ac benignum patrem, redemptorem et amicum indignè accipiunt. 4.° Peccatorum insania et cæcitas, qui vires omnes animæ et corporis et totum vitæ tempus impendunt in obsequium diaboli, mundi et carnis, hostium suorum, ac Dei infensissimorum.

Quòd si quis in malo obduratus, his vel similibus motivis non emolliatur, nec contritus appareat, non erit absolvendus, sed dimittendus, donec post aliquot dies verè contritus ac meliùs dispositus redeat. Interim verò juvabit ei injungere, ut singulis diebus multoties contritionem petat, pectus tundens, et hujusmodi aut similia verba proferens : Gratias tibi ago, Deus bone, quòd nunc in inferno non ardeam propter ingentia mea crimina. Hæc sint in exemplum dicta; piis enim Confessariis plura suggeret spiritus pietatis, quibus corda pœnitentium cum Dei gratiâ emolliant.

## SECTIO II.

### *De Confessione.*

Confessio, quatenùs est pars sacramenti Pœnitentiæ, meritò definitur, *Accusatio peccatorum propriorum post Baptisma commissorum, facta Sacerdoti idoneo, ad obtinendam eorum remissionem per absolutionem sacramentalem.*

Dicemus 1.° de ipsius necessitate, 2.° de ejus proprietatibus, 3.° tandem de illius sigillo.

## ARTICULUS PRIMUS.

### *De Necessitate Confessionis.*

Tria quæruntur : 1.° an confessio sit necessaria

jure divino, 2.° an jure ecclesiastico, 3.° quandonàm præceptum confessionis obliget.

## § I.

### *An Confessio sit necessaria Jure divino.*

Confessionem jure divino necessariam non esse contendunt Lutherus, Calvinus et eorum sequaces. Etsi enim generatìm opinentur confessionem esse retinendam, ut potè ad erudiendum consolandumque peccatorum valdè utilem; negant tamen esse possibilem eo modo quo à catholicis usurpatur, quatenùs scilicet in eâ declarantur omnia et singula peccata etiam occultissima. Hinc confessionem appellant *cruentissimam carnificinam, conscientiarum laqueum, tyrannidem, tormentum innocentianum,* quasi ab Innocentio III instituta fuerit. Contra quos sit

### PROPOSITIO.

*Confessio sacramentalis à Christo instituta, omnibus post Baptismum in peccatum mortale prolapsis est necessaria Jure divino.*

Est de fide.

*Prob.* 1.° *ex Scripturâ.* Matth. c. 18, ℣. 18, Christus Apostolos eorumque in ministerio successores sic alloquitur : *Amen dico vobis : Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo : et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo.* Et Joan. c. 20, ℣. 22 et 23 : *Accipite Spiritum Sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.* Undè sic arguere datur : Ut ex his textibus probetur confessionem jure divino esse necessariam, duo requi-

runtur et sufficiunt : 1.° ut his Christi verbis Apostoli et eorum successores, Sacerdotes scilicet, constituti sint à Christo judices; 2.° ut, sublatâ confessione, munia judicis à Christo ipsis commissa, exercere nequeant : atqui hæc duo constant.

1.° Quidem verbis modò relatis Sacerdotes constituti sunt à Christo judices. Ii enim constituti sunt à Christo judices, qui ab eo acceperunt potestatem ita peccata remittendi et retinendi, ut quæcunque solverent seu remitterent in terrâ, solverentur seu remitterentur in cœlo, et quæcunque ligarent seu retinerent in terrâ, ligarentur seu retinerentur in cœlo. Si enim judex constituitur, qui jus vitæ et necis in terrâ accipit, quantò magìs ut judex haberi debet, cui datum est aperire cœlos aut claudere, animas solvere vel ligare, peccata dimittere aut retinere : atqui, ex verbis modò citatis, Apostoli et eorum in ministerio successores, Sacerdotes scilicet, ita acceperunt à Christo potestatem retinendi aut remittendi peccata, ut quæcunque, etc.; ergo 1.°, etc.

2.° Sublatâ confessione, munia judicis Sacerdotes exercere non possunt. Namque ut debitè et prudenter judicium ferre valeant, causam de quâ judicare debent cognoscant necesse est : atqui causa de quâ judicare debent, sunt ipsa peccata : peccata autem cognosci nequeunt, nisi per confessionem in specie; ergo 2.°, etc.

Et verò, frustrà Christus non dedit Apostolis et Sacerdotibus potestatem remittendi et retinendi peccata : atqui si necessaria non sit jure divino confessio, Christus frustrà dedisset Apostolis potestatem peccata remittendi et retinendi.
1. Quidem potestatem remittendi. Nam, ut ratio-

cinatur S. August. Serm. 392 aliàs Hom. 49, inter 50, cap. 3, etsi à Christo talem potestatem habuerint Sacerdotes, nunquàm, sublatâ confessionis necessitate, illam potestatem exercerent; quis enim ad eos se accusaturus accederet, si aliundè et præsertìm per confessionem Deo soli factam, remissio peccatorum posset obtineri? 2. Frustrà etiam Christus concessisset Apostolis potestatem peccata retinendi. Duplici enim modo peccata retineri possunt, vel quoad culpam, indispositis scilicet denegando absolutionem, vel quoad pœnam, injungendo satisfactionem proportionatam : atqui, si confessio necessaria non sit, neutrum poterunt Sacerdotes. Non 1.um : cùm denegatâ absolutione, ad alia media, si quæ sint præter confessionem, peccatores confugient. Non 2.um : quomodò enim congruam ac culpis proportionatam Sacerdotes imponere possent satisfactionem, si in specie et sigillatìm ipsis non fiat peccatorum declaratio seu confessio; ergo 2.°, etc.; aliundè, etc.; ergo, etc.

*Prob.* 2.° *ex Traditione.* Origenes, Homil. 2 in Ps. 37 sic loquitur : *Sicut illi qui habent intùs inclusam escam indigestam, aut molestam immanentis abundantiam, si vomuerint, relevantur; ita qui peccaverunt, si quidem occultant et retinent intra se peccatum, intrinsecùs urgentur et propemodùm suffocantur phlegmate et humore peccati. Si autem ipse suî accusator fiat, dùm accusat semetipsum et confitetur, simul evomit et delictum, atque omnem morbi digerit causam. Tantummodò circumspice diligentiùs cui debeas confiteri peccatum tuum, ut ita demùm, si quid ille dixerit, facias... Si providerit talem esse languorem tuum qui in*

*conventu totius Ecclesiæ exponi debeat et curari, multâ deliberatione et satis perito Medici illius consilio procurandum est.* Ibi primùm Origenes loquitur de *secretâ* peccatorum confessione prudenti Sacerdoti faciendâ, qui judicet an *publica* etiam esse debeat; ergo eò potissimùm spectat, ut *secretæ* confessionis utilitatem et necessitatem commendet. Atque his apprimè concinit quod scripsit Homil. 2 in Levit. : *Dura et laboriosa* (per Pœnitentiam) *peccatorum remissio, cùm non erubescit peccator Sacerdoti indicare suum peccatum.*

S. Cyprianus, lib. de Lapsis, eos reprehendit qui idololatricis sacrificiis polluti, pœnitentiam refugiebant, dùm alii vel solam tanti mali cogitationem Sacerdotibus declarabant : *Quantâ fide majores sunt*, inquit, *qui quamvis nullo sacrificii aut libelli facinore constricti, quoniam de hoc tamen cogitaverunt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter confitentes, exomologesim conscientiæ faciunt?* ergo tunc vigebat apud fideles ipsa perversarum cogitationum confessio.

Eamdem praxim pro IV seculo, tanquam *jure divino* præscriptam testatur Lactantius, lib. 4 Instit. cap. 17 : *Deus*, inquit, *ob hanc causam circumcisione nudari pudendam corporis partem jussit, ut hoc argumento nos admoneret ne involutum pectus haberemus, id est, ne quod pudendum facinus intra conscientiæ secreta velemus..., et ut si cor nudaverimus,* (peccata confitendo) *veniam consequamur.* Et cap. 30 : *Sciendum est illam veram esse Ecclesiam in quâ est confessio et pœnitentia quæ peccata salubriter curet.*

Juxta S. Basilium, in Regulis brevioribus, p. 229 : *In peccatorum Confessione eadem est*

*ratio quæ in apertione vitiorum corporis. Ut igitur ista nequaquàm homines quibusvis aperiunt, sed eis tantùm qui rationem quâ ea curanda sunt teneant; eodem modo confessio* (vitiorum animæ) *fieri debet apud eos qui ea possint curare,* id est, ut ipse S. Doctor explicat, n. 228, iis quibus *credita est dispensatio mysteriorum Dei.*

Eodem sensu S. Greg. Nyss., frater S. Basilii, ait : *Audacter ostende Sacerdoti quæ sunt recondita; animi arcana tanquam occulta vulnera Medico detege, ipse honoris et valetudinis tuæ rationem habebit :* Serm. adversùs eos qui alios judicant.

S. Pacianus, Barcinonensis Episcopus, eâdem utitur comparatione in Exhortatione ad Pœnitentiam : *Desinite, Fratres, vulneratam tegere conscientiam. Prudentes ægri Medicos non verentur, ne in occultis quidem corporis partibus secaturos, etiam perusturos... Et peccator erubescet, præteriti pudore, perpetuam vitam mercari?... An sic illi melius est perire?*

S. Chrysostomus, Homil. 9 in Ep. ad Hebr. : *Pœnitentiæ medicamentum conficitur primùm ex peccatorum condemnatione et confessione. Et secundò ex humilitate*, etc. Ita etiam lib. 2 de Sacerdotio, cap. 3, et lib. 3, cap. 5.

S. Ambrosius, non modò scriptis, sed et suis gestis, confessionis usum et necessitatem adstruit : usum quidem, cùm sic narrat Paulinus Diaconus in ejus vitâ, n. 39 : *Si illi aliquis, ad percipiendam pœnitentiam, lapsus suos confessus esset, ita flebat ut illum flere compelleret.* Necessitatem verò, ut patet ex eis quæ addit Paulinus de ipso pœnitente : *Ipse suî accusator est, nec exspectat accusatorem* (Deum), *sed prævenit,* etc.

Pro V seculo, S. Augustinus testis erit, cùm dicit, Enarr. in Ps. 66 : *Conscientia tua saniem collegerat, apostema tumuerat, cruciabat te... Agnosce Medici manum, confitere, exeat in confessione et defluat omnis sanies.*

S. Leo Magnus, Ep. 82 : *Christus Jesus hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut pœnitentes salubri confessione purgatos ad communionem sacramentorum per januam reconciliationis darent.*

VI seculo, Greg. Magnus, Homil. 26 in Evang. : *Lazaro dicitur : Veni foràs, ut si apertè cuilibet mortuo diceretur : Cur reatum tuum intra conscientiam abscondis ? Foràs jam per confessionem egredere, qui apud te interiùs per negationem lates.*

Plura alia Patrum testimonia quæ non minùs efficaciter usum et necessitatem confessionis probant, videre est apud Natalem Alexandrum, Witassium, etc.

*Prob.* 3.° *ex Præscriptione.* Quo tempore prodierunt Lutherus et Calvinus, universus orbis christianus confessionis praxim tanquam jure divino necessariam credebat, et in hoc cum Romanâ Ecclesià consentiebant omnes Orientales, hæretici etiam et schismatici : id testantur tum Latinorum, tum Græcorum Ritualia et Euchologia antiquissima : porrò supponi non potest praxim illam vel ante vel post Græcorum schisma introductam fuisse. Scilicet, agitur de praxi onerosà, quam adversarii intolerabilem dicunt, quæ ingenitis superbiæ sensibus repugnat, quà tamen fideles omnes, Principes, Sacerdotes, ipsi Episcopi et Summus Pontifex, tenentur. Jam verò quis credat omnes universi orbis Christianos, hoc grave jugum, anteà

inauditum, sibi imponi passos fuisse, nemine reclamante, cùm hìc et nunc tam multi illud refugiunt, quamvis certà fide credant Christum sic præcepisse? hoc enim hominis indoli et innatis propensionibus repugnat; ergo necessariò fatendum est Christianos doctrinam divini præcepti confessionis ex primis Ecclesiæ seculis hausisse, et consequenter illam esse apostolicam atque ab ipso Christo traditam.

De hoc argumento audire juvat quæ contra Protestantes scripserit ipse Anglicanæ Reformationis auctor, Henricus VIII, lib. de septem Sacramentis, contra Lutherum: *Verùm de confessione, si verbum nullum neque nominaretur, neque quidquam à sanctis Patribus diceretur, tamen cùm videam tantum populum, tot seculis peccata sua patefacere Sacerdotibus, aliud neque credere, neque cogitare possem, quàm eam rem non humano consilio, sed planè divino mandato constitutam esse...... Mihi ergo, quidquid ait Lutherus, non ex aliquâ populi consuetudine, nec ex institutione Patrum, sed ab ipso Deo videtur instituta confessio.*

Meritò igitur Patres Tridentini, Sess. 14, cap. 5: *Ex institutione sacramenti Pœnitentiæ... universa Ecclesia semper intellexit institutam esse à Domino integram peccatorum confessionem, et omnibus post Baptismum lapsis jure divino necessariam existere.*

Disertè de hâc re scripsit *P. Scheffmacher,* in opere gallico sermone conscripto, cui titulus, *Lettres d'un Théologien de l'Université catholique de Strasbourg, à un Gentilhomme protestant, Lettre 4, sur la Confession.*

*Obj.* 1.° adversùs probationem ex Scripturis deductam:

deductam : Esto quòd his verbis, *Quorum remiseritis*, etc., Apostoli et Sacerdotes instituti sint à Christo judices; nihil tamen vetat quin illorum potestas restringatur ad fideles, qui sponte velint ad eorum tribunal confugere : eo ferè modo, quo subditi principis non tenentur ad judices quos ipse constituit recurrere, si aliâ viâ lites componere velint; ergo, etc.

*Resp. Nego ant.* ex jam probatis. Ad cujus probat., *Dico* non valere comparationem petitam ex tribunalibus à principe institutis. Reverà civis litem quam habet cum alio cive potest componere, quin ad tribunal judicis recurrat : sed si litem habeat cum ipso principe, profectò tenebitur ad illud tribunal confugere quod ipse pro similibus causis dirimendis instituerit princeps : porrò peccata sunt causæ quas homines cum Deo habent; ergo necesse est ad Sacerdotes judices à Deo institutos confugere, quibus solis dictum est : *Quorum remiseritis peccata*, etc.

*Obj.* 2.° contra probationem ex Traditione petitam : Si adeò constans et universalis fuisset Traditio de confessionis necessitate ex jure divino, frustrà Innoc. III in Conc. Later. tulisset præceptum confitendi; signum est igitur anteà non fuisse præceptam confessionem.

*Resp.* Concilium Later. solùm determinasse tempus quo præceptum divinum erat implendum, scilicet, semel in anno, non autem fecisse novæ rei præceptum. Id expressis verbis asserit Trid. Sess. 14, cap. 5 : *Neque enim*, inquit, *per Later. Conc. Ecclesia statuit ut Christi fideles confiterentur, quod jure divino necessarium et institutum esse intellexerat; sed ut præceptum confessionis, saltem semel in anno, ab omni-*

*bus et singulis, cùm ad annos discretionis pervenissent, impleretur.*

*Inst.* 1.° Nectarius, Patriarcha Constantinopolitanus, in Ecclesiâ suâ sustulit confessionem et Pœnitentiarium qui eam suscipiebat, ut referunt Socrates et Sozomenus; ergo, etc.

*Resp. Dist.* Nectarius sustulit confessionem publicam, *conc.;* sustulit confessionem secretam et privatam, *nego.* Cùm enim quædam mulier à Pœnitentiario jussa esset peccatum aliquod publicare, illa vi contritionis excitata longiùs progressa est, et crimen à se cum Diacono admissum evulgavit; cùmque indè ortum esset scandalum, Nectarius usum illum abolevit, et Pœnitentiarium, qui criminum quorumdam publicationem imperaret, sustulit. At verò confessionis sacramentalis usum esse necessarium testatur, lib. 7, cap. 16, Sozomenus: *Etenim,* inquit, *cùm prorsùs non peccare naturæ sit humanâ divinioris, pœnitentibus autem, quamvis frequenter deliquissent, veniam dare Deus jusserit, et ad impetrandam deniquè veniam confiteri peccata necessarium sit,* etc.

Adverte etiam Socrati et Sozomeno, tanquam Novatianis, non esse in hâc parte valdè credendum, ut sapienter docet Baronius.

*Inst.* 2.° S. Chrysost., Nectarii successor, dehortari videtur populum à confessione; ergo eam non putabat jure divino necessariam.

*Resp. Dist.* Dehortari videtur à confessione publicâ, *conc.;* à confessione sacramentali, *nego.* Chrysostomus quidem prædecessoris factum tueri volens, suadebat fidelibus ne usum illum confessionis publicæ sapienter sublatum renovarent: undè et Hom. 31 in Epist. ad Hebr. dicebat: *Pec-*

*cata recenseamus, speciatìm unumquodque enumerantes. Non tibi dico ut ea tanquam pompam in publicum proferas.* At confessionis sacramentalis necessitatem ipse satis agnoscit, lib. 2 de Sacerdotio, dùm ait: *Qui laborant Christiani, ultrò sibi ipsi persuadeant Sacerdotum curationibus sese submittere oportere.* Et lib. 3 de Sacerdotio: *Nostris Sacerdotibus non corporis lepram, verùm animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsùs concessum est.* Et Hom. 20 in Genesim: *Attamen qui hoc fecit, si voluerit, ut decet, uti conscientiæ adjumento, et ad confessionem facinorum festinare, et ostendere Medico ulcus, qui curet et non exprobret; atque ab illo remedia accipere, et soli ei loqui, nullo alio conscio, et omnia dicere cum diligentiâ, facilè peccata sua emendabit. Confessio enim peccatorum abolitio etiam est delictorum.*

Eodem modo explicanda sunt dicta quorumdam Patrum, v. g., Ambrosii, Prosperi, Bedæ, de publicâ pœnitentiâ loquentium.

*Obj.* 3.° Particularis enarratio peccatorum, qualis in Ecclesiâ exigitur, est impossibilis: *delicta* (enim) *quis intelligit?* ergo non est à Deo præcepta.

*Resp.* cum S. Synodo Trid. Sess. 14, cap. 5, *Impium esse confessionem, quæ hâc ratione fieri præcipitur, impossibilem dicere, aut carnificinam illam conscientiarum appellare; constat enim nihil aliud in Ecclesiâ à pœnitentibus exigi, quàm ut, postquàm quisque diligentiùs se excusserit, et conscientiæ suæ sinus omnes et latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum et Deum suum mortaliter offendisse meminerit: reliqua autem pec-*

*cata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum, eâdem confessione inclusa esse intelliguntur.*

*Quæres* 1.° an confessio sacramentalis necessaria sit necessitate medii, an præcepti.

Antequàm respondeam, supponendum est illud dici necessarium necessitate medii, sine quo etiam inculpabiliter omisso salus obtineri nequit; illud verò dici necessarium necessitate præcepti, quod tenemur quidem facere vel recipere, ita tamen ut sine illo salus obtineri possit, dummodò inculpabiliter omittatur. Hoc supposito,

*Resp.* 1.° confessionem, vel in re, vel in voto, esse necessariam necessitate medii, omnibus qui post Baptismum in peccatum mortale lapsi sunt.

Ratio est, quia sine illâ confessione, vel ejus voto seu desiderio, sive explicito, sive implicito, cum charitate vel perfectâ contritione conjuncto, nemo potest justificari à peccato mortali; nam si quo modo posset quis justificari, certè per contritionem charitate perfectam: at Concil. Trid. Sess. 14, cap. 4, docet, *Etsi contritionem hanc aliquandò charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquàm hoc sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominùs reconciliationem ipsi contritioni, sine sacramenti voto, quod in illâ includitur, non esse adscribendam.* Et cap. 2 ait: *Est autem hoc sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondùm regeneratis ipse Baptismus:* atqui Baptismus in re, vel in voto, est necessarius necessitate medii; ergo, etc.

*Resp.* 2.° confessionem in re esse solùm necessariam necessitate præcepti. Ratio est, quia potest

quis conteri de peccatis, nec tamen habere copiam Confessarii : hunc autem justificari et reconciliari Deo omnes fatentur, et apertè ait Trid. mox citatum; ergo confessio in re non est necessaria necessitate medii; superest igitur quòd sit solùm necessaria necessitate præcepti.

*Quæres* 2.° an confessio ex institutione divinâ esse debeat secreta, vel publica.

*Resp.* modum confitendi nullo præcepto divino fuisse determinatum, sed Christum liberum reliquisse modum confitendi. Secretorum verò peccatorum confessionem secretam esse, etsi non jussit, tamen concessit; cui concessioni nullo jure derogari debet. Et verò sic habet Conc. Trid. Sess. 14, cap. 5 : *Quoad modum confitendi secretò apud solum Sacerdotem, etsi Christus non vetuerit quin aliquis, in vindictam suorum scelerum et suî humiliationem, cùm ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publicè confiteri possit, non est tamen hoc divino præcepto mandatum, nec satis consultè humanâ aliquâ lege præciperetur, ut delicta, præsertìm secreta, publicâ essent confessione aperienda. Undè cùm à sanctissimis et antiquissimis Patribus, magno unanimique consensu, secreta confessio sacramentalis, quâ ab initio sancta Ecclesia usa est et modò etiam utitur, fuerit semper commendata; manifestè refellitur inanis eorum calumnia, qui eam à divino mandato alienam, et inventum humanum esse, atque à Patribus in Conc. Lateranensi congregatis initium habuisse docere non verentur.* Et canone 6 ejusdem Sessionis, sic definiunt Patres : *Si quis negaverit confessionem sacramentalem, vel institutam vel*

*ad salutem necessariam esse jure divino : aut dixerit modum secretè confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi, et inventum esse humanum, anathema sit.*

## § II.

### *An Confessio sit necessaria Jure ecclesiastico.*

#### PROPOSITIO.

*Fideles omnes qui ad annos discretionis pervenerunt, ex præcepto Ecclesiæ tenentur sub peccato mortali semel in anno ritè confiteri, nisi aliqua causa excuset.*

Certissima est propositio.

*Prob. ex præcepto Ecclesiæ* lato in Conc. Lateran. IV, can. 21 : *Omnis utriusque sexûs fidelis, postquàm ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio Sacerdoti, et injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere :... alioquin et vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, et moriens christianâ careat sepulturâ. Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit justâ de causâ sua confiteri peccata, licentiam priùs postulet et obtineat à proprio Sacerdote ; cùm aliter ille ipse non possit absolvere vel ligare.* Hujus præcepti meminit Trid. Sess. 14, cap. 5, et can. 8, ubi anathema dicit ei qui dixerit ad confessionem non teneri omnes et singulos utriusque sexûs Christi fideles, juxta magni Concilii Lateran. Constitutionem, semel in anno.

Dixi 1.°, *fideles qui ad annos discretionis*

*pervenerunt*, tum quia Pœnitentiæ sacramentum recipere non possunt infideles non baptizati, ut alibi diximus; tum etiam quia qui annos discretionis nondùm attigerunt, cùm non sint peccati actualis rei, non indigent pœnitentiâ, neque illius sunt capaces.

Dixi 2.°, *omnes fideles*, ut comprehenderem singulos utriusque sexùs, nullo excepto, saltem si conscii sibi sint peccati mortalis. Si quis autem venialia tantùm commiserit, tenetur saltem ante communionem sistere se Pastori suo, et hoc ipsum ei exponere, tum ut scandalum vitet, tum ut Pastori suo innotescat, et ad communionem admitti possit.

Dixi 3.°, *teneri sub peccato mortali*, quia res gravis est momenti: adde quòd tantas pœnas interdicti et privationis sepulturæ ecclesiasticæ, Ecclesia fidelibus non *comminetur* pro peccato veniali.

Dixi 4.° *ritè confiteri*, quia damnata est ab Alexand. VII hæc propositio: *Qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ*. Et verò, confessio quæ à Conc. Lat. præcipitur, ea est quam generatìm præcipit Christus: atqui certè non potest impleri præceptum confessionis à Christo institutæ per sacrilegium; ergo, etc.

Dixi 5.°, *semel in anno*. Quâ autem anni parte, non lex sed usus determinavit, scilicet tempus Quadragesimæ: *Quem morem*, inquiunt PP. Trid. Sess. 14, cap. 5, *hæc sancta Synodus maximè probat et amplectitur tanquam pium et meritò retinendum*. Sed in Ecclesiâ Gallicanâ libri rituales assignant tempus paschale à Dominicâ Palmarum ad Dominicam in Albis inclusivè.

Et Clerus Gallicanus, ann. 1625, 1635 et 1646, declaravit omnes teneri tunc temporis proprio Sacerdoti, aut alieno de ejus consensu confiteri.

Cùm autem terminus appositus non sit ad finiendam obligationem, sed potiùs ad sollicitandam diligentiam; sequitur eum qui uno anno integro non est confessus, teneri statìm confiteri altero anno: sicut qui uno anno censum non solvit, non ideò est ab hâc obligatione liber, sed tenetur primâ datâ occasione solvere. Undè peccat, qui differt ulteriùs, eòque magìs, quò magìs ac magìs sine ullà excusatione differt.

Colliges 1.° eum qui uno anno omittit confiteri, si posteà sequentis initio confiteatur, unâ illà confessione non satisfacere præcepto confitendi pro utroque anno, saltem si posteà ante secundi anni finem peccatum mortale committat. Ratio est quia tunc præceptum confitendi pro secundo anno urget, cùm pro ipso nondùm satisfecerit, sed pro præcedenti: sicut neque satisfecit, qui semel aut iterùm per annum venialia solùm confessus, posteà mortale committit; is enim tenetur mortale illud confiteri ante annum elapsum.

*Dices:* Qui multis annis non est confessus, unicâ confessione satisfacit pro omnibus annis præteritis; ergo et pro præsenti.

*Resp. Nego parit.* Disparitas est quia unicâ confessione declarantur, et remittuntur ei peccata annorum præteritorum: at peccatum anni præsentis post confessionem commissum non potuit per confessionem præcedentem remitti. Cùm ergo supersit materia necessaria confessionis, restat etiam obligatio confitendi pro anno præsenti.

Colliges 2.° eum qui prævidet se non habiturum copiam Confessarii, quandò præceptum confitendi urgebit, teneri tempus prævenire; quia quocunque anni die potest præceptum illud implere.

*Quæres* 1.° apud quem fieri debeat annua confessio.

Constat, ex laudatis Conc. Lateran. verbis, proprio Sacerdoti fieri debere; aut si alieno, nonnisi de proprii licentià. Difficultas ergo solùm esse potest, quis ille sit proprius Sacerdos. Ad cujus solutionem,

*Resp.* In canone Concilii Lateranensis, nomine proprii Sacerdotis intelligitur Parochus, salvo tamen jure Superiorum. Patetque 1.° ex ipsis Concilii verbis; ibi namque ille dicitur proprius Sacerdos, à quo fideles debent ad minùs in Paschà Eucharistiam suscipere, penes quem est eos ab Ecclesiæ ingressu arcere et christianâ privare sepulturà, à quo deniquè licentiam petere debent alieno Sacerdoti peccata confitendi: atqui solus Parochus talis est, ut per se patet, et abundè probat usus Ecclesiæ; ergo, etc.

2.° Ex pluribus Conciliis, quæ eodem sensu Lateranensem canonem explicuerunt: ita Narbonense anni 1551, Lingonense 1552, Rhemense 1583, Aquense 1585, Burdigalense 1624; ita et declaravit pluribus in Comitiis Clerus Gallicanus; ita et præscribunt omnia ritualia.

Dixi, *salvo jure Superiorum;* in hoc etenim canone non excluduntur Sum. Pontifex et Episcopi diœcesani, qui parochiarum sunt Pastores et Superiores: alienusque Sacerdos non dicitur, nisi qui, vi sui statûs et juxta præsentem Ecclesiæ praxim, nullam habet populos regendi auc-

Z 5

toritatem, quales sunt regulares, et seculares Sacerdotes qui nulli Ecclesiæ titulo Beneficii pastoralis sunt addicti.

*Quæres* 2.° an valida sit confessio annua et paschalis, quam quis extra parochiam, non petitâ licentiâ Parochi, apud Sacerdotem generatim approbatum faceret.

*Resp.* validam esse plerisque in locis, nempè nisi usus oppositus vigeat; approbatio enim ab Episcopo data Sacerdoti sine exclusione temporis paschalis, est consensus formalis Episcopi, ut Sacerdos ille audiat confessiones quovis tempore validè.

*Quæres* 3.° an petentibus parochianis licentiam confitendi extra parochiam facilè concedere debeant Parochi.

*Resp.* Debent: id præscribit Conc. Burdigal. anni 1624. Id insuper probatur auctoritate S. Thomæ in 4 Sentent. et in supplemento, quæst. 8, art. 4: *Peccaret Sacerdos*, inquit, *si non esset facilis ad præbendam licentiam alteri confiteri: quia multi sunt adeò infirmi, quòd potiùs sine confessione morerentur, quàm tali Sacerdoti confiterentur. Undè illi qui sunt nimis solliciti ut conscientias subditorum per confessionem sciant, multis laqueum damnationis injiciunt, et per consequens sibi ipsis.*

## § III.

### *Quo tempore obliget præceptum Confessionis.*

PROPOSITIO.

*Præceptum Confessionis, sive divinum, sive ecclesiasticum, aliquandò obligat per se, aliquandò per accidens.*

Ratio est quia quandoquè talis occurrit circumstantia, ut confessio necessaria sit, sive ad implendum aliquod præceptum juris naturalis aut divini, sive ad satisfaciendum alicui Ecclesiæ præcepto.

Sic 1.° in periculo, et multò magis in articulo mortis, *per se* obligat præceptum divinum confitendi; commune enim est omnibus præceptis affirmativis, ut obligent tempore necessitatis. Hinc milites ante prælium, navigatores ante periculosam navigationem in quâ deerit copia Confessarii, mulier primùm paritura, aut quæ partus solet habere difficiles et periculosos, et generaliter quicunque verisimiliter putant se non habituros ampliùs opportunitatem confitendi, tenentur confiteri, si sint in peccato mortali constituti. Undè et Innoc. III, titulo de Pœnitentiis et Remissionibus, cap. *Cùm infirmitas*, jubet ut Medici infirmos periculosè ægrotantes de confessione faciendâ moneant, quod idem renovavit Pius V in Bullâ, *Super gregem.*

Sic 2.° obligatur *per accidens* ad confitendum qui est communicaturus, si sit peccati mortalis conscius: id expressè habetur in Trid. Sess. 13, cap. 7; *Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut*

*nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissâ sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat. Quod à Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuò servandum esse decrevit, modò non desit illis copia Confessoris.* Et rursùs can. 11: *Declarat S. Synodus illis quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcunquè etiam se contritos existiment, habitâ copiâ Confessoris, necessariò præmittendam esse confessionem sacramentalem.* Vid. *Tract. de Eucharistiâ.*

Sic 3.° tenetur confiteri, qui sacramentum aliquod suscepturus, vel ministraturus, in peccato mortali se esse cognoscit, nec habet contritionem perfectam; tenetur enim sacramentum suscipere, aut ministrare in statu gratiæ, quam per solam attritionem sine sacramento Pœnitentiæ obtinere non potest.

Sic 4.° quandò gravis tentatio non videtur superari posse sine confessione peccatorum, obligat præceptum divinum confitendi.

## ARTICULUS II.

### *De Proprietatibus seu Dotibus Confessionis sacramentalis.*

Quatuor conditiones confessionis sacramentalis communiter assignant Theologi, hoc versiculo contentas:

*Integra sit, simplex, humilis, parere parata;*

quæ ex allatâ ejus definitione satis innotescunt. 1.° Enim, cùm sit accusatio omnium peccato-

rum mortalium, debet esse integra et simplex, sine artificiosâ occultatione, sine superfluitate verborum ad rem non pertinentium, et sine mendacio. 2.° Cùm sit accusatio in ordine ad absolutionem, humiliter fieri debet, et cum voluntate parendi mandatis Confessarii tanquam Judicis sententiam proferentis. Difficultas tantùm occurrere potest circa integritatem confessionis, circa quam quatuor examinanda sunt: 1.° an confessio integra esse debeat quoad species, numerum et circumstantias peccatorum mortalium in confessione declarandorum; 2.° an sit necessarium confiteri peccata dubia, venialia, aut jam declarata; 3.° an confessio integra esse debeat materialiter, an aliquandò formaliter tantùm; 4.° deniquè, quid præstare debeat Sacerdos circa confessionis integritatem.

## § I.

### *An Confessio integra esse debeat quoad species, numerum et circumstantias peccatorum mortalium.*

PROPOSITIO.

*Certum est jure divino Confessionem integram esse debere quoad species, numerum et circumstantias, saltem speciem peccati mutantes, quantùm pœnitens moraliter potest.*

*Prob.* 1.° *ex Conciliis :* Lateran. IV, can. *Omnis utriusque sexûs*, Florent. in decreto Eugenii; et Trid. Sess. 14, cap. 5, et can. 7: *Si quis dixerit in sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debitâ et dili-*

*genti præmeditatione habeatur, etiam occulta, et quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, et circumstantias quæ peccati speciem mutant.....; anathema sit.* Item ex Conc. Complutensi, confirmato à Sixto IV, ubi damnati sunt errores Petri Osmensis, dicentis confessionem peccatorum in specie non esse de jure divino, sed ex Ecclesiæ statuto, pravas cogitationes non esse confitendas, et confessionem esse solùm debere de peccatis secretis, non de manifestis.

*Prob.* 2.° *ex SS. PP.*, inter quos S. Hieron. in c. 10 Eccle. sic habet: *Si erubescat ægrotus vulnus suum medico detegere, quod ignorat medicina non curat:* quibus verbis utitur Trid. Sess. 14, cap. 5. S. Chrysost. Hom. 20 in Genesim, suprà relatus, ubi notanda sunt hæc verba: *Omnia dicere cum diligentiâ.* Item, alii SS. PP. suprà citati, quibus etiam adde librum de verâ et falsâ Pœnitentiâ, apud S. Aug. cap. 15, ubi hæc leguntur: *Cautus sit pœnitens, ne verecundiâ ductus dividat apud se confessionem, ut diversa diversis Sacerdotibus velit manifestare. Quidam enim uni celant, quæ alii manifestanda reservant, quod est se laudare, et ad hypocrisim tendere, et semper veniâ carere.*

Dixi 1.°, *jure divino;* hæc enim integritatis necessitas fundatur in illis Christi verbis, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt;* retinentur enim ea quæ in confessione culpabiliter fuerunt omissa. Deindè, cùm Sacerdotes à Christo instituti sint judices in Pœnitentiæ foro, ut scilicet remittant, vel retineant peccata, non possunt servare æquitatem in pronuntiandâ sententiâ

nec in pœnis decernendis, nisi peccata omnia sigillatìm iis declarentur.

Dixi 2.°, *omnia peccata mortalia;* cùm enim unum peccatum mortale non possit remitti sine alio, certè si quis aliquod peccatum mortale culpabilíter omittat, nullorum obtinebit remissionem. Hinc si quis duplicis peccati mortalis conscius, unum tantùm peccatum mortale uni Sacerdoti scienter confiteatur, aliud alteri, à neutro validè absolvetur : in unâ namque et eâdem confessione exponenda sunt omnia peccata mortalia, quorum quis sibi conscius est. S. Bernardus, seu Hugo à S. Victore, Meditationum cap. 8, art. de Vanis Cogitationibus, idipsum expressis verbis declarat : *Non purè confessus sum propter turpitudinem. Confessionem etiam meam divisi, ut diversis Sacerdotibus diversa manifestarem, et ita veniâ carui, ad quam per partes pervenire paravi. Exsecranda namque fictio est, peccatum dividere, et superficie tenùs radere, non intrinsecùs eradicare.*

Dixi 3.°, *quantùm moraliter potest pœnitens;* quia si, adhibitâ morali diligentiâ sufficienti, ignoranter aliquod omissum sit, non nocebit valori et efficaciæ absolutionis.

Cæterùm, ad habendam illam moralem diligentiam, requiritur 1.° ut pœnitens conscientiam suam diligenter examinet antequàm confiteatur : idipsum sæpiùs inculcat Trid. Sess. 14, cap. 5, *Oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem suî discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri.* Et infrà addit : *Postquàm quisque diligentiùs se excusserit, et conscientiæ suæ sinus omnes et latebras exploraverit.* Item, can. 7

suprà citato : *Cum debitâ et diligenti præmeditatione.* Debet ergo pœnitens considerare loca in quibus versatus est, negotia quæ tractavit, personas quibuscum egit, peccata quibus obnoxius est, obligationes suas sive generales, sive speciales, etc., eâ saltem curâ et diligentiâ, quam quis adhiberet in re gravi et valdè seriâ, et quæ, habitâ ratione capacitatis personæ, sufficiat judicio viri prudentis. Non requiritur tamen summa diligentia, neque ut quis commissa peccata scribat, nisi fortè existimet se inter confitendum peccati alicujus mortalis non recordaturum; tunc enim multi Doctores dicunt eum teneri peccata scribere, si possit.

Colliges ordinariè remittendos eos esse qui ad confitendum imparati accedunt, et nullo præmisso examine; quia ferè impossibile est ut interrogati repentè, et nullâ præhabitâ recogitatione, recordentur eorum de quibus interrogantur, præsertìm si ab ultimâ eorum confessione longum tempus intercessit.

Dixi, *ordinariè*, quia remitti non debent quandò sunt in periculo mortis, vel quandò spes est eos sufficienter disponendi per interrogationes et industriam Confessarii.

2.º Postulat moralis diligentia requisita, ut pœnitentes ipsi in confessione explicent peccatorum species et circumstantias notabiliores, quæ per se notæ sunt, et statìm memoriæ occurrunt, parati ad respondendum sincerè et humiliter ad interrogata Sacerdotis, cujus est dignoscere species et circumstantias explicandas, et de his inquirere diligenter. De circumstantiis peccati speciem non mutantibus dicendum est in *Tract. de Peccatis.*

3.° Postulat hæc moralis diligentia, quoad numerum peccatorum, 1. ut si pœnitens sciat certum numerum, illum declaret, nec augendo, nec minuendo; neque necesse est ut sigillatim cuncta recenseat, quasi historiam contexens; sed sufficit ut omnia ejusdem speciei peccata uno verbo comprehendat, dicens, v. g., Ter pejeravi, quinquies omisi jejunare in Quadragesimâ. 2. Si non occurrat numerus certus, dicatur ille qui minùs à certo distare videtur, addendo, *Circiter, plus vel minùs*; tunc enim fit quod moraliter possibile est. 3. Si ob ingentem peccatorum numerum, pœnitens hoc modo confiteri nequeat, dicat peccandi consuetudinem, quanta illa fuerit, quandiù in illâ vixerit, quàm frequenter in illa peccata laberetur per dies, vel hebdomadas: quod facilius erit in actibus externis, qui minùs frequentes sunt; interni verò declarari poterunt, si pœnitens dicat se fuisse paratum ad committendum, vel desiderandum tale peccatum, quoties illius occasio, vel memoria taliter frequens occurrebat.

Colliges eum qui inculpabiliter omisit declarare aliquid necessarium circa species, numerum aut circumstantias peccatorum, teneri posteà illud confiteri, si memoriæ occurrat, quia non explevit obligationem suam ea peccata subjiciendi clavibus; licèt enim indirectè remissa sint illa peccata cum aliis, debet tamen ea subjicere clavibus, ut directè ab iis absolvatur.

Hinc 1.° si omissa sit circumstantia necessaria, declaranda erit in sequenti confessione, iterùm confitendo peccatum cujus est circumstantia, si sine illo non possit sufficienter manifestari, ut communiter contingit: v. g., si quis

confitendo à se occisum fuisse hominem, non dixisset illum fuisse Sacerdotem, deberet iterùm confiteri hoc peccatum cum tali circumstantiâ.

Hinc 2.° si quis minorem numerum tanquam certum confessus est, quem posteà agnovit esse majorem, tenetur majorem numerum cognitum declarare, quia in priori non includitur moraliter. Si verò confessus est numerum probabilem et indeterminatum, addendo plus minùs, vel circiter, non tenebitur posteà declarare majorem numerum cognitum, nisi notabiliter excedat numerum priùs expressum in confessione: v. g., si quis confessus se decies plus minùs pejerasse, comperiat se jurasse duodecies, non tenebitur iterùm confiteri, quia duodenarius numerus continebatur moraliter in priori loquendi modo; si autem comperiat se pejerasse quinquies supra decem, vel vigesies, tenetur id exprimere, quia hi numeri non continentur moraliter in duodenario numero cum voculis, plus minùs, aut circiter. Observandum autem voculas illas tantò majorem numerum indeterminatum comprehendere, quantò major est numerus determinatus cui adduntur; licèt enim in exemplo mox allato non contineant quinque supra decem, tamen si quis confessus se centies, plus minùs pejerasse, agnosceret se quinquies supra centum pejerasse, non teneretur iterùm confiteri.

## § II.

### *An Confessio integra esse debeat quoad peccata mortalia dubia, vel venialia, vel jam in Confessione declarata.*

Tres illas quæstiones tot propositionibus breviter solvemus.

### PROPOSITIO PRIMA.

*Peccata mortalia dubia, quâcunque ratione dubia sint, ut talia sunt in confessione declaranda.*

Hæc propositio communis est inter Doctores, et in praxi omninò tenenda.

*Explicatur :* Triplici de causâ peccata dubia vocantur : vel enim dubium est an commissa sint; vel, si de commissione constat, dubitatur an mortalia sint; vel dubitatur an sint in confessione præcedenti declarata.

*Prob.* 1.° *Auctoritate S. Thomæ,* in quartum Sententiarum, dist. 21, quæst. 2, art. 3 : *Dicendum,* inquit, *quòd quandò aliquis dubitat de aliquo peccato an sit mortale, tenetur illud confiteri, dubitatione manente; quia qui aliquid committit vel omittit in quo dubitat esse mortale peccatum, peccat mortaliter discrimini se committens, et similiter periculo se committit qui de hoc quod dubitat esse mortale, negligit confiteri.*

*Prob.* 2.° *Ratione.* Christus præcepit confiteri omnia peccata mortalia, nec dubia excepit; imò communis Doctorum sensus, paucis exceptis, fidelium persuasio, et Ecclesiæ praxis, cujus nul-

lum cognoscitur initium, evincit dubia peccata illo Christi præcepto fuisse comprehensa.

*Confirmatur*, quia sicut nemo dubitat quin pro peccatis dubiis recurrendum sit ad Deum ut deleantur, si fortè commissa sint : ita etiam ad Sacerdotes Dei vicarios in tribunali Pœnitentiæ recurrendum est; quæ enim ipsi retinent, id est, non solvunt, ea retenta sunt, ait Christus Dominus.

*Dices* 1.° Conc. Trid. exigit solùm ut pœnitentes confiteantur ea peccata, quorum post diligentem suì discussionem conscientiam habent; ergo non exigit ut confiteantur peccata dubia.

*Resp. Dist. ant.* Quorum conscientiam habent certam vel dubiam, *conc.;* certam tantùm, *nego*. Conscientia enim dubia est verè conscientia : undè et illam habens non potest dicere, *Nihil mihi conscius sum*.

*Dices* 2.° Ex regulis Juris, *In dubio non præsumitur reus, nisi probetur*, et, *Melior est conditio possidentis;* ergo, etc.

*Resp.* ad 1.am *regulam*, in eâ agi de foro externo, et de punitione criminis, quod certè probari debet, antequàm damnetur reus : at non agitur de foro interno conscientiæ.

*Ad* 2.am *regulam, Resp.* illam veram esse, et habere locum ubi agitur de jure proprietatis, præsertìm verò in foro externo; in dubio enim possessori favendum est : sed quid hoc ad rem de quâ agitur ? Imò possessio stat pro præcepto confitendi. Est verò alia Juris regula, quæ magìs ad rem pertinet, nempè, *In dubiis tutior pars est eligenda*, quæ regula, si quandò vera est, certè hìc, ubi de salute animæ agitur.

*Observandum* tamen 1.° hæc dicta non esse pro

scrupulosis, tum quia dubia eorum non solent esse probabilia, tum etiam quia, licèt aliqua non fuissent confessi, non tenerentur cum tanto suo damno et perpetuo periculo in tali anxietate hærendi, omnimodam confessionis integritatem procurare; debent ergo qui verè scrupulosi sunt, pii ac prudentis Confessarii diligenter parere consilio.

*Observandum* 2.°, ex communi Doctorum consensu, si quis dubia solùm peccata confessus sit, monendum illum, ut peccatum aliquod certum, saltem veniale, vel aliquod ex iis quæ jam confessus est, iterùm confiteatur, ut sit certa sacramenti materia.

*Quæres* an qui bonâ fide peccatum ut dubium confessus est, teneatur illud ut certum confiteri, quando comperit certum esse.

*Resp.* eum teneri, quia certitudo peccati valdè variat judicium Confessarii, et sub peccato dubio moraliter non continetur peccatum certum.

## PROPOSITIO II.

*Peccata venialia, quæ ut talia certò cognoscuntur, non sunt necessariò in Confessione declaranda, licèt utiliter id fieri possit.*

Ratio petitur ex Trid. Sess. 14, cap. 5, ubi dicit : *Nam venialia..., quanquam rectè et utiliter, citraque omnem præsumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat; taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt.*

## PROPOSITIO III.

*Si prior Confessio invalida fuit, sive ex parte pœnitentis, sive ex parte Confessarii, debet pœnitens iterùm confiteri peccata mortalia quæ jam erat confessus.*

Ratio est quia in confessione invalidâ remissa non fuerunt peccata per sacramentum Pœnitentiæ, seu per claves; ergo debent iterùm subjici clavibus, ut per illas remittantur, et sic satisfiat præcepto divino suscipiendi sacramentum Pœnitentiæ.

Dixi 1.°, *sive ex parte pœnitentis confessio sit invalida;* quod multis modis contingere potest: 1. si pœnitens careat dolore requisito, id est, si non habeat dolorem ex motivo supernaturali elicitum, vel universalem de omnibus mortalibus, vel si non habeat propositum absolutum et efficax omnia peccata mortalia vitandi, deserendi occasiones, restituendi, implendi pœnitentiam sibi injungendam; 2. si in confessione ipsâ peccet mortaliter, v. g., quia nullum aut valdè exiguum præmisit examen conscientiæ, vel quia scienter reliquit aliquod peccatum mortale, aut aliquam circumstantiam necessariò declarandam reticuit, aut numerum minuit peccatorum; vel quia graviter mentitus est in confessione, vel quia confitetur ex fine mortaliter malo, aut scienter Confessario non intelligenti confitetur.

Dixi 2.°, *sive ex parte Confessarii invalida fuit confessio;* quod multis etiam modis potest contingere: 1. si Confessarius legitimâ potestate, vel Ordinis, vel jurisdictionis, vel approbationis careat; 2. si verba formæ non proferat, aut cum

mutatione substantiali; 3. si non habuerit intentionem absolvendi virtualem aut actualem; 4. si ob surditatem, somnum, aut distractionem, nullum peccatum pœnitentis intellexit; si enim pœnitenti id posteà notum fiat, debet confessionem iterare, aut saltem peccata non audita iterùm confiteri.

Cæterùm, ad iterandam confessionem, si apud eumdem Confessarium repetatur, et ipse peccatorum jam declaratorum saltem confusè meminerit, vel ita recordetur statûs pœnitentis, ut possit convenientem satisfactionem injungere, sufficit uno verbo peccata jam declarata et ipsi cognita accusare, sicut cùm auditâ confessione Sacerdos distulit absolutionem; praxis enim est ut pœnitens tunc solùm dicat, Accuso me de peccatis quæ jam sum confessus, deindè addat peccata omissa aut posteriùs commissa, si quæ sint. Si autem apud alium Confessarium iteretur confessio quæ fuit invalida, pœnitens distinctè declarare debet omnia mortalia, etiam priùs declarata. Quòd si confessio prior valida fuit, sed aliqua peccata inculpabiliter omissa sunt, tunc sufficit ut illa solùm declarentur.

*Quæres* qualè peccatum admittat qui confitendo mentitur.

*Resp.* 1.° eum peccare mortaliter, si mentiatur circa materiam necessariam confessionis, scilicet circa peccatum mortale, à quo nondùm fuit ritè absolutus. Ratio est quia Confessarium decipit in re gravi, et ad judicium necessariâ.

*Resp.* 2.° si mentiatur circa materiam non necessariam, v. g., circa peccatum veniale, multos Doctores asserere eum peccare tantùm venialiter, modò tamen peccatum illud leve quod confitetur

non sit tota materia confessionis, vel modò Confessarius non interroget de re aliquâ ad directionem pœnitentis necessariâ, v. g., de tempore ultimæ confessionis, vel an peccatum quod confitetur pluries commiserit anteà, etc. Addo solùm suspectam valdè esse debere contritionem hominis, qui scienter in confessione mentitur, licèt circa rem quæ levis videtur.

*Resp.* 3.° si pœnitens neget peccatum aliquod, quod Confessarius certò scit eum commisisse, nec esse confessum, Confessarium non debere ei credere, nec illum absolvere, dummodò peccatum illud extra confessionem noverit; indigno enim occultè petenti sacramentum ministrari non debet. At si peccatum illud per confessionem, v. g., complicis noverit, cùm non possit uti notitiâ tali modo habitâ, nec alterius revelare confessionem, ideò in hoc casu pœnitentem potest absolvere, vel illum fortè sub aliquo prætextu alteri Confessario remittere.

## § III.

### *An Confessio ita semper integra esse debeat, ut nihil unquàm debeat aut possit omitti.*

Notandum confessionem dupliciter esse posse integram: 1.° materialiter, quandò omnia prorsùs mortalia peccata commissa declarantur quoad speciem, numerum et circumstantias necessarias, sine ullâ exceptione aut omissione; 2.° formaliter, quandò pœnitens declarat ea omnia peccata quæ hìc et nunc potest ac debet declarare, absque ullâ omissione mortaliter culpabili, licèt aliqua omittat declarare propter impotentiam physicam vel moralem.

PROPOSITIO.

## PROPOSITIO.

*Integritas materialis non est semper absolutè necessaria ad validitatem Confessionis, sed sufficit aliquandò integritas formalis.*

Ita omnes. Ratio est, quia si integritas materialis semper esset necessaria ad valorem sacramenti Pœnitentiæ, non fuisset convenienter institutum; sunt enim multi casus in quibus vel omninò, vel saltem moraliter impossibilis est confessio materialiter integra. Et verò, juxta Conc. Trid. et evidentem rationem, ab integritate materiali excusat inculpabilis oblivio; ergo à pari quælibet alia justa causa. Proindè quandò quis ab integritate materiali excusatur, sufficit illi integritas formalis.

*Confirmatur* tum ex usu Ecclesiæ, tum ex unanimi omnium Doctorum consensu.

Duplex autem est causa rationabiliter excusans ab exhibendâ integritate materiali, scilicet impotentia physica et moralis, modò pœnitens peccatum non reticeat, nisi quantùm necessitas postulat.

### I.

### *Quandonàm impotentia physica excuset ab integritate Confessionis.*

Impotentia physica triplici præsertìm in casu occurrit. 1.us Casus est oblivionis aut ignorantiæ inculpabilis, aut venialiter tantùm culpabilis, si post adhibitam sufficientem diligentiam, aut putans invincibiliter se sufficientem adhibuisse, cùm tamen non adhibuerit, aliquod mortale peccatum inculpabiliter obliviscatur pœnitens. Item,

si sciens se peccasse mortaliter, non recordetur speciem peccati, sufficit enim si se accuset in genere quòd peccaverit mortaliter, addito tamen in particulari aliquo peccato veniali, aut peccato aliàs declarato, quia, excepto casu necessitatis, absolutio dari non debet nisi confitenti aliquod peccatum certum ac speciale.

Multò minùs absolvendi sunt rudes illi homines, qui à Confessario diligenter examinati, negant omnia peccata etiam levia et communia de quibus interrogantur, et in quæ moraliter certum est eos incidisse, v. g., impatientiam, mendacium, negligentiam in orando, etc., et solùm confitentur se esse peccatores; sic enim non videntur intelligere quid sit peccatum, nec vero dolore affici, sed moveri tantùm ad confitendum, quia alios confitentes vident : undè diligentiùs sunt in particulari erudiendi, neque in tali casu absolvendi.

2.us Casus est, si quis mutus surdus, aut linguæ sive idiomatis ignarus, non possit omnia peccata declarare; si enim nullus adsit Confessarius, cui magis integrè confiteri possit, sufficiet ut ea quæ potest signis vel nutibus exprimat : quòd si scripto possit commodè ac sine periculo confiteri, tenebitur integrè confiteri per seipsum. Non tenetur tamen ordinariè, secundùm communem sententiam, confiteri per interpretem, quia præceptum confessionis non obligat ad confessionem publicam, sed solùm ad secretam : nisi fortè quis in articulo mortis esset constitutus; tunc enim deberet meritò ad salutem in tuto collocandam confiteri per interpretem, nisi etiam modus aliquis adinveniatur, quo interpres non possit peccatum pœnitentis agnoscere ; nempè

si interpres interroget pœnitentem an fecerit hoc vel illud, et pœnitens clàm nutu aliquo, manum comprimendo, vel exporrigendo fateatur Confessarío, vel neget tale peccatum.

3.[u] Casus est in articulo mortis, nempè si moribundus inter confitendum deficiat aut in phrenesim incidat, nec possit confessionem inchoatam perficere, imò etiamsi nullum peccatum in particulari sit confessus, sed solùm petierit Confessarium, vel dederit contritionis signa in ordine ad confessionem, poterit tunc et debebit absolvi. Sed de hoc casu, et aliis hujusmodi, qui sæpè in praxi occurrunt, fusè disseremus cap. 5, art. 5, ubi de Absolutione moribundis concedendâ vel denegandâ.

## II.

### *Quandonàm impotentia moralis excuset ab integritate Confessionis.*

Impossibilitas moralis, seu maxima difficultas, aut damnum magni momenti spirituale vel temporale, excusat ab exigendâ integritate materiali confessionis, modò adsint conditiones requisitæ, et pœnitens taceat solummodò peccatum, quantùm impotentia postulat. Ita communiter Theologi. Porrò impotentia illa moralis ex triplici capite oriri potest.

1.° Quidem ex parte Confessarii : v. g., si immineat evidens periculum contagionis; tunc enim, auditâ parte confessionis, potest pœnitentem absolvere.

2.° Ex parte pœnitentis : si periculum sit ne pœnitens confitendo moriatur; potest enim statìm absolvi; et si superstes sit, reliqua ejus peccata

audienda erunt, eique iterùm absolutio concedenda. Item, si pœnitens ex confessione alicujus peccati sibi vel Confessario rationabiliter timeat scandalum, vel ruinam, vel sigilli confessionis violationem, vel aliquod grave damnum animæ aut corporis (modò tamen de tali periculo, damno aut incommodo certus sit moraliter), peccatum illud confiteri non tenebitur.

3.° Ex parte aliorum : si quis confiteri nequeat aliquod peccatum sine gravi alterius damno spirituali aut temporali; tunc ex lege charitatis poterit, imò aliquandò tenebitur illud tacere : sic, v. g., Confessarius qui peccavit in dandâ absolutione, non tenetur illud peccatum confiteri, si ex tali confessione prudenter prævideat secuturam sigilli violationem; quia præceptum sigilli strictiùs obligat, quàm præceptum integrè confitendi. Item, tempore instantis naufragii, aut incendii, aut tempore pestis, si non possint omnes confiteri, sufficit ut successivè, vel simul singuli confiteantur peccatum aliquod, v. g., minùs infamans.

Dixi 1.°, *modò adsint conditiones debitæ;* ut enim quis excusetur ab integritate confessionis, necesse est 1. ut non suppetat copia alterius Confessarii, cui sine periculo fieri possit integra confessio. 2. Ut sit aliqua necessitas confitendi, v. g., ob communionem annuam, vitandum grave scandalum, etc. 3. Ut periculum sit verum ac prudenter metuendum, non autem vanum, leve ac fictum. 4. Ut damnum quod timetur sit extrinsecum confessioni; neque enim sufficit ut quis vereatur ne famam perdat apud Confessarium, et ab eo peccator habeatur; hoc enim intrinsecum est confessioni, quo non obstante, hanc Christus nstituit ac præcepit.

Dixi 2.°, *dummodò pœnitens peccatum non taceat, nisi quantùm postulat impotentia vel necessitas;* si enim 1. justam habeat causam reticendi peccatum externum furti, tenetur tamen confiteri voluntatem internam furandi, si ex illâ manifestatione nullum timeatur periculum. 2. Si cesset impotentia et periculum, erit obligatio confitendi in particulari peccatum omissum, saltem cùm aderit præceptum confitendi, aut cùm quis confiteri voluerit, juxta supradicta de peccatis inculpabiliter omissis.

*Quæres* an quandò ex confessione peccati debet haberi notitia complicis, quia peccatum alioquin non potest sufficienter declarari, nec haberi alter Confessarius cui complex sit ignotus, possit pœnitens aut debeat peccatum illud reticere.

*Resp.* multò probabilius esse complicem debere manifestari, quod probari potest tum auctoritate, tum ratione. 1.° Auctoritate, nempè S. Bernardi, Opusculo de Formulâ honestæ vitæ, circa finem; S. Thomæ, Opuscul. 12, quæst. 6; S. Bonaventuræ, Opuscul. Tract. de modo confitendi, et multorum aliorum quos citat et sequitur *Suarez*, Disput. 34, sect. 2, de Pœnit. 2.° Ratione. Nam complicem declarari debere exigit tum reverentia Sacramento debita, tum utilitas pœnitentis. 1. Reverentia Sacramenti, quod integrum servari debet; cùm enim infamia pœnitentis non excuset ab integritate confessionis, cur alterius, complicis scilicèt, infamia excusaret, cùm major requiratur ratio ut violetur nostra fama quam proximi? Et verò, inquit *Suarez*, aliàs frequenter confessio suâ integritate careret, v. g., non possent vir et uxor confiteri peccata, quæ inter se committunt, quia cognoscuntur à Confessore, et

unus confiteretur lapsum alterius, et sic in multis aliis casibus. 2. Utilitas pœnitentis. Namque si in judicio publico licet reum accusare pro bono publico, quarè in confessione, sub tanto secreto, non liceret manifestare complicem propter propriam utilitatem? tum quia ex declaratione delicti integri, nempè, cum circumstantiâ complicis, major crescit pudor et dolor de peccato, ac proindè sacramentum majori cum fructu recipitur; tum quia satisfactionem et remedia aptiora imponet Confessarius; tum quia liberatur pœnitens à gravi onere iterùm confitendi circumstantiam complicis alteri Confessario cui complex erit ignotus, ad quod tenetur, etiam juxta patronos adversæ sententiæ.

### *Monitum.*

« Cavere nihilominùs debet Confessarius, » inquit Benedictus XIV, de Synod. lib. 6, cap. 11, n. 1, « ne occasione, seu prætextu exqui-» rendi à pœnitente peccati quod confitetur cir-» cumstantias, eumdem inducat ad pandendum » nomen complicis : etenim quidquid sit, quandò » liceat pœnitenti sui criminis socium liberè et » sponte Confessario revelare; certum tamen est » raró evenire posse ut liceat Confessario com-» plicis nomen à pœnitente sciscitari, multòque » minùs ad illud sibi patefaciendum eumdem » obligare. »

Cùm autem novisset Summ. Pontif. *hanc perniciosam praxim* teneri à nonnullis Confessariis eo sub prætextu quòd « complicem posteà cor-» riperent, atque ita in ejus tantùm utilitatem » hujusmodi uterentur revelatione, » addit : « Verùm nos gravia considerantes quæ indè ne-

» cessariò consequebantur; proximi enim læde-
» batur fama; arctum sacramentalis confessionis
» sigillum periclitabatur; absterrebantur fideles
» à suis culpis Confessario integrè, prout cætero-
» quin opus est, manifestandis; rixæ et discor-
» diæ disseminabantur, et tota demùm perturba-
» batur communitas : idcircò, pro nostri Supremi
» Apostolatûs munere, prædictum tunc primò
» pullulantem abusum, priusquàm inolesceret,
» præfocandum duximus nostris Apostolicis lit-
teris. »

## § IV.

### *Quid præstandum sit à Confessario ut Pœnitens integrè confiteatur.*

Quoniam persæpè contingit ut Confessarius prudenter dubitet an pœnitens integrè confiteatur, et peccatum aliquod omittat, quia est, v. g., rudis, aut ignarus, aut in rebus ad salutem spectantibus parùm diligens; ideò Sacerdotis est diligentiam adhibere, ut pœnitens suo officio satisfaciat : hæc autem diligentia consistit in eo potissimùm, ut aptis interrogationibus pœnitentis defectum suppleat, ejusque conscientiam scrutetur et perlustret. Quæ hâc de re sumus dicturi, tribus sequentibus numeris absolvemus.

## I.

### *An Confessarius teneatur interrogare Pœnitentem.*

PROPOSITIO.

*Quandò Confessarius prudenter dubitat, vel judicat pœnitentem non integrè peccata sua confiteri, tenetur sive ante confessionem, sive in ipsâ, sive post eam, aptis interrogationibus integritatem illius procurare.*

*Prob.* 1.° Quia Confessarius, tanquam sacramenti minister, procurare debet ut dignè ac ritè administretur; ergo debet procurare confessionis integritatem, quandò pœnitens per seipsum non potest, aut non vult integrè confiteri, quod sæpè accidit. 2.° Quia, ut ait S. Thomas in quartum Sententiarum, dist. 19, ad Judicem pertinet curare ut ante sententiæ prolationem causa sufficienter cognoscatur, discutiatur, examinetur; et si opus est, ipse debet inquirere: atqui Confessarius partes agit Judicis; ergo, etc. Hinc auctor libri de verâ et falsâ Pœnitentiâ, inter opera S. Aug., cap. 20, ait: *Diligens igitur inquisitor, subtilis investigator, sapienter et quasi astutè interroget à peccatore quod forsitan ignoret, vel verecundiâ velit occultare. Cognito itaque crimine, varietates ejus non dubitet interrogare, et locum et tempus et cætera quæ suprà diximus.* 3.° Ut notat ibidem S. Thomas, Confessarius fungitur officio Medici; ergo si ægrotus ægritudinem suam non satis aperiat, debet ipse inquirere et interrogare donec sufficientem habeat notitiam morbi et statûs

ægroti, ut conveniens possit adhibere remedium: *Quod enim ignorat Medicina, non curat,* inquit Trid. post. S. Hieron. suprà citatum.

Adde auctoritatem Conc. Lateran. IV. can. *Omnis utriusque sexùs,* ubi monetur Sacerdos ut sit discretus et cautus, more periti Medici, diligenter inquirens et peccatoris infirmitates, et circumstantias peccati.

Dixi autem 1.°, *Confessarium interrogare debere, sive ante confessionem inchoatam;* quandoquè enim expedit quasdam interrogationes præmittere. Has interrogationes recenset S. Carolus in admonitionibus ad Confessarios: 1. quis sit status pœnitentis, quæ ejus professio et ætas; 2. à quo tempore non sit confessus; 3. an impositam pœnitentiam impleverit; 4. an et quomodò conscientiam suam discusserit diligenter; 5. an Articulos fidei, Orationem dominicam, Præcepta Dei et Ecclesiæ sciat; 6. an circa præteritas confessiones aliquem habeat scrupulum: quæ si reperiantur invalidæ, inquirendum erit de numero confessionum et communionum in hoc statu factarum, et confessiones omnes illæ erunt iterandæ; 7. an aliquod impedimentum noverit propter quod absolvi non possit, v. g., an rem alienam retineat, odia vel inimicitias gerat, an sit in habitu vel occasione peccandi, an casum habeat reservatum, aut cui annexa sit excommunicatio: quæ omnia videri possunt in Rituali Romano.

Ratio cur hæ interrogationes aliquandò præmittendæ sint, est quia efficient ut si pœnitens ob aliquam causam sit dimittendus sine absolutione, id illi minùs grave si futurum, quàm si post auditam confessionem fieret. Attamen quandò satis videtur instructus pœnitens, vel Confessario

notus est, aut frequentem habet usum confessionis, vel saltem ab ultimâ confessione longum non intercessit tempus, has interrogationes facere non expedit, sicuti nec quandò dubitatur an pœnitentem possint offendere; tunc enim in decursu confessionis erunt potiùs faciendæ.

Dixi 2.°, *sive in ipsâ confessione pœnitentis;* licèt enim expediat ut pœnitens omnia peccata sua ordinariè sit confessus, antequàm interrogetur de illis in particulari, eumque Confessarius patienter audire debeat, sine interlocutione, increpatione, interrogatione, imò nec suspirio, nec exsecratione, si fieri potest, et sine ullo tædii, horroris, admirationisque signo; necessarium tamen est aliquandò brevem interrogationem interponere : 1. de numero, quoties peccatum mortale quod confitetur admiserit, vel quanto tempore ei fuerit assuetus, et quoties in die vel hebdomadâ circiter commiserit; 2. de circumstantiis necessariis, v. g., an sit solutus, an conjugatus, si contra castitatem peccaverit, etc.; 3. de obligationibus peccatum consequentibus, v. g., restituendi bona vel famam, sese cum inimico reconciliandi, dimittendi occasionem peccandi, habitum corrigendi.

Ratio cur hæc tunc inquiri debeant, est partìm ne molestum sit pœnitenti eadem posteà repetere, partìm ne Confessarius obliviscatur interrogationis posteà faciendæ, præsertìm si longior sit confessio.

Dixi, 3.° *sive post auditam confessionem;* quia si pœnitens non videatur integrè confessus, interrogandus est solùm de his quæ omisit, vel non satis explicuit : idque maximè observandum est si pœnitens sit honestus, benè institutus, aut

doctus ; ne scilicet indiscretis et inutilibus interrogationibus fatigetur et offendatur absque necessitate. Si tamen pœnitentem, quantumvìs doctum, officio suo in re gravi deesse Confessarius sciat vel dubitet, de eo debet interrogare pœnitentem, etiamsi peccatum illud non confiteatur.

Quòd si pœnitens rudis sit, nec nisi à longo tempore confessus, totaque ejus confessio sit sine ordine et declaratione circumstantiarum, perindè erit interrogandus ac si non esset confessus, percurrendo Decalogum, præcepta Ecclesiæ, peccata capitalia, et peccata hujusmodi hominibus magìs communia, sive contra Deum, id est, contra fidem, spem, charitatem et religionem; sive contra proximum, id est, contra charitatem et justitiam; sive contra seipsum, id est, sobrietatem, abstinentiam et castitatem.

## II.

### *Quænam sint observanda interrogando Pœnitentem.*

Circa interrogationes, monita quædam hìc visum est apponere omninò necesssaria.

1.° Igitur interrogandi sunt de illis solis peccatis, quæ communiter nota sunt, et ab hominibus ejusdem conditionis et ætatis vulgò fieri solent, nisi aliter ex præmissâ eorum confessione faciendum esse videatur.

2.° Juvat interdùm, interrogando rusticos, mulieres ac pueros circa peccata communiter nota, et apud ejusmodi personas usitata, quærere, non utrùm ea commiserint, sed quotiès ea commiserint, et si hæreant ac dubitare videantur,

numerum majorem iis indicare, v. g., an centies juraverint, etc.; sic enim interrogati faciliùs respondent, et conscientiam magìs aperiunt, ut docet experientia.

3.° Circa peccata contra castitatem, cautissimè interroget Confessarius, ne juniores ea doceantur, quæ feliciter ignorabant; incipiat ergo semper à levioribus, quærendo, v. g., quot turpes cogitationes habuerint, quomodò his restiterint. Deindè, quoties turpia desideria habuerint, posteà quoties obscena verba protulerint. Deindè, quoties oscula vel tactus leves passi sint, aut fecerint: in quibus si innocentes reperiantur, non erit ultrà progrediendum. Si autem rei inveniantur circa cogitationes et desideria, paulatìm ulteriùs examinandi erunt circa oscula, turpes aspectus et tactus: in quibus si iterùm rei sint, interrogandi erunt de opere consummato contra castitatem, et specialiter de pollutione voluntarià, quam opere carnis comprehendi plerique non intelligunt. Similiter, si negent cogitationes turpes, et peccata cordis, cùm tamen externum fateantur, signum est peccata interna sufficienter iis nota non esse: undè aptis interrogationibus juvanda est illorum ignorantia aut verecundia. Prætereà, ut disponantur ad detegenda graviora crimina, præsertìm contra castitatem, quæ præ pudore non audent confiteri, juvat eos interrogare an socii ad turpia eos allicere tentaverint, quoties consenserint. Item, à personis junioribus alterius sexûs, quæ turpia confiteri verentur, cautè inquirendum an turpes cogitationes in mentem venerint, quoties consenserint, an se ab aliquo tangi passæ sint, etc. Deniquè, quoad personas conjugatas, discretè inquirendum est, an dissen-

siones habuerint : si affirmativè respondeant, quærendum an dissensiones illæ effecerint ut debitum conjugale sine causâ negaverint. An circa usum conjugii aliquod fecerint minùs honestum, vel quo conscientia gravetur.

Jam verò ne Confessarius sibi vel pœnitenti causa existat turpis tentationis vel scandali, cum dispositionibus sequentibus sollicitè curet interrogare : 1.° piè, mentem ad Deum elevando. 2.° Pudicè, verbis intelligibilibus quibusdam, sed omninò honestis et castitatem redolentibus. 3.° Prudenter, ita ut circumstantias omninò necessarias, v. g., personarum inquirat, modos autem particulares et circumstantias peccati contra castitatem non scrutetur; præstat enim statum pœnitentis non omninò intelligere, quàm sibi vel illi scandalum creare : et qui secùs faciunt, rectè dicuntur contaminatores confessionis potiùs quàm Confessores. 4.° Circa peccata alia, quæ non sunt contra castitatem, debet interrogare, prout prudentia suggesserit, non solùm de opere externo, sed etiam de cogitatione morosâ, de desiderio et voluntate efficiendi, de scandalo, de omissione, de inductione per exemplum, consilium, consensum, etc. : an se exposuerit peccandi periculo; an defuerit suo officio et obligationibus particularibus statûs proprii. Pauci enim aut ferè nulli ad eas attendunt, nec de his se accusant, multò minùs emendant. Deniquè, optimum est ultimò quærere à pœnitente an aliquid conscientiam ejus gravet.

Ut autem magìs prosint interrogationes istæ et similes; si quos invenerit Confessarius timidos, pusillanimes aut peccata confiteri erubescentes, excitabit eos propositâ ipsis divinâ cle-

mentiâ, paternâ misericordiâ, humanâ fragilitate ipsi notâ, utilitate sinceræ confessionis, inviolabili sigilli obligatione, auxilio etiam iis promisso. È contrà, si protervos inveniat et impudentes, suaviter quidem, sed graviter moneat ipsos, non ante hominem, sed ante Deum et Christum Dominum, cujus locum tenet Confessarius, sisti tanquam reos læsæ Majestatis divinæ, Deum non irrideri, periclitari eorum salutem æternam, pœnas inferni paratas impœnitentibus, multò magìs Pœnitentiæ sacramentum profanantibus, ac tanto remedio abutentibus.

## III.

*An Confessarius interrogare et monere debeat pœnitentem quem novit ignorare peccatum quod fecit aut facturus est.*

Maximi momenti est ac frequentioris praxis quæstio præsens. Ut autem rectè solvatur, multiplici distinctione opus est. Vel enim ignorantia pœnitentis est vincibilis, vel invincibilis; item vel ex monitione aliquis fructus speratur, vel nullus. Rursùs, vel graviora ex monitione timentur incommoda, vel non. Itaque

1.° Certum est apud omnes pœnitentem semper monendum esse, si illius ignorantia sit vincibilis; tunc enim pœnitens, ratione illius ignorantiæ, est in statu peccati, nec proindè absolvi potest; et insuper nihil prodest Confessarii silentium : admonitio autem, si non statìm, posteà forsitan suum consequetur effectum.

2.° Constat pariter monendum esse pœnitentem cujus ignorantia est invincibilis, modò 1.° adsit spes emendationis; modò 2.° ex moni-

tione graviora non timeantur incommoda. Ratio 1.æ partis est, quòd ignorantia pœnitentis, etsi invincibilis, quoddam est malum, quod proindè avertere tenetur Confessarius, ut potè doctor et medicus pœnitentis. Ratio 2.æ partis est, quòd è duobus malis minus sit eligendum: porrò fieri potest ut peccatum materiale minus sit malum quàm incommoda quæ ex monitione timentur, quæque sæpè locum darent multis peccatis formalibus; si, v. g., moneretur conjux de invaliditate sui matrimonii quam invincibiliter ignorabat, cùm ex monitione præviderentur scandala, rixæ, familiæ dissensiones, etc.

3.° Consentiunt etiam omnes Confessarium teneri aperire veritatem pœnitenti ipsum interroganti an talis vel talis actus sit licitus necne, etsi nullus ex responsione Confessarii fructus speretur; tum quia nullo in casu licet Confessario pœnitentem in errore confirmare: in præsenti autem hypothesi, silentium Confessoris esset erroris approbatio et confirmatio, ut patet; tum quia interrogatio pœnitentis satis ostendit ipsius ignorantiam non esse invincibilem.

Eò igitur recidit controversia an Confessarius debeat admonere pœnitentem qui laborat ignorantiâ invincibili, quandò non interrogat, et nullus speratur fructus ex monitione, sive quia eam statìm rejiciet pœnitens, sive quia, cùm ad praxim erit deveniendum, tentationi succumbet.

Tres hâc de re occurrunt sententiæ. Alii affirmant, quia, inquiunt, in hypothesi factâ, pœnitens non potest judicari ritè dispositus ad absolutionem, cùm prævideatur non obsecuturus Confessarii monitioni. Alii è contrà negant, eâ

nixi ratione quòd monitio inutilis simul et nociva fieri non debeat præsertìm à Confessario qui pater est et medicus sui pœnitentis. Alii demùm mediam inter duas præcedentes tenent sententiam, litemque ope distinctionis dirimi posse opinantur : scilicet, vel ex monitione tentatio emerget pœnitenti extraordinaria et vehemens, vel communis duntaxat et ordinaria : si prius, omittenda est monitio ; si posterius, facienda : cum istis sit

PROPOSITIO.

*Regulariter admonendus non est pœnitens laborans ignorantiâ* invincibili, *qui prævidetur non obsecuturus monitioni, quandò ipsa monitio illum exponeret tentationi* vehementi et extraordinariæ : *admonendus est verò, si, ex monitione, nonnisi* ordinariæ et communi *tentationi exponeretur.*

*Prob.* 1.ª *pars.* Namque ut pœnitens in factâ hypothesi moneri non debeat, sufficit quòd monitio inutilis sit et noxia, ipseque pœnitens possit judicari ritè dispositus : atqui res ita est. Et 1.º monitio in factâ hypothesi est inutilis et noxia. Inutilis quidem, cùm ipsi non obtemperabit pœnitens, ut supponitur ; noxia verò, cùm pœnitens qui, ob ignorantiam invincibilem, materialiter solùm hactenùs peccabat, post monitionem peccabit formaliter. 2.º Pœnitens ritè dispositus potest prudenter judicari ; ex eo quòd enim prævideatur fore ut succumbat tentationi vehementi cujus victoria extraordinariam virtutem exigit, sequitur duntaxat ipsum non esse athletam fortissimum, minimè verò esse malè dispositum : et certè, sufficienter dispositus ad

absolutionem censendus est pœnitens, qui hìc et nunc paratus est, cum auxilio gratiæ, ad Dei mandata implenda et ad omnia subeunda mala generatìm, potiùs quàm Deum offendere, licèt prævideatur, attentâ suì fragilitate, cessurus tentationi *extraordinariæ* quæ occurreret, si in hâc vel illâ occasione poneretur : atqui ejusmodi est pœnitens in præfatâ hypothesi; ergo, etc.

*Prob.* 2.ª *pars.* Etenim ad absolutionem dispositus prudenter judicari nequit qui prævidetur non obsecuturus Confessoris monitioni, ubi agitur de adimplendâ obligatione ordinariâ, et de victoriâ à tentatione reportandâ quæ nonnisi virtutem communem exigit. Namque voluntas non peccandi de cætero, quæ in contritione necessariò includitur, si vera sit et sincera, ita pœnitentem debet afficere ut hìc et nunc sit dispositus ad omnia et singula officia, saltem ordinaria, quæ ipsi innotescent, obeunda. Et verò, si pœnitens sit ritè dispositus, falsò supponeretur contempturus Confessarii monita quæ nonnisi ordinariæ tentationi illum exponerent; cùm enim habeat sinceram voluntatem se cum Deo reconciliandi, præsumi debet quòd, cùm auxilio gratiæ, suæ voluntatis pertinaciam superabit; ergo, etc.

Dixi in propositione, *regulariter* admonendum non esse pœnitentem, etc., quia excipiendi sunt casus sequentes in quibus debet admoneri.

1.° Cùm pœnitens ea ignorat quæ ad salutem necessaria sunt *necessitate medii ;* tunc enim non est capax absolutionis, et aliundè etsi non moneatur, non salvabitur; satiùs est ergo illum in eo statu ponere in quo, si velit, possit salvari.

2.° Quandò ignorantia pœnitentis vergit in

*damnum* vel *scandalum publicum*. Nam boni publici consideratio ita debet afficere pœnitentem qui dispositionibus vel ordinariis præditus est, ut ipsi vires tribuat superandi etiam gravem tentationem.

3.° Si *resistentia* vel *ignorantia* pœnitentis prævideatur mox desitura; *resistentia* quidem, cùm scilicet sperandum est fore ut pœnitens qui initio conturbatus monitionem respuet, posteà tamen, mente sedatâ, monitioni sit obsecuturus: *ignorantia* verò, si juris sit naturalis quoad secundaria principia, v. g., pollutionis, delectationis venereæ; etsi enim supponeretur in his dari ignorantiam invincibilem (quod multi negant), talis ignorantia, propter suspicionem malitiæ quam illæ pravæ et inhonestæ actiones ingerunt, diù durare nequit; undè si non moneatur pœnitens, hanc malitiæ suspicionem malè fundatam existimabit ex silentio Confessoris, et sic in peccato formali, ex conscientiâ vincibiliter erroneâ, perseverabit; dùm, si moneatur, spes est quòd saltem pravam consuetudinem aperiet in confessione, ubi salutaria remedia accipiet.

4.° Cùm error pœnitentis *grave damnum* inferret proximo, v. g., si exerceat contractum usurarium quem invincibiliter ignorat esse talem; modò tamen monitio, omnibus perpensis circumstantiis, nonnisi ordinariæ tentationi pœnitentem exponere deberet; alioquin pœnitens non posset judicari dispositus, ex jam dictis. Si verò, ex monitione, extraordinariæ et vehementi tentationi exponendus esset pœnitens, tunc non esset admonendus; potest enim esse ritè dispositus, et aliundè monitio inutilis foret simul et nociva, ex probatis. Hinc ad sensum hujus dictinctionis

moderanda videtur sententia plurium Theologorum, qui *absolutè* dicunt omittendam esse monitionem, etiam quandò ignorantia pœnitentis vergit in damnum proximi, si ex eà nullus speratur fructus.

Ex dictis, infertur 1.° Confessarium qui novit conjuges in ignorantià invincibili matrimonium contraxisse cum impedimento dirimenti occulto, posse, imò et debere sæpè sæpiùs, eos relinquere in bonâ fide, propter graviora quæ ex monitione emergerent incommoda, ut fusiùs dicemus in *Tract. de Matrimonio*. Hæc autem incommoda eò faciliùs evenire possunt quòd sæpè, juxta leges civiles hodiernas, vix locus esset conjugum separationi. Sed gravis est difficultas, si agatur de matrimonio nondùm celebrato. Quocircà generalis esto regula : *Attendendum est tum ad reverentiam sacramento debitam, tum ad mala quæ oriri possent ex matrimonio invalido ; hæcque simul conferenda sunt cum incommodis quæ prævidentur ex monitione secutura, et è duobus malis minus eligendum.* Jam verò regulariter, re adhuc integrà, minus erit malum si fiat monitio, sive quia ex matrimonio invalido plurima sequuntur mala quæ, si conjugem à contrahendo matrimonio non deterreant, dant locum timendi ne sit indispositus ; sive quia sæpè, post initum tale matrimonium, cessat ignorantia, tuncque adest periculum peccandi formaliter. Dixi, *re adhuc integrâ,* quia si jam parata sint omnia, aliquandò majus esset malum monitio, proindèque satiùs esset tacere, et interìm occultè petere dispensationem.

Infertur 2.° Confessarium Prælatorum, Parochorum, Confessorum, etc., debere regulariter

eosdem admonere, si noverit quòd ex ignorantiâ suo muneri non satisfaciant; hæc enim ignorantia, ut benè advertit *Delugo*, vel vincibilis est ac proindè culpabilis; vel si invincibilis supponeretur, cedit plerùmque in scandalum aut in damnum commune.

Hæc autem dicta sunt de casibus ubi Confessarius moraliter certus est de naturâ ignorantiæ pœnitentis ac de effectu suæ monitionis. Sed *quid juris*, si nesciat an monitio sit profutura vel obfutura, debet ne, stante dubio, monere pœnitentem?

*Resp.* Vel Confessarius dubitat solùm de fructu suæ monitionis, aliundè certus quòd monitio ipsa non erit noxia pœnitenti, et tunc tenetur admonere, tam ex charitate quàm ex officio Magistri ac Pastoris; vel dubitat tam de fructu quàm de damno secuturo ex monitione, et tunc *comparetur utilitas et damnum, et gradus timoris ac spei; ac omnibus pensatis illud eligatur, quod præponderari* in Domino *judicabitur; cùm enim finis admonitionis vel silentii Confessarii, sit bonum pœnitentis aut bonum publicum, quandò illud intervenit, in illam partem debemus inclinare quæ, secundùm præsentem statum, eligibilior est :* ita *Delugo.*

Observabis 1.° non semper esse concludendum pœnitentem esse bonæ fidei circa peccatum aliquod, ex eo quòd de eo non loquatur; sed attendendum esse ad illius scientiam et pietatem relativè ad circumstantias in quibus versatur. 2.° Ita cautè investigandam esse illius conscientiam ut ei non ingeratur mala fides; ideòque, si opus sit, debet Confessarius generaliter, aut quasi aliud agendo, ipsum interrogare. 3.° Non facilè præ-

sumendum quòd pœnitens monitioni resistet, et cùm id meritò præsumit Confessarius, ad hoc conari debet ut pœnitentem à malo avertat et in bono proposito confirmet, sicque possit illum monere et ex monitione fructum sperare.

## ARTICULUS III.

### *De Sigillo Confessionis.*

Duo nobis tractanda supersunt : 1.° quænam sit obligatio sigilli confessionis; 2.° quænam sint ex illâ obligatione colligenda.

### § I.

### *Quænam sit obligatio Sigilli Confessionis.*

Sigilli nomine hìc intelligitur arctissima obligatio servandi secreta ea quæ accepta sunt per confessionem sacramentalem, ductâ metaphorâ à sigillo quo litteræ muniuntur, ut arcana iis contenta tegantur.

#### PROPOSITIO.

*Strictissima est obligatio inviolabiliter servandi secreta ea quæ per confessionem sacramentalem accepta sunt.*

Certissima est propositio.

*Prob.* ex triplici præcepto hanc obligationem imponente. 1.um Est præceptum naturale servandi secretum, et famam proximi, ac reverentiam sacramento debitam, ne odiosum reddatur ac inutile.

2.um Est præceptum divinum ipsi sacramento intrinsecum, et necessariò consequens ex ejus institutione : undè S. Thomas, in suppl. quæst. 11, art. 3, dicit *quòd sigillum confessionis com-*

*petit Sacerdoti inquantùm est minister hujus sacramenti :* tale autem præceptum divinum habemus ex Traditione Ecclesiæ, et communi SS. PP. et Doctorum consensu. Undè etiam sequitur nullo jure humano dispensari posse circa hanc obligationem.

3.um Est præceptum ecclesiasticum, quod sub gravissimis pœnis prohibet sigilli confessionis violationem. Gregorius, relatus tit. de Pœnitentiâ, dist. 6, cap. 2, sic habet : *Sacerdos ante omnia caveat, ne de his qui ei confitentur peccata, alicui recitet, non propinquis, non extraneis..... Nam si hoc fecerit, deponatur, et omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat.* Conc. Later. IV, sub Innoc. III, eamdem pœnam depositionis in sigilli violatores decernit, sed perpetuam peregrinationem commutavit in perpetuam pœnitentiam in arctiori peragendam monasterio. Hæc sunt ejus verba, can. *Omnis utriusque sexûs : Caveat autem omninò Sacerdos, ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo aliquatenùs prodat peccatorem ; sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ullâ expressione personæ cautè requirat; quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solùm à sacerdotali Officio deponendum decernimus, verùm etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum Monasterium detrudendum.*

Rationem reddit Innoc. III, quia, inquit, graviùs peccat Sacerdos qui peccatum revelat, quàm homo qui committit.

Dixi 1.°, *strictissima obligatio*, et hæc ex triplici capite.

1.° Quidem quia violatio sigilli triplicem ordi-

dinariè includit malitiam : primam sacrilegii omninò inseparabilem, et semper mortalem; non enim hìc datur levitas materiæ, et revelatio vel minimi peccati est gravissima injuria contra sacramentum. Secundam injustitiæ, contra pactum tacitum fidelitatis : undè et revelans teneretur ad compensationem damni secuti. Tertiam detractionis injustæ, cum obligatione reparandi famam proximi.

2.° Quia nullà etiam Sum. Pont. aut Ecclesiæ universæ dispensatione fieri potest ut licitè violetur.

3.° Quia certum est in nullo prorsùs casu eam violari posse, et propter nullum finem, quantumlibet bonum, honestum aut utilem, nec pro tuendâ Confessoris ipsius vitâ, nec pro bono spirituali aut temporali pœnitentis, nec pro Republicâ ipsâ tuendâ aut conservandâ à quolibet malo spirituali vel temporali, saltem sine expressâ et omninò voluntariâ pœnitentis licentiâ; nam per hujusmodi sigilli inviolabilem fidelitatem meliùs Reipublicæ damno mederi potest Confessor.

Ratio est, quia ex inviolabili sigilli observatione pendet Religionis Christianæ conservatio, quæ alioquin totaliter subverteretur : cui malo, nullum malum quantumlibet magnum sit, nullum bonum, quamvis maximum, potest nec debet præponderare.

Dixi 2.°, *inviolabiliter servandi secreta*, id est, 1. nec signo, nec verbo, nec facto, nec dicto, nec scripto, nec ullo alio modo significandi quæ audita sunt in confessione; 2. neque ante, neque post pœnitentis mortem, neque aliis, quamvis ab ipso pœnitente vel aliter culpam in confessione declaratam rescivissent, neque ipsi pœnitenti extra tribunal Pœnitentiæ, et

veluti extra claustrum sacramenti; 3. neque directè et expressè revelando, neque indirectè, scilicet faciendo, aut omittendo aliquid, undè detegatur, vel in suspicionem veniat confessio pœnitentis, v. g., si duorum fratrum Confessor unum laudet quòd vix ulla etiam venialia peccata afferat, suspicandi locum dabit alterum non esse talem; vel si circumstantiam aliquam specialem aperiat ex quâ possit pœnitens detegi, dicendo, v. g., Primus cujus audivi confessionem, talis peccati reus erat.

Dixi 3.°, *quæ accepta sunt per confessionem*, id est, per confessionem factam ex intentione sacramenti; seu in ordine ad absolutionem recipiendam, sive absolutio data sit, sive non : imò sive pœnitens integrè confessus sit, sive non, sive absque contritione etiam scienter sit confessus, ut aliquo modo satisfaceret Ecclesiæ præcepto, vel ut à Confessore juvaretur et curaretur; in his enim casibus confessio non desinit esse sacramentalis.

## § II.

### *Quænam sint ex obligatione Sigilli colligenda.*

Ex his quæ in præcedenti paragr. diximus, multa colligi possunt ad praxim Pœnitentiæ.

Sequitur ergo 1.° Confessorem qui audiendo confessiones ita peccavit, ut peccatum suum confiteri non possit, quin manifestet pœnitentis confessionem, nec posse, nec debere peccatum illud suum confiteri, donec habeat copiam confessoris cui pœnitens sit ignotus. Ratio est, quia obligatio sigilli præponderat obligationi integrè confitendi.

Sequitur 2.° Confessorem interrogatum an aliquid

quid noverit, quod per solam confessionem ipsi notum est, posse ac debere negare etiam cum juramento, si opus sit, se quidquam scire, vel audivisse.

Sequitur 3.° Confessorem qui ex pœnitentis confessione novit instare grave damnum, vel alicui particulari, vel ipsi Reipublicæ, debere quidem obligare pœnitentem, ut per se vel per alium, si possit, periculis illis obviet; et, si nolit, debere illi negare absolutionem : pœnitentem tamen reum talis delicti manifestare non potest Confessor, sed id solùm facere quod poterit sine ullo periculo manifestandi pœnitentem, aut vel minimam suspicionem contra ipsum excitandi. Meliùs enim, ut diximus, poterit Confessor mederi malo Reipublicæ per sigilli inviolabile secretum, sine quo reus nullus peccatum confiteretur.

Sequitur 4.° eum frangere sigillum, qui utitur notitià èx confessione acceptâ, quandò indè conjici potest pœnitentem aliquod peccatum, etiam veniale, et aliundè notum, fuisse confessum. Item, si quis notitià in confessione acceptâ utitur ad faciendum aliquid pœnitenti onerosum et ingratum, v. g., ad eum puniendum, vultu severo intuendum, aut ad eum præter morem declinandum. Item, ad parandas ei insidias, ut in flagranti delicto deprehendatur; ad eum ab officio vel Beneficio dimovendum; ad negandum ei suffragium, quod alioquin dedisset, aut alio modo impediendum ne Beneficium vel hæreditatem consequatur; ad negandam ei eleemosynam, imò et ad eum occultè vitandum, quandò ex confessione novit eum esse excommunicatum non toleratum, etc. Hæc enim omnia ingrata sunt pœni-

tenti, et ideò redderent ex se confessionem odiosam, si pœnitentes scirent hæc aut similia fieri posse sine expressâ eorum licentiâ.

Sequitur 5.° frangi sigillum ab eo qui, sive directè, sive indirectè, revelaret peccatum pœnitentis etiam leve et publicum, dicendo, v. g., de latrone publico, eum magno dolore furta sua esse confessum; item, pœnitentem confessum esse aliquod peccatum mortale in genere, vel casum reservatum, vel non accepisse absolutionem defectu dispositionis necessariæ, vel se ei imposuisse pœnitentiam, præsertìm si sit gravis. Imò frangeret sigillum, qui peccatorum circumstantias, v. g., malitiam, durationem, etc., detegeret, vel peccatorum socios seu complices, aut ea quæ à pœnitente dicuntur, sive prudenter, sive imprudenter, in ordine ad declarationem peccatorum, v. g., quòd sit scrupulosus, spurius, aut alia hujusmodi.

Addo, quoad defectus naturales, qui ex modo confitendi pœnitentis percipiuntur, v. g., quòd sit rudis et tardioris ingenii, molestæ indolis, etc., non licere Confessori de his loqui, nisi vel aliundè hos noverit, vel sint publicè noti; quanquam et tunc præstat de his altum servare silentium, ne simplices offendantur, et à confessione retrahantur.

Bona verò pœnitentis opera, virtutes, etc., etsi propriè non cadant sub sigillo confessionis, nec eorum revelatio odiosam reddat confessionem, ordinariè tamen ex intentione pœnitentis cadunt sub obligatione secreti naturalis.

Sequitur 6.° obligatione sigilli teneri eos omnes qui, sive immediatè, sive mediatè, aliquid acceperunt ex confessione sacramentali. 1. Interpres adhibitus; item, qui scripsit rogatus hominis

alicujus confessionem. 2. Qui scriptam confessionem invenit ac legit, quamvis multi sentiant eum teneri solùm arctissimâ obligatione secreti naturalis. 3. Qui casu vel deditâ operâ audivit pœnitentis peccata; item, is cui sacrilegè, aut etiam sine advertentiâ, aut inculpatè à Confessore revelata essent; item, is cui de licentiâ pœnitentis declaratum est peccatum ad petendum consilium. 4. Obligatione sigilli tenetur laicus qui, fingens se esse Sacerdotem, excepit alterius confessionem. 5. Etiam Confessor qui extra confessionem de peccatis à pœnitente consulitur, v. g., quâ ratione sint declaranda; hæc enim petitio est veluti confessionis inchoatio; item, ex probabiliori sententiâ, etiam ille Superior, à quo extra confessionem, per se, vel per alium, pœnitens petit licentiam necessariam ut absolvatur à peccatis reservatis. 6. Deniquè, pœnitens ipse, licèt propriè non sigillo, sed secreto naturali tantùm, non potest tamen sine aliquâ contra sacramentum irreverentiâ, temerè et absque necessitate vel utilitate loqui de rebus in sacramento Pœnitentiæ velut in asylo depositis, præsertìm contra famam aut voluntatem justam Confessoris.

Contrà verò infertur 1.° ex dictis in præcedenti paragr., etsi licitum non sit extra confessionem de auditis in confessione loqui cum ipso pœnitente, multò minùs cum alio, absque expressâ pœnitentis licentiâ; posse tamen id fieri licitè cum tali licentiâ, dummodò tres conditiones adsint omninò necessariæ. 1.ª Ut licentia illa sit expressa verbo, vel scripto, vel etiam facto sufficienter data, v. g., si pœnitens ipse prior de confessione loquatur, et Confessorem interroget, potest ipse respondere. Non sufficit autem præ-

sumpta licentia et interpretativa, quam pœnitens concederet si rogaretur; hæc, inquam, nullatenùs sufficit. 2.[a] Licentia illa debet esse omninò voluntaria, non vi, aut injuriâ, vel minis, nec dolo, nec precibus importunis, aut metu reverentiali ipsius Confessoris extorta. 3.° Non debet esse revocata, concessam enim licentiam pœnitens potest semper validè revocare, etiam sine causâ. Addo solùm, rarissimè et propter magnam necessitatem aut utilitatem, acceptandam esse à pœnitente hanc licentiam, idque cum ingenti circumspectione ac singulari prudentiâ faciendum, ne quid scandali indè oriatur.

Infertur 2.° Confessorem posse licitè in tribunali Pœnitentiæ, et intra claustrum sacramenti, cum pœnitente loqui de rebus auditis in præcedentibus ejus confessionibus, dummodò aliqua subsit causa, ad procurandam emendationem pœnitentis, ad dandum ei remedium, ad suspendendam absolutionem, etc.

Infertur 3.°, absolutè loquendo, ab eo non frangi sigillum, qui audita in confessione ita refert, ut persona de quâ agitur, nullatenùs cognosci, nec in suspicionem venire possit.

Verùm, nisi id postulet necessitas aut magna utilitas, servandum de his altum silentium, tum quia rudes scandalizantur, existimantes violari sigillum; tum quia sagaces ex variis circumstantiis simul junctis possent aliquandò in cognitionem vel suspicionem venire pœnitentis, præsertim si speciales notas adhibeat Confessor, dicendo, v. g., qui primus confessus est, vel quem heri audivi, etc., aut si peccata in confessione declarata non multò post, vel in eodem oppido referat. Violaret ergo sigillum, qui hæc aut illa peccata

in tali Communitate, Civitate, etc., præsertìm si parva sit, frequentia esse diceret.

Infertur 4.° non frangi sigillum à Confessore, qui dicit talem pœnitentem esse confessum, vel benè confessum, nisi fortè aliqua adsit circumstantia propter quam pœnitens nolit hæc sciri, v. g., quia posset in suspicionem venire criminis gravioris. Item, qui dicit pœnitentem non fuisse absolutum quia non habebat materiam absolutionis, vel quia confessionem generalem non compleverat, vel quia Confessor aliò vocatus est. Frangeret verò sigillum, si præberet occasionem suspicandi absolutionem datam non fuisse ob defectum aliquem pœnitentis. Quapropter sermo de his nunquàm est habendus, et si quis Confessor ab aliquo interrogetur utrùm absolverit, an non, respondere debet se suo functum esse officio.

Infertur 5.° eum non frangere sigillum, qui utitur notitiâ in confessione acceptâ ad orandum pro ipso pœnitente, ad exhibenda ei singularia benevolentiæ signa, ad consulendos libros, imò ad consulendos viros peritos, dummodò dignosci non possit pœnitens. Item, qui, auditis confessionibus, fit diligentior in studio, in sermonibus castigatior, suavior in dirigendis aliis, prudentior in amovendis occasionibus peccati, hæc enim omnia confessionem odiosam non reddunt, modò absit periculum in suspicionem adducendi pœnitentem.

Infertur 6.° posse aliquem uti notitiâ extra confessionem acquisitâ, modò nihil addat ampliùs, aut nullâ ratione certiùs significet quàm quantùm novit extra confessionem, in quo certè magnâ prudentiâ et circumspectione opus est: undè tutius est de auditis in confessione, licèt

aliundè notis, omninò tacere, citra gravem necessitatem. Quæ necessitas si occurrat, tunc optimum erit addere circumstantias undè novit, v. g., quia vidit, vel à tali audivit, ne simplices offendantur, existimantes eum uti notitiâ per confessionem partâ.

Infertur 7.° confessionem fictè factam, ad illudendum Confessori, vel ad eum pervertendum et alliciendum ad peccatum, aut ad furandum ei aliquid, non esse sacramentalem, ideòque non inducere obligationem sigilli.

Infertur deniquè, si quis secretum committat alicui qui non sit ejus Confessor, etiamsi talis commissio facta sit sub obligatione sigilli sacramentalis, hinc tamen non oriri propriè sigillum, sed tantùm obligationem secreti naturalis, graviorem aut leviorem, pro rei exigentiâ : hæc autem obligatio differt ab obligatione sigilli, quia sigillum confessionis in omni omninò casu viget; et hæc obligatio secreti naturalis nulla est, quandò revelatio necessaria est pro bono communi Reipublicæ.

## SECTIO III.

### *De Satisfactione.*

Satisfactio, prout hìc sumitur, est voluntaria suî ipsius punitio, ad compensandam injuriam Deo per peccata illatam, et pœnam eis debitam redimendam. Satisfactio alia est *non sacramentalis*, quæ à pœnitente extra sacramentum sponte et liberè suscipitur; alia *sacramentalis*, quæ vulgò dicitur *pœnitentia*, et describi solet : *Voluntaria acceptatio, et exsecutio operis pœnalis à Confessario injuncti ad compensandam inju-*

*riam Deo illatam, et exsolvendam pœnam temporalem quæ restat ordinariè ex peccatis remissis quoad culpam.*

Satisfactio rursùs alia est *publica*, alia *privata*. Privata est ea quæ secretò peragitur; publica verò quæ palàm cæteris videntibus et intelligentibus agitur : et hæc publica subdividitur in solemnem et non solemnem, ut alibi diximus.

Ii sunt præcipui errores Protestantium circa Satisfactionem : 1.° non remanere debitum pœnæ temporalis, saltem post præsentem vitam, luendæ in satisfactionem peccati; ideòque negant existentiam Purgatorii, Indulgentias rejiciunt et suffragia pro defunctis; 2.° opera laboriosa, quibus peccati præteriti reatus expiatur, ab Ecclesiâ virtute clavium injungi non posse; 3.° nulla ex operibus nostris esse satisfactoria. Calvinistæ verò speciatim negant reatum pœnæ temporalis etiam pro vitâ præsenti existere; hinc consequenter docent pœnas ejusmodi à pœnitentibus sponte susceptas valere tantùm ad novæ vitæ custodiam, ad infirmitatis remedium, et aliorum exemplum.

His positis, tria hæc investiganda sunt : 1.° quæ sit satisfactionis necessitas, 2.° an et qualis satisfactio debeat à Sacerdote imponi 3.° an debeat à pœnitente acceptari et adimpleri.

## ARTICULUS PRIMUS.

### *De Necessitate Satisfactionis.*

Hujus articuli materia duobus paragraphis absolvetur, in 1.° quæremus an, remissâ culpâ, restent pœnæ pro eâ luendæ, in 2.° autem an pro ejusmodi pœnis homo satisfacere Deo possit et debeat.

## § I.

*An remissâ culpâ restent pœnæ pro eâ luendæ.*

Probavimus suprà, remissâ culpâ, tolli reatum pœnæ æternæ : quæritur jam an supersint aliquæ pœnæ temporales luendæ.

### PROPOSITIO.

*Dimissâ culpâ, ordinariè supersunt pœnæ temporales luendæ, in satisfactionem divinæ offensæ.*

Propositio est de fide.

*Prob.* 1.° *ex Script.* Numer. c. 14, ℣. 19. *Dimitte, obsecro, peccatum populi hujus secundùm magnitudinem misericordiæ tuæ.* Et ℣. 20 : *Dixitque Dominus : Dimisi juxta verbum tuum.* Et tamen ℣. 34 dicitur : *Juxta numerum quadraginta dierum, quibus considerastis terram, annus pro die imputabitur. Et quadraginta annis recipietis iniquitates vestras, et scietis ultionem meam.* II Reg. c. 12, ℣. 13 et 14, Nathan Propheta Davidi dicit : *Dominus transtulit peccatum tuum... verumtamen* QUONIAM *blasphemare fecisti inimicos Domini,* PROPTER *verbum hoc filius, qui natus est tibi, morte morietur.* Concessâ ergo Davidi et populo Israel peccatorum veniâ, temporalis ipsis superfuit pœna luenda.

*Prob.* 2.° *ex Conc. Trid.* Sess. 14, can. 12 : *Si quis dixerit, totam pœnam simul cum culpâ remitti semper à Deo, satisfactionemque pœnitentium non esse aliam quàm fidem, quâ apprehendunt Christum pro eis satisfecisse, anathema sit.* Item ex can. 13 et 15.

*Prob.* 3.° *ex SS. PP.* sequenti § referendis. Hic sufficiat appellare S. Aug. in Psal. 50 : *Ecce enim veritatem dilexisti...., id est, impunita peccata eorum etiam quibus ignoscis, non reliquisti... Sic misericordiam prærogasti, ut servares et veritatem. Ignoscis confitenti..., sed seipsum punienti : ita servatur misericordia et veritas. Misericordia, quia homo liberatur ; veritas, quia peccatum punitur.*

*Prob.* 4.° *ex perpetuâ Ecclesiæ praxi,* à primis seculis rigidissimas pœnitentias imponentis, etiam post absolutionem faciendas aut continuandas, ut patet ex Conc. Nicæno I, can. 12 ; Carthag. IV, can 78 ; Arausicano I, can. 3.

Tandem illud demonstratur ex constanti fide Ecclesiæ de existentiâ Purgatorii, et more orandi pro mortuis, de quibus suo loco agimus ; hæc enim duo manifestè arguunt, peccato remisso pœnam aliquam remanere superstitem.

Dixi, *ordinariè*, quia potest esse aliquandò pœnitentis contritio tam vehemens, ut plenam à Deo indulgentiam obtineat, et tota pœna remittatur : sed hoc rarum est.

*Dices* 1.° Deus condonat perfectè peccatum ; ergo non restant pœnæ luendæ.

*Resp. Dist. ant.* Condonat quantùm ad culpam, et pœnam æternam illi debitam, *conc.* ; condonat perfectè quantùm ad pœnam temporalem, *nego*. Substituit enim Deus pœnam temporalem æternæ, quod est infinitæ misericordiæ opus, ut disertis verbis ait Trid. Sess. 6, cap. 14. Hoc etiam evidenter innuit S. Aug. de Davide loquens, lib. 22 contra Faustum, cap. 67 : *Intelligebat enim,* inquit, *vir altè sanctus..., nisi Dominus esset confitenti pœnitentique propitius,*

*quantùm pœnarum æternarum ejus essent digna peccata; pro quibus cùm temporalibus emendationibus uteretur, videbat erga se, et manere veniam, et non negligi medicinam.*

*Dices* 2.° Christus abundè pro nobis satisfecit; ergo non est necessaria satisfactio nostra.

*Resp. Dist. ant.* Christus abundè satisfecit quantùm ad sufficientiam, *conc.;* quantùm ad efficaciam et applicationem, *nego*. Non enim omnes à culpâ et pœnâ liberantur, sed illi solùm quibus pretium ab eo pro omnibus oblatum applicatur eo modo quo ipse instituit. Sicut ergo impœnitentibus non applicatur sufficienter ad remissionem culpæ et pœnæ, quia scilicet ipsi nolunt; sic etiam pœnitentibus non statìm applicatur integrè ad solutionem totius pœnæ, sed tunc tantùm, quandò per sacramenti collationem et opera pœnalia eis fuerit applicatum. Satisfactiones ergo nostræ passionis et satisfactionis Christi fructus sunt: et sicut merita Christi infinita non impediunt quominùs opera bona facere debeamus, ita etiam satisfactiones Christi impedire non debent quominùs pro peccatis nostris satisfaciamus, imò vim omnem tribuunt ac meritum nostris satisfactionibus. Certè S. Paulus non ignorabat satisfactiones Christi, et tamen Coloss. c. 1, ℣. 24, dicebat: *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, in carne meâ.* Defectus tamen non oritur ex parte satisfactionum Christi, quæ superabundantes sunt, neque ex parte Christi, qui eas pro omnibus obtulit; sed ex parte hominum, quorum plerique nolunt eas sibi applicare sicut oportet.

## § II.

### *Utrùm homo pro pœnâ temporali Deo satisfacere possit ac debeat.*

PROPOSITIO PRIMA.

*Potest homo satisfacere pro pœnâ temporali peccato remisso debitâ.*

De fide est, et traditur à Conc. Trid. Sess. 14, can. 13.

*Prob.* 1.° *ex Script.* Proverb. c. 16, ℣. 6: *Misericordiâ et veritate redimitur iniquitas.* Daniel. c. 4, ℣. 24, Nabuchodonosor alloquens: *Peccata tua,* inquit, *eleemosynis redime.* Jam verò si eleemosynis et aliis bonis operibus homo nondùm justificatus peccata aliquatenùs redimere potest; à fortiori pro pœnâ temporali iis debitâ satisfacere poterit vir justus.

*Prob.* 2.° *ex SS. PP.,* inter quos Tertull. lib. de Baptismo, cap. 20: *De pristinis,* inquit, *satisfacimus conflictatione carnis et Spiritûs.* S. Cyprianus, Serm. de Lapsis: *Confiteantur singuli... dùm satisfactio... apud Dominum grata est.* S. Amb. lib. 7, cap. 12 in Lucam, versùs finem: *Sicut qui pecuniam solvunt, debitum reddunt..: sic compensatione charitatis actuumque reliquorum, vel satisfactione quâcunque, peccati pœna dissolvitur.* Et ante ipsum, S. Pacianus dixerat: *Inquantùm pœnæ vestræ non peperceritis, intantùm Deus vobis parcet.* Ita plures alii à Bellarmino laudati.

*Prob.* 3.° *ex Trid.* Sess. 14, cap. 8: *Neque verò securior ulla via in Ecclesiâ Dei unquàm existimata fuit ad amovendam imminentem à*

*Domino pœnam, quàm ut hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent.* Et cap. 9: *Docet tantam esse divinæ munificentiæ largitatem, ut non solùm pœnis sponte à nobis pro vindicando peccato susceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro mensurâ delicti impositis, sed etiam, quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis à Deo inflictis, et à nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Christum Jesum satisfacere valeamus.*

*Prob.* 4.° *Ratione.* Nihil impossibile à Deo homini præcipitur; Deus enim impossibilia non jubet, inquit Trid.: atqui satisfactio pro pœnâ homini præcipitur, ut mox dicemus; ergo satisfactio possibilis est.

*Quæres* an pœnam temporalem expiare possit homo de condigno, ita ut verè et propriè satisfaciat coram Deo.

*Resp.* hominem justum et in gratiâ sanctificante constitutum posse, etiam de condigno, satisfacere pro temporali pœnâ. Etenim Concilia eodem prorsùs modo loquuntur de satisfactione pro pœnâ illâ, quo de æternæ vitæ merito: atqui potest homo justus per aliqua bona opera, etiam de condigno mereri vitam æternam; ergo potest etiam per quædam opera bona satisfacere de condigno.

Prætereà, nihil obstat quominùs homo justus de condigno satisfaciat; nam satisfaciens supponitur viator et justificatus, supponitur etiam ejus opus procedere ex gratiâ, ratione cujus quamdam habet æqualitatem, saltem proportionis, et aliundè exstat promissio divina in multis Scripturæ locis, ut Prov. c. 16, ℣. 6, ubi dicitur, misericordiâ et veritate iniquitatem

redimi; ergo, etc. Quia tamen hæc satisfactio non est ex propriis hominis, sed ex gratiâ Christi, ideò non est ex rigore justitiæ, nec absolutam habet æqualitatem.

Confirmari potest hæc responsio auctoritate Sum. Pont. Pii V, et Greg. XIII, qui in Bullâ contra Michaelem Baium hanc ejus propositionem condemnârunt: *Satisfactiones laboriosæ justificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam.*

### PROPOSITIO II.

*Tenetur homo satisfacere Deo pro pœnâ peccato debitâ.*

*Prob.* 1.° *ex Script.* Joelis c. 2, ℣. 12: *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu.* Matth. c. 3, et Lucæ c. 3, ℣. 8: *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* Act. c. 26, ℣. 20: *Et gentibus annuntiabam ut pœnitentiam agerent, et converterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes.*

*Prob.* 2.° *ex SS. PP.*, quos inter S. Cypr. Serm. de Lapsis toties relato; S. Ambr. ad Virginem lapsam, cap. 8: *Grande scelus grandem habet necessariam satisfactionem.* Et suprà: *Tu proprii facti judex esto crudelior..; lugubris tibi accipienda est vestis et mens, ac membra singula dignâ castigatione punienda.* S. Aug. Homil. 50, inter 50, nunc Serm. 351, cap. 5: *Non sufficit mores in melius commutare, et à factis malis recedere; nisi etiam de his quæ facta sunt, satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti*

*cordis sacrificium.., cooperantibus eleemosynis*, Idem docet S. Greg. Hom. 34 in Evangelia, et Reg. pastoralis part. 3, admon. 31. Concinunt cæteri Patres.

Hæc cùm generalia sint et de omnibus indiscriminatim peccatis pronuntiata, intelligi non possunt, ut volunt Protestantes, de pœnis pro publicis solùm peccatis, in scandali reparationem injunctis, sed absolutam pro quolibet peccato satisfaciendi necessitatem commendant.

His addi possent canones et decreta, quæ congruas satisfactiones peccatis præscribunt. Ex quibus omnibus colligitur, quantâ sit auctoritate fundata Ecclesiæ Catholicæ doctrina de satisfactione pœnitentium, ejusque necessitate.

Quæ sint autem satisfactionis emolumenta et fructus, explicat Trid. Sess. 14, cap. 8, his verbis: *Procul dubio enim magnoperè à peccato revocant, et quasi freno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque et vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt: medentur quoque peccatorum reliquiis, et vitiosos habitus, malè vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt... Accedit ad hæc, quòd dùm satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur, certissimam quoque indè arrham habentes, quòd si compatimur, et conglorificabimur.*

## ARTICULUS II.

### *De impositione Satisfactionis sacramentalis.*

Hactenùs egimus de satisfactione generaliter sumptâ, nunc de solâ sacramentali tractandum,

circa quam quatuor à nobis expendenda sunt: 1.° an Confessarius teneatur aliquam injungere pœnitentiam, 2.° qualem, 3.° quænam opera possit præcipere, 4.° deniquè an et quomodò commutare valeat pœnitentiam jam à se vel ab alio impositam.

## § I.

## *An Confessarius Pœnitentiam injungere debeat.*

### PROPOSITIO.

*Confessarius non solùm potest, sed etiam regulariter debet injungere pœnitentiam peccatis proportionatam.*

Certissima est propositio.

*Prob.* 1.° *ex verbis Christi*, Joan. c. 20, quibus non solvendi solùm, sed et ligandi potestatem Apostolis concessit: sub illâ autem potestate, Trid. Sess. 14, cap. 8, et can. 15, intelligit etiam potestatem obligandi pœnitentes ad pœnitentiam injunctam.

*Prob.* 2.° *ex antiquis canonibus*, pœnitentiæ modum ac durationem præscribentibus, quibus addi possent innumera Patrum testimonia, quorum aliqua posteà referemus.

*Prob.* 3.° *ex Conc. Trid.* Sess. 14, cap. 8: *Debent ergo Sacerdotes Domini... convenientes satisfactiones injungere, ne, si fortè... indulgentiùs cum pœnitentibus agant..., alienorum peccatorum participes efficiantur.*

*Prob.* 4.° Quia satisfactio est pars integralis sacramenti Pœnitentiæ, ut ait Trid. ejusdem sessionis cap. 3. Ideò contra reverentiam sacramento debitam, et contra Religionem ageret Confessarius, si pœnitentiam imponere negli-

geret, essetque peccatum *mortale*, quod tamen, ex levitate materiæ, veniale fieri posse nonnulli existimant.

Dixi, *regulariter injungendam pœnitentiam;* quia si pœnitens ita sit morti proximus, ut pœnitentiam implere non possit, tunc nulla erit imponenda. Verùm, extra hunc casum, aliqua saltem levissima injungenda est ipsis ægrotis, v. g., actus amoris Dei, brevis oratio, prolatio nominis Jesu, etc. Quòd si mors non statìm immineat, imponi potest aliquid ab ægroto, per eum, vel per alium implendum, v. g., eleemosyna, ut pœnitens omni satisfactionis fructu non careat. Si autem spes sit recuperandæ sanitatis, imponi poterit opus aliquod conveniens, ab ipso pœnitente, cùm convaluerit, præstandum.

Etsi autem ad validitatem sacramenti non referat an pœnitentia imponatur ante datam absolutionem, an post, modò moraliter conjungatur cæteris partibus sacramenti; convenientiùs tamen imponitur ante absolutionem, tum ut, quantùm fieri potest, materia subjiciatur formæ, tum ut pœnitens voto et acceptatione pœnitentiæ incipiat satisfacere.

## § II.

### *Qualem et quantam Confessarius injungere debeat Pœnitentiam.*

PROPOSITIO.

*Debet Confessarius, quantùm spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et pœnitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones injungere.*

Hæc sunt expressa Trid. verba, Sess. 14,

cap. 8. Undè propositio probatione ulteriori non indiget, sed explicatione, cùm hanc ferè unicam regulam pro pœnitentiis injungendis Ecclesia nunc præscribat; siquidem canones pœnitentiales non sunt in usu quoad totam eorum latitudinem.

Dixit itaque 1.° Conc. Trident., *injungendas esse pœnitentias pro qualitate criminum*, quia in his imponendis Confessarii potissimùm spectare debent criminum qualitatem, id est, speciem, numerum, circumstantias augentes vel minuentes peccati gravitatem, ut pœnitentia non sit tantùm ad novæ vitæ custodiam, et infirmitatis medicamentum, ut ait ibidem Trid., sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, et castigationem. Rationem anteà reddiderat: *Ne, si fortè*, inquit, *peccatis conniveant, et indulgentiùs cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.*

Hinc S. Cypr. sub finem tract. de Lapsis, ait: *Quàm magna deliquimus, tam granditer defleamus, alto vulneri diligens et longa medicina non desit, pœnitentia crimine minor non sit.* Et Greg. VII, in Synodo Romanâ V, decreto 5, ait: *Falsas pœnitentias dicimus, quæ non secundùm auctoritatem SS. Patrum pro qualitate criminum imponuntur.*

Dixit 2.° Conc. Trid. injungendas esse satisfactiones, *pro pœnitentium facultate*, et idem habet Rituale Romanum: debet ergo Confessarius maximè attendere ad pœnitentium facultatem, tum temporalem, tum spiritalem; non enim omnia possumus omnes. Idipsum ait S. Carolus Borromæus, Act. Mediol. part. 4: *Talem imponat*

*pœnitentiam, qualem ab eo præstari posse judicet: proindè aliquandò, si ita expedire viderit, illum interroget an possit, anve dubitet pœnitentiam sibi injunctam peragere, alioquin eam mutabit aut minuet.* Id etiam iisdem verbis ait Rituale Parisiense.

Hinc 1.° infirmis corpore aut austerioris vitæ genere utentibus, imponi non debent graves pœnitentiæ, saltem carnis afflictivæ, sed leviores. 2.° Junioribus ratione ætatis, mulieribus ratione sexûs infirmioris, operariis ratione statûs, imponenda non sunt jejunia, peregrinationes, longæ preces, largæ eleemosynæ, quandò hæc difficilè implere possent. 3.° Leviores quandoquè injungi possunt satisfactiones iis qui signa exhibent singularis et extraordinariæ contritionis, aut his qui pietatis exercitiis vel misericordiæ ferventiùs vacare solent, quia hæc defectum pœnitentiæ supplent. 4.° Quandò Confessarius prudenter judicat pœnitentem sincerè conversum, sed nondùm virtutis exercitiis assuetum, à christianâ vitâ deterrendum fore, si pœnitentiam gravissimam imponat, poterit leviorem imponere, quam libentiùs persolvet: undè et consiliis ejus parebit, atque in posterum in virtute radicatus pleniùs satisfaciet. Videat Confessarius, inquit loco citato S. Carolus Borromæus, *ne... nimiùm deterreri, remissusve et tepidus reddi possit;* consultius ergo est ut pœnitentiæ opera diuturna sint potiùs quàm gravia.

Si quandò tamen levior imponitur satisfactio, eâ de re monendi sunt pœnitentes, juxta S. Caroli consilium: *Demonstrabit,* inquit ibidem, *his qui graviùs peccaverint (quò magìs scelerum suorum magnitudinem agnoscant), quanta*

*ipsis pœnitentia ex canonum regulis imponenda esset, nec verò putent peccata sua levia esse, quia parva illis pœnitentia data est : sed hoc factum esse ne eam quæ pro culparum ratione injungenda erat, deserant cum periculo salutis suæ. Proindè pœnitentes hortandi erunt, ut, præter pœnitentiæ imposita opera, plura etiam alia præstare conentur.*

Dixit 3.° Trident. Conc. injungendas esse satisfactiones *salutares*, id est, medicinales simul ad novæ vitæ custodiam, et medicamentum infirmitatis; et pœnales ad peccatorum præteritorum vindictam et castigationem, ut ait ibidem Trid. Id etiam exigit à Confessario ratio Judicis ac Medici : optimum ergo erit si, juxta Ritualia, contrarias peccatis pœnitentias injungat, v. g., avaris eleemosynas, libidinosis jejunia et afflictationes carnis, superbis humilitatis officia, desidiosis devotionis studia; rariùs autem vel seriùs confitentibus, vel in peccata facilè recidentibus, utilissimum erit consulere ut sæpè, putà semel in mense, vel certis diebus solemnibus, vel etiam frequentiùs confiteantur. Item, amatoribus mundi, ejusque pompas, choreas et alia satanæ opera sectantibus, injungendum suadet S. Carolus ut manè surgentes revocent in memoriam sponsiones in Baptismo factas, quod idem vesperè præstare poterunt. Alia ejusmodi remedia cum Dei gratià facilè occurrent Confessario piis meditationibus et lectionibus assueto, et multa breviter collecta legi poterunt apud *Loartez*, Theolog. Soc. Jesu.

Dixit 4.° Conc. Trid. imponendas esse satisfactiones *convenientes*, id est, non solùm quæ sint in se salutares, sed quæ juxta prudentiæ regulas conveniant tum personæ, tum peccatis pro

quibus imponuntur. Confessarius enim exhibere debet prudentiam in exsequendo ministerio suo, justitiam in ferendo judicio, pietatem in dando remedio.

Postulat autem prudentia, 1. ut habeatur ratio sexûs, ætatis, conditionis, professionis, etc., ne, v. g., pauperibus aut filiis-familiâs eleemosynæ injungantur, jejunia operariis. 2. Ne ei qui in alienâ est potestate, ea injungantur, quæ præjudicium afferant ei à quo pendet, vel quæ sint ipsi pœnitenti occasio scandali et ruinæ spiritualis, vel quibus peccatum ejus aut alienum detegi aut in suspicionem venire possit, diuturna et insolita jejunia conjugi, aut extraordinaria peregrinatio, quæ murmurandi aut suspicandi præbeant materiam. 3. Ne pro occultis peccatis, quantumlibet gravibus, publicæ imponantur pœnitentiæ, quod prohibetur in Ritualibus, nisi ex aliquâ justâ et evidenti causâ pœnitens eas ultrò acceptet ac exsequi velit, ad aliorum ædificationem. Si quis autem graviter, publicè, et cum manifesto aliorum scandalo et offensione peccaverit, decernit Trid. Synodus, Sess. 24, cap. 8, publicam injungi debere pœnitentiam, quæ tamen ab Episcopo in secretam possit commutari, si ita expedire judicaverit: ideò antequàm imponatur publica pœnitentia, præsertìm si pœnitens eam refugiat, de ejus consensu consulendus est Episcopus, ut statuitur in Ritualibus passìm. 4. Ne rudibus præsertìm et obliviosis injungat Confessarius pœnitentias implicatas diversis precibus, aut diversi generis operibus, sed ita quæque injungat ut distinctè intelligant, et facilè recordari possint quid sibi præceptum sit, quidve solùm sub consilio et in remedium præscriptum. 5. Deniquè

postulat prudentia, ne opera vel exercitia singulis diebus injungantur per unum mensem aut annum, ut si quo die omissa fuerint, omissio reparari non possit altero die, supplendo defectum: præstat ergo rem faciendam quatuor aut quinque hebdomadæ diebus injungere, quàm singulis; iis verò qui in peccata relabi solent, proderit aliquandò pœnitentiam imponere, quoties fuerint relapsi.

## § III.

### *Quænam opera pro Satisfactione sint imponenda.*

Tria sunt operum genera, ad quæ revocari possunt omnes pœnitentiæ salutares, scilicet jejunia, orationes, eleemosynæ; per hæc enim Deo offerimus omnia bona nostra, sive corporis, sive spiritûs, sive etiam bona quæ vocantur fortunæ, in satisfactionem peccatorum contra Deum, contra proximum, et contra nos ipsos, et in remedium concupiscentiæ carnis, superbiæ vitæ et concupiscentiæ oculorum, quæ sunt tres peccatorum radices à S. Joanne assignatæ.

Jejunii nomine intelliguntur omnes carnis afflictationes, macerationes, scilicet 1. jejunia, etiam aliquandò in pane et aquâ; 2. abstinentia à carnibus, vino, vel ejus multâ aquâ temperati usus parcior; 3. item, flagellationes, cilicia, peregrinationes sanctæ ac religiosæ, præsertìm pedibus factæ: quanquam, ut ait auctor libri Imitationis Christi, *qui multùm peregrinantur, raró sanctificantur;* 4. vigiliæ, humi cubationes, etc.; 5. genuflexiones, brachiorum extensiones, aut alii pœnales situs corporis, præsertìm si aliquandiù durent; 6. abstinentia à deliciis, conviviis, ludo,

venatione, equitatione, vestibus exquisitis, etc., per aliquod certum et determinatum tempus; 7. deniquè certa quædam et quotidiana pœnitentiæ opera.

Orationis nomine comprehenduntur, 1. vocalis recitatio Psalmorum, Rosarii, etc., cui Rosario recitando semper addendi sunt quidam actus sive contritionis, sive adorationis et amoris circa Christi Domini mysteria, identidem producendi à recitante, ne parùm attentè et devotè recitetur; sive intentiones quædam piæ proponendæ pœnitenti, ut virtutes quasdam B. Virginis meditetur et imitetur, dùm in ejus honorem Rosarium recitat; 2. meditatio et oratio mentalis, lectio librorum spiritualium, quam juvat interdùm fieri totâ audiente familiâ; 3. examen conscientiæ serò et manè, et renovatio propositi vitæ emendandæ cum contritionis actibus; 4. numerus certus actuum fidei, spei et charitatis, humilitatis, contritionis, etc.; 5. visitatio Ecclesiarum, aliquantulùm in singulis orando; item, exercitia religionis; 6. frequens sacramentorum Pœnitentiæ et Eucharistiæ receptio, auditio Missæ, sacræ conciones, catechismi; Officia divina, et alia pietatis exercitia, sive erga Dominum Jesum Christum, sive erga B. Virginem et alios Sanctos.

Eleemosynæ nomine intellegi debent omnia opera misericordiæ corporalia et spiritualia, v. g., eruditio ignarorum, consolatio afflictorum. Caveat autem Confessarius ne pœnitentias pecuniarias sibi applicet sub quolibet prætextu, imò ne à pœnitentibus quidquam tanquam ministerii sui præmium petat, vel accipiat; deniquè caveat omnem avaritiæ suspicionem aut fraudis : quâ de re audiendus est S. Carol. Borr. in Instructionibus

Confessariorum, Act. Eccl. Mediolan. part. 4 : *Cùm pro pœnitentiâ*, inquit, *Missas injunxerit* (Confessarius) *sibi aut Ecclesiæ suæ, aut Monasterio dicendas non addicat.* Idem monitum renovat Summ. Pontif. Benedictus XIV de Synodo, lib. 5, cap. 9, n. 6; et lib. 10, cap. 9, n. 2, hanc addit rationem, quia *id aut simoniam saperet, aut certè non effugeret turpis quæstûs notam.* Nec sanè prætereunda quæ addit S. Carolus : *Idem servabitur in restitutionibus incertis, aut votorum commutatione, aliisque hujusmodi. Nec ipse* (Confessarius) *pecuniæ aliusve rei restituendæ provinciam assumat, nisi necessitas ad id eum adegerit, ne scilicet pœnitens dignoscatur : tùmque apocham recipiat ab eo cui restitutionem contulerit, quam posteà pœnitenti tradet : ita deniquè se gerat, ut nec minimam avaritiæ labis suspicionem contrahat.*

Porrò diligenter observandum est non semper expedire ut hoc triplici operum genere pœnitentia constet : imò pœnitentiæ in se leves, sed diuturnæ, plurimùm prosunt, v. g., ut quis quoties è lecto surgit, vel illum ingreditur, cogitet se moriturum, vel se meruisse æternis addici flammis; item, sæpiùs in Deum cogitet præsentem et ad eum recurrat; item, utile erit, v. g., assuetis jurare, blasphemare, etc., injungere ut singulis diebus per mensem, dent assem pauperibus, non simul et unâ vice, sed duodenis vicibus, toties retractando habitum illum pravum, et postulando à Deo illius destructionem.

Expedit etiam aliquandò ea injungere, pœnitentiæ loco, quæ jam aliundè sunt præcepta, v. g., fugam alicujus personæ scandalosæ, cauponarum, etc., jejunium Quadragesimæ, audi-

tionem Missæ festis diebus, quandò scilicet periculum est ne pœnitens præcepta illa violet, circa quæ cautior est ob injunctam pœnitentiam. Præsumendum tamen non est ordinariè opera illa fuisse à Confessario imposita, nisi id expresserit, et ex circumstantiis hoc evidenter significantibus prudenter colligatur : v. g., si præcepit duas audire Missas die festo, præsumitur voluisse illam comprehendere, quæ jam erat de præcepto, item, si singulis anni hebdomadis jejunium præscripserit, censetur comprehendisse jejunium quod per Quadragesimam jam est præceptum : quo in casu, si omissum fuerit, duplex erit in illâ omissione malitia, altera contra religionem erga pœnitentiæ sacramentum, altera contra præceptum audiendi Missam diebus festis.

Prætereà, suadendum est pœnitentibus, ut satisfactioni à Confessario impositæ alia addant opera satisfactoria, et ut peccata sua eleemosynis, jejuniis et orationibus redimant.

## § IV.

### *An et quomodò Confessarius commutare possit Pœnitentiam à se vel ab alio impositam.*

Certum est pœnitentem non posse per seipsum commutare pœnitentiam in aliud opus evidenter melius; tum quia ad eam obligatur ex præcepto Superioris; tum quia commutatio illa est actus jurisdictionis sacramentalis, quam pœnitens erga seipsum exercere non potest.

PROPOSITIO

## PROPOSITIO PRIMA.

*Ob justas rationes potest Confessarius in sacro tribunali pœnitentiam à se impositam commutare.*

Ratio est, quia, cùm sit Judex legitimus, potest sententiam aliquo modo mutare, si ita expedire ipsi visum fuerit : tunc autem iterari debet confessio præcedens, nisi sufficienter illius meminerit Confessarius; debet enim causam certam habere, ut certum ferat judicium.

Dixi, *in sacro tribunali;* cùm enim hæc pœnitentiæ impositio sit actus jurisdictionis sacramentalis, extra sacrum Pœnitentiæ tribunal exerceri non potest.

## PROPOSITIO II.

*Ob justam causam potest aliquandò Confessarius commutare pœnitentiam ab alio impositam, si tamen æqualem habeat jurisdictionem.*

Ratio est, quia pœnitens potest iterùm peccata confiteri, alterique Confessario subjicere, ut aliam sententiam recipiat, proindèque novam pœnitentiam; non quidem per modum appellationis, sed per modum novi judicii, quod ad bonum pœnitentis quandoquè potest expedire : in hoc autem casu confessio debet iterari, quia hæc commutatio debet solùm fieri, causâ cognitâ.

Dixi 1.°, *hoc aliquandò fieri posse ob justam causam,* quia id rarò fieri debet, nec nisi ob gravissimas rationes; tum quia præsumendum est in favorem prioris Confessarii, nisi evidenter constet eum errasse; tum quia facilitas illa pœnitentias commutandi, vitia pœnitentium fovet,

et Confessariorum despectui cedit, quorum acta tam facilè irritari viderint pœnitentes. Potest tamen aliquandò contingere justa id faciendi causa, si evidens sit Confessarium non servasse æquitatem, vel si pœnitentiæ exsecutio facta sit pœnitenti impossibilis.

Dixi 2.°, *si æqualem habeat jurisdictionem;* communis enim est sententia, posteriorem Confessarium qui non haberet jurisdictionem in peccata reservata, non posse mutare pœnitentiam pro reservatis à priori Confessario impositam.

*Dices :* Secundus Confessarius, si non sit superior priori, non habet jus in eum, nec potest ejus sententiam irritare; ergo pœnitentiam ab eo impositam non potest commutare.

*Resp. Nego cons.* Nam secundus Sacerdos non exercet imperium in priorem, sed in pœnitentem : nec propriè revocat sententiam prioris, sed vel eam moderatur, vel suam profert; neque auctoritati ejus derogat, sicut Episcopus aut Rex non derogat auctoritati prædecessoris sententiam ejus mutando vel legem moderando justâ de causâ.

## ARTICULUS III.

### *De Obligatione adimplendi Pœnitentiam à Sacerdote impositam.*

Quæritur 1.° utrùm pœnitens teneatur acceptare ac implere pœnitentiam à Confessario impositam, 2.° quonam tempore pœnitentia debeat adimpleri.

## § I.

## *An Pœnitens teneatur acceptare, et implere Pœnitentiam à Confessario impositam.*

### PROPOSITIO.

*Pœnitens tenetur acceptare et implere pœnitentiam rationabilem et peccatis proportionatam.*

Propositio certissima est.

*Prob.* 1.° auctoritatibus suprà allatis. Si enim jus habet Sacerdos, tanquam Judex à Christo institutus, pœnitentiam imponendi, certè pœninitens tenetur eam acceptare, hæc enim sunt correlativa. Et verò, Christus potestatem ligandi Apostolis concessit, id est, obligandi fideles ad pœnam.

*Confirmatur* auctoritate Conc. Lateran. IV, quod can. 21 præcepit ut : *Omnis utriusque sexûs fidelis injunctam sibi pœnitentiam pro viribus studeat adimplere.* Quod non tam statuit, quàm lege divinâ statutum determinat, ut aliàs diximus.

*Prob.* 2.° Quia quilibet subditus tenetur parere Judici rectè judicanti : atqui Confessarius est Judex; ergo ipsi rationabilem pœnitentiam injungenti parere debet pœnitens. Et verò debet Confessarius procurare sacramenti integritatem, alioquin reus esset magnæ irreverentiæ erga sacramentum.

Hinc peccaret *mortaliter* pœnitens qui recusaret vel omitteret pœnitentiam gravem pro gravibus peccatis injunctam. Potest tamen omissio executionis pœnitentiæ impositæ esse peccatum duntaxat veniale, si omittatur materia levis, v. g., parva pars pœnitentiæ; vel, juxta plures, si pœnitentia sit solùm pro venialibus.

## § II.

### *Quo tempore impleri debeat Pœnitentia.*

PROPOSITIO PRIMA.

*Necesse non est ut ante absolutionem pœnitentia impleatur.*

Certissima est propositio, et sine temeritatis ac erroris notâ negari non potest.

*Prob.* 1.° ex usu et praxi hodiernâ Ecclesiæ, quam damnare nemo audeat, nisi hæreticus, cùm S. Aug. Epist. 118, ad Januarium, dicat: *Si quid tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare, insolentissimæ insaniæ est.*

*Prob.* 2.° ex Bullâ Confirmationis Conc. Complutensis, datâ anno 1578, in quâ Sixtus IV hanc Petri Osmensis propositionem damnavit: *Non sunt absolvendi pœnitentes, nisi peractâ priùs pœnitentiâ iis injunctâ.*

Accedit censura Facultatis Parisiensis: cùm enim auctor quidam affirmasset ex institutione Christi necessarium esse ad validitatem sacramenti, ut satisfactio ante absolutionem impleatur, prædicta Facultas, anno 1644, mense Junio, declaravit hoc temerarium esse, hæreticum, et à Sixto IV contra Petrum de *Osma* illiusque sequaces prædamnatum.

Fateor equidem usitatum olìm fuisse ut à publicè pœnitentibus satisfactiones impositæ implerentur ante absolutionem, præsertìm canonicam, ut probant aliqua Conciliorum et Patrum testimonia. Verùm, etiam illis priscis temporibus, ante impletam satisfactionem absolvebantur pœnitentes, non solùm cùm de vitâ periclitabantur,

ut testatur S. Leo, Epist. 91 ; Conc. Carthag. IV, can. 66 ; Conc. Nicæn. I, can. 12 ; Arausicanum I, can. 3 : sed etiam absque tali vitæ periculo, ut patet ex cap. *Presbyter*, part. 1 decreti, distinct. 82, cap. 5, ubi licèt fornicario Presbytero decem annorum pœnitentia præscribatur, permittitur tamen communio corporis et sanguinis Domini post annum cum dimidio, quæ certè communio non fuit unquàm concessa ante absolutionem sacramentalem. Idem etiam patet ex cap. *De viro*, causâ 12, quæst. 2, et ex can 5, 6 et 8 Conc. Ancyrani.

Multis autem rationibus nititur hodierna Ecclesiæ praxis : 1.° quidem ut pœnitentes Deo reconciliati possint in gratiâ et meritis proficere ; 2.° ut efficaciores sint eorum satisfactiones in statu gratiæ impletæ ; 3.° ut ostendatur absolutionem Sacerdotis valere ad solutionem pœnæ, non solùm æternæ, sed etiam temporalis, secundùm aliquam partem. Sæpè tamen observandum est, maximè in peccatoribus qui magnis criminibus vel longo peccandi habitu sunt constricti, ut ante absolutionem, quæ differri debet, partem pœnitentiæ sibi impositam exsequantur, ut per pœnitentiæ opera gratiam absolutionis et perseverantiæ suis fletibus possint aliquo modo promereri.

Hinc 1.° meritò Clemens XI, in Constitutione *Unigenitus*, oppositam sententiam 87.â Quesnelli propositione expressam damnavit.

Hinc 2.° meritò reprobata est à Pio VI, Const. *Auctorem fidei*, doctrina Synodi Pistoiensis inter damnatas n. 35, tanquam « falsa, temeraria, » communi praxi Ecclesiæ injuriosa, inducens in » errorem, hæreticali notâ in Petro de Osma con- » fixum » suprà relatum.

## PROPOSITIO II.

*Si tempus sit præfixum, intra illud implenda est pœnitentia; si verò nullum sit designatum, impleri debet, cùm primùm fieri potest.*

Ratio 1.æ partis est, quia parendum est sententiæ justæ legitimi Superioris et Judicis. Ratio autem 2.æ partis est, quia id postulat tum sacramenti integritas, tum ratio medicinæ, tum etiam justa Judicis sententia.

Si quis tamen tempore præfixo pœnitentiam implere aut neglexisset, aut non potuisset, deberet posteà illam implere; quia, etsi illa non possit jam impleri quoad omnes circumstantias, potest tamen impleri secundùm id quod est principale, nempè opus præscriptum.

*Quæres* an iterari debeat pœnitentia, quandò in statu peccati mortalis impleta est.

*Respondent* ferè omnes illam non habere tunc effectum præcipuum propter quem injungitur, scilicet remissionem partis, vel totius pœnæ temporalis debitæ; non esse tamen obligandum pœnitentem ad iterandam illàm pœnitentiam, quia, inquiunt, aliquo modo satisfecit præcepto Confessarii, et hæc est praxis communis. Id tamen intelligendum est quandò pœnitens post acceptam absolutionem recidit in peccatum mortale, et in illo statu pœnitentiam adimplet, nam qui ante absolutionem, per pœnitentiam et opera satisfactoria sibi injuncta se præparat ad remissionis gratiam, licèt non sit adhuc à peccato mortali absolutus, tamen dolorem peccati in se excitat, et sic quod in se est facit.

# CAPUT V.

## *De Formâ sacramenti Pœnitentiæ,*

## seu

## *De Absolutione.*

Inquirendum venit, 1.° in quo sita sit sacramenti Pœnitentiæ forma, seu absolutio; 2.° quibus et quandonàm absolutio sit concedenda, neganda, vel differenda.

## SECTIO PRIMA.

### *In quo sita sit Absolutio sacramentalis.*

Circa modum absolvendi, hæc habet Rituale Romanum : *Sacerdos cùm pœnitentem absolvere voluerit, injunctâ ei priùs et ab eo acceptâ pœnitentiâ salutari, primò dicit :*

*Misereatur tuî omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam æternam. Amen.*

*Deindè extentâ versùs pœnitentem dexterâ, dicit :*

*Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens et misericors Dominus. Amen.*

*Dominus noster Jesus Christus te absolvat; et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, et interdicti, inquantùm possum, et tu indiges, deindè, ego te absolvo à peccatis tuis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti. Amen.*

*Passio Domini nostri Jesu Christi, merita Beatæ Mariæ Virginis, omnium Sanctorum, et quidquid boni feceris, et mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ et præmium vitæ æternæ. Amen.*

Admonet posteà idem Rituale, omittendam esse vocem, *Suspensionis*, si laicus sit pœnitens. Et addit confessionibus frequentioribus et brevioribus omitti posse duas orationes, *Misereatur, etc.*, *Indulgentiam*, etc., satisque esse si dicatur, *Dominus noster*, etc., usque ad, *Passio Domini*, etc.; urgente verò gravi necessitate ex periculo mortis, breviter dici posse, *Ego te absolvo ab omnibus censuris et peccatis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti. Amen.*

Hinc patet totam sacramenti formam essentialem non contineri intra verba orationis hujus, *Dominus noster*, etc. Imò Conc. Trid. Sess. 14, cap. 3, docet formam hanc consistere in illis ministri verbis, *Ego te absolvo, etc.* Idem confirmat Concilium Florentinum. Verùm circa hujusmodi verba,

*Quæres* 1.° quænam sint essentialia absolutioni.

*Resp.* duas saltem voces, *Absolvo te*, ex omnium consensu, esse essentiales, quæ proindè si omittantur, vel si earum sensus mutetur, absolutio erit invalida. Quoad illas voces, *à peccatis*, aliqui, quamvis pauci, dubitant; alii tamen ferè communiter sentiunt sensum præcedentium verborum, *Absolvo te*, satis determinari per confessionem præcedentem peccatorum; ideòque voces, *à peccatis tuis*, non esse essentialiter requisitas. Quia verò certum non est ista verba non requiri, peccaret graviter qui ea omitteret, et

repetenda foret absolutio sub conditione. Secùs dicendum de invocatione SS. Trinitatis quæ, juxta omnes, essentialis non est, licèt veniale sit eam omittere.

Colliges à fortiori essentiales non esse preces quæ ante et post absolutionem dici solent, ut ait Trid. loco citato, quamvis omitti passìm non debeant, sicut et aliæ cæremoniæ, nisi in casibus in Rituali præscriptis.

*Quæres* 2.° an requirantur verba ore prolata, ut absolutio sit valida.

*Resp.* requiri; et *prob.* 1.° ex perpetuâ Ecclesiæ praxi; 2.° ex decreto Eugenii in Conc. Florentino, ubi dicit formam hujus sacramenti esse verba quæ Sacerdos profert, cùm dicit, *Ego te absolvo,* etc., additque in omnibus sacramentis requiri verba pro formâ, excepto Matrimonio, in quo nutus sufficiunt. Idem colligitur ex Trid. Sess. 14, cap. 3.

Ratio à priori est institutio Christi, usu Ecclesiæ et Conciliorum definitione declarata, et fundata in illis verbis, *Quorum remiseritis,* etc. Sicut enim ex verbis, *Baptizantes eos in nomine Patris,* etc., intellexit Ecclesia à Spiritu Sancto edocta, proferenda esse verba in collatione Baptismi : ita et in administratione Pœnitentiæ. Licèt ergo in judiciis humanis sententiæ scripto dari possint, nisi Principes aliter statuerint; in tribunali Pœnitentiæ requiritur ut sententia sit ore prolata, quia sic Christus instituit.

Colliges absolutionem non posse dari absenti; verba enim, præsertìm particula, *Te,* diriguntur tantùm ad præsentes : undè damnata est à Clemente VIII hæc propositio : *Licet per litteras, seu per internuntium Confessario absenti*

*peccata sua sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem petere.* Quam propositionem damnavit Sum. Pont. ad minùs ut falsam, temerariam, scandalosam, imò sub pœnâ excommunicationis prohibuit, ne quisquam sententiam hanc ut probabilem publicè aut privatìm doceat, aut defendat, aut ea ullo *unquàm casu* ad praxim deducatur.

Ex his ultimis verbis inferunt communiter Theologi, prædictam confessionem et absolutionem non solùm illicitam esse sed etiam invalidam; namque nisi Summus Pontifex credidisset similem confessionem per litteras absenti Sacerdoti factam, esse invalidam, et nullam *jure divino* absolutionem eâdem viâ obtentam, praxim illam pro casu extremæ necessitatis prohibere nec debuisset nec potuisset, cùm charitas exigat ut remedium quodcunque quod in se malum non est, et ad salutem potest prodesse, homini in extremis posito non denegetur.

*Nota* 1.° Ad solam absolutionem sacramentalem restringi debet quod dicitur, illam per litteras validè concedi non posse : non ita est de absolutione *à censuris;* nam sicut ferri possunt in absentes, ita absens per litteras aut alio modo ab illis absolvi potest per Superiorem qui censuras tulit vel de ejus licentiâ.

*Nota* 2.° Ut valida sit absolutio, non requiritur pœnitentis et Confessarii præsentia *physica* in eodem loco, sed sufficiens est *moralis,* quæ in eo consistit ut Confessarius pœnitentem possit audire : undè sequitur validè absolvi hominem in carcere detentum cujus Sacerdos confessionem distinctè audit. Et quidem valida habetur absolutio ante prælium data militibus quorum pars

maxima cum Sacerdote qui illam impertitur præsentiâ *physicâ* non conjungitur. In casu dubii sequenda est opinio quæ tutior est pro salute pœnitentis.

*Quæres* 3.° an valida sit absolutio sub conditione data.

*Resp.* 1.° absolutionem datam sub conditione de futuro, v. g., si restituas, si satisfacias, si Episcopus consenserit, esse invalidam. Ratio est quia hæc absolutio nec statìm habet effectum, defectu intentionis ministri, qui non vult statìm absolvere, sed solùm quandò advenerit conditio, neque etiam adveniente conditione potest absolutio illa habère effectum, quia tunc non existit ampliùs; ergo non potest agere.

*Resp.* 2.° absolutionem sub conditione de præsenti, vel de præterito, v. g., si capax es, si non es absolutus, etc., esse validam, et aliquandò licitam, quia effectus sacramenti non suspenditur, sed minister habet intentionem statìm absolvendi. Observat tamen Cajetanus facilè formam illam non esse usurpandam, quia curare debet Sacerdos, ut moraliter certus sit de contritione pœnitentis et satisfaciendi proposito : quibus cognitis, debet eum absque ullâ conditione absolvere ; atque in praxi, dando absolutionem, nulla omninò adhibenda est conditio, privatâ auctoritate.

## SECTIO II.

### *Quibus et quandonàm concedenda, neganda, vel differenda sit Absolutio.*

Cùm Christus Dominus Apostolis et Sacerdotibus potestatem dederit non solùm remittendi

peccata, sed et retinendi, evidens est absolutionem non esse omnibus promiscuè et semper concedendam; sed quandoquè negandam, quandoquè suspendendam; totum ergo Confessoris officium circa absolutionem in eo consistit, ut ritè se gerat in eâ concedendâ, negandâ, vel differendâ. Itaque

Certum est 1.° Confessarium posse et debere absolutionem dare pœnitenti quem constat moraliter esse dispositum: debere verò eam negare illi quem prudenter judicat non esse ritè dispositum, quia non est sufficienter contritus aut confessus, vel quia non habet propositum firmum non peccandi, et pœnitentiam implendi: excipe tamen mortis articulum, aut proximum ejus periculum, in quo potest et debet Confessarius, etsi dubitet de pœnitentis dispositionibus, illum absolvere; cùm enim sacramenta sint propter homines, satiùs est periclitari sacramentum quàm hominis salutem.

Certum est 2.° differri posse absolutionem et ad aliquod tempus suspendi, licèt pœnitens sit sufficienter dispositus, non solùm quandò ipse pœnitens consentit, sed etiam quandò Confessarius consilio indiget, vel vult experiri an firmum sit propositum pœnitentis, vel quandò hanc dilationem in majorem pœnitentis utilitatem spiritalem cessuram prudenter judicat. Ratio est quia et Judex non tenetur statìm ferre sententiam, et Medicus potest differre medicinam ut ægroto magìs prosit, ac eum magìs sanet. Conari tamen debet Confessarius, ut pœnitens intelligat id fieri ob suam utilitatem spiritualem, et consentiat.

In eo igitur difficultas est quibus et quandonàm deneganda vel differenda sit absolutio. Quia verò

singulos quosque casus hic enumerare longius esset, expendemus 1.° an et quibus propter ignorantiam neganda sit absolutio; 2.° an deneganda sit habenti obligationem tum restituendi, tum se inimico reconciliandi; 3.° an sit etiam deneganda iis qui versantur in occasione peccandi; 4.° an iis qui sunt in habitu et consuetudine peccati; 5.° an moribundis qui inopinatè sensuum usu destituti sunt. 6.° Tandem inquiremus quid præstare debeat Confessarius qui malè pœnitentem absolvit.

## ARTICULUS PRIMUS.

### *An et quibus, propter ignorantiam, neganda vel differenda sit absolutio.*

Hanc quæstionem solvemus, quatuor statuendo Regulas.

Regula prima. Non potest absolvi qui Deum ignorat mercedem bonis, atque improbis supplicium illaturum. « Illud enim *necessitate medii* » fide tenendum est : porrò omnes Scriptores » unanimes affirmant nullo modo absolutionem » ritè concedi posse imperitis earum rerum quæ » *necessitate medii* necessariæ proponuntur, eos» que priùs edocendos, quàm à criminibus dis» solvantur » : ita Benedictus XIV Inst. 72, n. 19.

Regula secunda. Deneganda est etiam absolutio iis qui ignorant mysteria Sanctissimæ Trinitatis, Incarnationis et Redemptionis : ita Rituale Tolos. pag. 196.

Namque talem absolutionem « invalidam, vel » saltem illicitam esse constat, inquit idem Be» ned. XIV, loc. cit. Primum quidem, si magis

» probabilem magìsque tutam eorum opinionem » sequi velimus, uti nos faciendum putamus, » qui eadem mysteria *necessitate medii* profitenda » necessariò existimant. Secundò, saltem illici- » tam absolutionem affirmavimus; nam si am- » plectamur eorum sententiam, tanquam in solâ » speculatione probabilem, qui asserunt eadem » mysteria solùm *necessitate præcepti* necessariò » credenda, in vòto tamen *necessitate medii*, si, » inquam, Confessarius hanc sententiam admit- » tat, tamen illam sequi nequit, dùm reipsâ » confert absolutionem tum ignorantibus eadem » mysteria per oscitantem, ac vincibilem ne- » gligentiam, uti plerumque contingit, » cùm Innocentius XI hanc damnaverit propositionem: *Absolutionis capax est homo,... etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat Mysterium SS. Trinitatis et Incarnationis;* « tum » ignorantiam habentibus eorum mysteriorum, » quæ vinci ac depelli nequaquàm potuit. Nam » idem Innoc. XI hanc sententiam damnavit: » *Non est illicitum in Sacramentis conferendis* » *sequi opinionem probabilem de valore sacra-* » *menti, relictâ tutiore.* »

Regula tertia. Differenda est absolutio iis qui necessaria necessitate præcepti *culpabiliter* ignorant, qualia sunt Dei et Ecclesiæ præcepta, Sacramenta Baptismatis, Pœnitentiæ et Eucharistiæ, et ea quæ pertinent ad dignam eorum perceptionem, nec non cætera quæ scire tenentur fideles, pro cujusque eorum capacitate et necessitate ex dictis in *Tractatu de Decalogo* 1.â part. cap. 1. sect. 1, art. 1. propos. 2.â

Etenim hæc omnia fideles scire tenentur, cùm possunt; ergo in statu peccati versantur, quan-

diù ea, non sine culpâ, ignorant. Si verò ad ea discenda se paratos exhibeant, modò aliàs à Confessario suo, vel eodem, vel diverso, aut à suo Parocho jam admoniti non fuerint, et aliundè sufficienter sint dispositi, poterunt absolvi, præmissâ semper instructione de his rebus necessariâ, ut sint impræsentiarùm absolutionis capaces. Ita Ritual. Tolos. ibid. post S. Carolum. Si autem longiori tempore opus sit Confessario ad illorum instructionem, ut sæpè contingit, iis differri debet absolutio donec privatìm aut publicis Catechismis satis fuerint eruditi.

Observabis 1.° præteritas idiotarum illorum confessiones, si Confessarius advertat illos ignorasse, præsertim culpabiliter, præcipuos articulos fidei per illud tempus quo confitebantur, iterandas esse, si fieri possit, nec sit periculum mortis; ubi enim aderit mortis periculum, breviter edocti et ad contritionem excitati, poterunt absolvi. Item in casu in quo nulla potest præmitti instructio, sed *conditionatè* tantùm.

Observabis 2.° quandoquè evenire ut quis præcipua fidei mysteria et sciat et credat, et cætera pariter, quæ necessitate præcepti sunt addiscenda, aliquo saltem modo perceperit; sed quia hebetis est ingenii et exilis memoriæ, post omnem adhibitam diligentiam, illa memoriâ retinere et recitare non valet. Non autem illi, modò aliundè sit dispositus, deneganda erit absolutio, cùm nulla sit propria ejus culpa; sed curabit Confessarius ut qui eo memoriæ defectu laborat, frequenter audiat quæ semel *crassè* didicit, ne ab ejus mente penitùs delabantur. Ita fermè Bened. XIV, de Synodo, lib. 8, cap. 14, n. 6, quibus consona tradit Rituale Tolos. pag. 197; ibi require.

Ex his colliges Patres et Matres-familiâs, Præceptores, Parochos graviter peccare et beneficio absolutionis indignos esse qui operam non adhibent ut sui filii, domestici, aut subditi ea edoceantur quæ *necessitate medii et præcepti* sunt necessaria.

Regula quarta. Iis etiam differenda est absolutio qui ea ignorant quæ ad officium suum vel professionem necessaria sunt, nisi parati sint, vel officio suo cedere, vel requisitam scientiam quam primùm acquirere, et interìm ab officio suo abstinere.

Namque non absolvendi sunt qui grave detrimentum Reipublicæ inferunt : atqui tales sunt qui suæ professionis et artis regulas nesciunt, v. g., Judex, Medicus, *Confessarius* ignari, quorum primus cæco impetu fortunas civium subvertit, secundus corpora imprudens enecat, tertius verò animas perimit. Curandum est etiam, ut, quantùm fieri poterit, damna resarciant quæ ex eorum ignorantiâ dimanârunt.

## ARTICULUS II.

### *An deneganda sit Absolutio habenti obligationem restituendi, aut se inimico reconciliandi.*

*Nota.* Quod de duplici illâ obligatione magìs ordinariâ sumus dicturi, idem dici debet de quâlibet aliâ speciali pœnitentis obligatione, v. g., 1.° tollendi scandalum, et ab iis abstinendi quæ aliis sunt occasio peccandi, quales sunt libri perniciosi, picturæ impudicæ, turpes sermones, prava exempla præsertìm patris-familiâs; 2.° quoad Beneficiarios, residendi per-

sonaliter et ministrandi in Beneficio suo, gerendi clericalem habitum et tonsuram, recitandi Officium Canonicum, dispensandi legitimè reditus Ecclesiæ; 3.° quoad conjugatos, cohabitandi cum conjuge, nisi legitima adsit causa: cùm enim illæ obligationes graves sint, et sub mortali, certè eodem modo se gerere debet Confessarius erga eos qui tales habent, ac erga eos qui tenentur restituere, etc. Jam verò, ut ad propositam quæstionem respondeamus, sit

Regula prima. Negari debet absolutio pœnitenti, qui, cùm possit et debeat, non vult tamen restituere, aut cum inimico reconciliari.

Constat 1.° *auctoritate Ritualis Romani*, et S. Carol. Borrom. in Instructione ad Confessarios, quibus addi potest auctoritas S. Aug., cujus est effatum illud, inter regulas Juris receptum: *Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* 2.° *Ratione.* Nam ille non potest absolvi, qui non habet verum dolorem et propositum non peccandi; imò qui actu peccat mortaliter: sed qui non vult reconciliari aut restituere, cùm commodè possit, hic mortaliter peccat, quippe qui in materiâ gravi officio suo desit; ergo non potest absolvi.

Hinc 1.° absolvendus non est, qui, cùm possit restituere per seipsum, vult differre restitutionem usque ad mortem; aut eam solùm facere per hæredem, aut per partes, cùm possit integrè restituere. Item, qui famam injustè ablatam vel honorem non vult restituere, cùm primùm moraliter potest. Quomodò autem hæc restitutio facienda sit, dicitur in Decalogo, et ubi de Restitutione.

Hinc 2.° absolvendi non sunt, qui odium,

inimicitias nolunt statìm de corde deponere, et facere quantùm in se est, ut reconcilientur. Item, qui nolunt inimicum alloqui, salutare, familiariter cum eo versari, quandò indè sequitur scandalum, vel majus odium inimici excitatur, contrà verò spes est animum ejus aliquo benevolentiæ signo placandi, Deoque ac fratri reconciliandi. Deniquè, qui nolunt primi veniam petere, quandò tenentur, putà quia primi graviùs offenderunt.

Quoad litigantes, addo Confessarios debere illos hortari ad componendam amicè litem, item ad collocutionem, reconciliationem, et ad hoc eos regulariter obligare, si nullum exindè ipsis immineat periculum; qui enim ejusmodi signa denegant, ordinariè inimicum odio habent, et occasionem præbent scandali.

Regula secunda. Pœnitenti qui semel jussus restituere aut reconciliari, nondùm tamen id fecit, cùm potuisset, regulariter differenda est absolutio donec satisfecerit: ita S. Carolus in Conc. Mediolan. I, et ratio est in promptu; nam Confessarius meritò dubitare debet an propositum pœnitentis firmum sit et efficax. Deindè, pœnitens est in periculo proximo iterùm differendi restitutionem, aut reconciliationem; cautus ergo admodùm debet esse et constans Confessarius contra omnes excusationes quæ ferè semper afferuntur, ne gravetur peccatis alienis.

Dixi 1.°, *qui semel jussus;* si enim nondùm de illâ obligatione suâ monitus, vel si nondùm fuit in proposito infidelis, quamvis Confessarius possit absolutionem differre, imò id aliquandò expediat, tamen ad hoc non tenetur, nisi ex circumstantiis aut aliis conjecturis suspicetur

pœnitentem non habere firmum et efficax propositum. At si semel aut iterùm monitus non paruit, non est absolvendus.

Dixi 2.°, *regulariter;* tum quia juxta S. Carolum, ubi suprà, *excipiendi sunt qui periculosè ægrotant, qui tamen monendi sunt, ut quod debent quamprimùm solvant;* tum quia tales quandoquè possunt esse circumstantiæ, ut Confessarius prudenter ac certò judicet pœnitentem non infidelem futurum esse, sicut fuit aliàs, v. g., ob singularia et extraordinaria contritionis signa et propositi; tunc enim potest absolvi. Verùm magnâ opus est prudentiâ, ne Confessarius decipiatur à pœnitentibus absolutionem extorquere conantibus, quam tutius est suspendere in his casibus, aut saltem communionem eucharisticam, ut propositi memores sint.

## ARTICULUS III.

### *De Pœnitentibus qui versantur in occasione peccandi.*

Occasio peccati, prout hìc sumitur, est quæcunque res externa quæ potest inducere ad peccatum.

Occasio peccati alia dicitur proxima, alia remota: occasio *proxima* est res externa quæ ad peccatum frequenter ac ordinariè inducit, ut turpes lectiones, etc. Occasio *remota* est res externa quæ aliquandò, sed non frequenter, ad peccandum inducit, ut parentes, officia, artes quædam, etc.

Occasio proxima dividitur 1.° in *absolutam* et *respectivam:* occasio proxima *absoluta* ea est quæ ex naturâ suâ talis est, ut ordinariè et frequenter omnes homines similis conditionis in-

ducat ad peccatum mortale, sive ipsa sit ex se peccatum mortale, distinctum ab illo ad quod inducit, ut aspectus impudici, lectio obscena, ars feneratitia, et quodlibet aliud officium quod sine peccato exerceri non potest; sive ipsa non sit ex se peccatum, sed ad illud tantùm inducat, ut cohabitatio in eâdem domo cum personâ cum quâ jam quis peccavit.

Occasio proxima *respectiva* dicitur ea quæ non inducit quidem omnes similis conditionis ad peccatum, sed solùm particularem aliquem, qui, ob fragilitatem specialem, in eâ occasione positus peccare consuevit, et prudenter censetur relapsurus in peccatum, si occasionem non deserat; occasio enim illa, quæ respectu alterius esset tantùm remota, respectu illius est proxima: v. g., si quis ex convictu alterius, vel ex aliquâ conversatione peccare consuevit, talis convictus et conversatio est occasio proxima respectu illius.

Occasio proxima dividitur 2.° in *continuam*, quæ semper præsens est ut, v. g., habitatio cum concubinâ; et *interruptam*, quæ non semper præsens est ut, v. g., frequentatio ludi, tabernæ, choreæ, etc.

Occasio proxima dividitur 3.° in *voluntariam*, quæ deseri potest, ut si, v. g., liber cum liberâ peccare consuevit; et *involuntariam* quæ deseri non potest, sive *physicè* seu absolutè, v. g., incarceratio cum concubinâ; sive *moraliter*, cùm scilicet dimitti non potest aut sine gravi peccato, v. g., uxor respectu mariti, militia respectu militis, aut sine gravi damno famæ vel fortunæ, ut officium Pictoris, Chirurgi, Advocati, Procuratoris (*Avoué*), Confessarii, etc.

Non hìc agimus de occasione remotâ, quia si

quisque teneretur eam vitare, deberemus, juxta Apostoli dictum, de hoc mundo exire. Neque etiam agimus de occasione proximâ peccandi venialiter, quia potest quis in illâ constitutus absolvi à mortalibus, si de his sit contritus.

His præmissis, tres proponemus Regulas quarum duæ priores occasiones voluntarias spectant, posterior verò occasiones involuntarias.

Regula prima. Absolvi non debet qui versatur in occasione proximâ *voluntariâ et interruptâ*, nisi sincerè proponat ac velit ab eà in futurum abstinere.

Constat 1.° *ex Script.* Matth. c. 5, ℣. 29 et 30: *Quòd si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te... Et si dextera manus tua scandalizat te, abscide eam, et projice abs te.* Quod præceptum à Christo repetitur Matth. c. 18. Oculi autem et manûs dexteræ nomine, SS. PP. intelligunt personas quantumlibet caras et utiles, quæ relinquendæ sunt, quandò sunt occasiones proximæ peccandi: *Quid enim prodest homini,* inquit Christus Dominus, *si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?*

Constat 2.° ex decreto Innoc. XI, damnantis tres propositiones sequentes: 1.ª *Potest aliquandò absolvi qui in aliquâ occasione peccandi versatur, quam potest et non vult dimittere: quinimò et ex proposito quærit aut ei se ingerit.* 2.ª *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quandò causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit.* 3.ª *Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali vel temporali nostro vel proximi.* His adde auctoritatem Pauli V, in Rituali Romano.

Accedit censura lata à Facultate Parisiensi, anno 1657, quâ contraria opinio declaratur falsa, scandalosa et inducens ad subversionem animarum.

Constat 3.° *auctoritate* S. Caroli Borrom. cujus hæc sunt verba : *Deindè nec eos absolvat, qui cum peccatis mortalibus simul etiam eorum occasiones vitare non proponunt.*

Constat deniquè *Ratione.* Quia alioquin pœnitens non habet firmum et efficax propositum non peccandi, vel saltem de illo satis non constat, ut Confessarius possit absolutionem concedere; imò pœnitens convincitur amare periculum peccandi, in quo sine dubio peribit, juxta Scripturam sacram.

Dixi, *nisi sincerè proponat et velit ab occasione in futurum abstinere.* Hinc qui choreas, ludos, tabernas, personas quasdam cum peccato frequentabant, tenentur dimittere occasiones illas. Si verò jam moniti promiserunt fore ut eas relinquerent, nec eas reliquerint, absolvendi non sunt donec eas dimiserint.

Regula secunda. Ordinariè non est absolvendus qui versatur in occasione proximâ *voluntariâ et continuâ,* nisi priùs eam dimiserit.

Ita S. Carolus in Confessorum Instructione. Et ratio est quia non potest Confessarius tunc prudenter judicare pœnitentem habere verum, firmum ac præsens non peccandi propositum; si enim pœnitens tale haberet propositum, cur, antequàm ad sacrum tribunal accederet, occasionem non dimisit, cùm sciret eam esse dimittendam, et posset, ut supponimus, eam dimittere? Et certè, attentâ vi occasionis, quæ semper præsens est, et ad quam, ob præteritam mentis disposi-

tionem, remanet valdè propensus, sese constituit in probabili periculo propositum infringendi. Ita B. Ligorius.

Dixi *ordinariè*, excipitur enim casus in quo adeò imminens foret mortis periculum ut non posset expectari donec pœnitens occasionem dimiserit.

Hinc 1.°, qui concubinam domi habet, non est absolvendus, donec eam ejecerit. Hinc 2.°, famuli et etiam famulæ, qui proximam habent occasionem peccandi in domo dominorum suorum, debent eos deserere, etiamsi indè passuri sint jacturam aliquam bonorum, memores præcepti illius : *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum; Quid prodest homini*, etc.

Regula tertia. Ordinariè differenda est absolutio ei qui versatur in occasione proximâ *physicè vel moraliter involuntariâ*, donec, per remedia congrua à Confessario præscribenda, occasio è proximâ fiat remota.

Ita fermè Rituale Tolosanum post S. Carolum in suâ jam citatâ ad Confessores Instructione. Ita etiam auctores probatissimi inter quos B. Ligorius Theologus profectò non rigidioris doctrinæ, et in animarum regimine peritissimus. Confirmatur ratione quam suppeditat idem B. Ligorius. Etenim Confessarius, tanquam medicus, tenetur aptare suo pœnitenti remedia opportuniora ut ille suam consequatur salutem : porrò nullum aliud aptius remedium ministrari potest ei qui versatur in occasione proximâ, quàm dilatio absolutionis; experientiâ enim compertum est pœnitentes postquàm absolutionem consecuti sunt, ut plurimùm negligere media præscripta, et sic facillimè in peccata relabi; è contrà verò vigilantiùs remedia

exsequi et tentationibus obsistere, cùm ipsis absolutio denegatnr.

Dixi 1.° *ordinariè*, quia, ut monet S. Carolus loc. cit., si *Confessarius absolutionem differre non possit quin pœnitentem exponat gravi infamiæ periculo; tùm si contritum certis quibusdam notis videat, aut ita mente affectum, ut ad omnia remedia paratus sit quæ ad ejus emendationem necessaria judicaverit prudens Sacerdos, Confessarius eum absolvere potest.* Ita etiam Ritual. Tolos. pag. 198.

Dixi 2.°, *donec per remedia congrua à Confessario præscribenda, etc.;* debet enim Confessarius pœnitenti injungere remedia tum specialia, tum communia : specialia quidem, v. g., illi præcipere ut nunquàm solus cum tali personâ et sine arbitris versetur, ut aspectum et collocutionem declinet, ut amicitiæ pignora tanquam libidinis incentiva restituat vel destruat; communia verò remedia sunt orationes, jejunia, eleemosynæ, lectiones spirituales, sed imprimìs frequens confessionis usus; quibus remediis si sedulò usus fuerit, et à peccato abstinuerit, ita ut de illius emendatione certò constet, atque prædicta occasio de proximâ facta fuerit remota, absolvi poterit, ut diximus. *Quòd si tamen,* addit S. Carolus, *hâc jam adhibitâ aut à se aut ab alio Confessario diligentiâ, pœnitens emendatus non fuerit, non absolvatur, donec occasio illa sublata fuerit,* licèt indè secutura gravis jactura famæ vel bonorum temporalium.

Hinc Concilium Romanum sub Greg. VII, cap. 5 : *Quicunque miles, vel negotiator, vel alicui officio deditus, quod sine peccato exerceri non possit, si culpis gravioribus irretitus ad pœnitentiam*

*tentiam venerit...., cognoscat se veram pœnitentiam non posse peragere.... ; nisi arma deponat, ulteriùsque non ferat...., vel negotium relinquat, vel officium deserat.*

Ex dictis colliges quomodò Confessarius sese gerere debeat, 1.° erga fratrem qui cum sorore in domo paternâ peccat : addimus autem quòd, præter communia vel specialia remedia nuper indicata, aliquandò fructuosè ipsi injunget Confessarius ut domum paternam deserat, vel studii aut educationis causâ, vel ad ediscendam artem, vel cognatos sub aliquo prætextu adeat; 2.° erga adolescentes qui domo paternâ expellere non possunt famulos aut famulas quibuscum peccant, nec obtinere ut expellantur; 3.° erga conjuges qui matrimonium suum nôrunt esse invalidum, v. g., ob impotentiam, et sibi sunt invicem occasio peccati : præstat tamen in hoc casu eos separari; quod enim Sum. Pont. concesserunt, quòd conjuges quorum matrimonium est nullum, ambo simul maneant ut frater et soror, si velint, id de his intelligi debet qui sibi invicem non sunt occasio peccandi. In his autem casibus difficillimis potest aliquandò consuli Episcopus, celato nomine personarum. Ita S. Carolus ibid.

## ARTICULUS IV.

### *De iis qui consuetudinem habent peccandi mortaliter.*

Habitus peccandi mortaliter est interna facilitas, seu consuetudo contracta ex sæpiùs repetitis actibus peccaminosis; v. g., blasphemiis, etc. Quamvis autem talis habitus possit esse sine ullâ occasione proximâ, sæpè tamen ex illâ oritur, augetur et radicatur. Jam sit

Regula unica. Ordinariè non est absolvendus qui consuetudinem habet peccandi mortaliter, donec sufficientia emendationis signa dederit.

Constat 1.° *ex Conc. III Toletano*, sub Pelagio II, can. 11 : *Quoniam comperimus..... fœdissimè pro suis peccatis homines agere pœnitentiam, ut quoties peccare libuerit, toties à Presbyteris se reconciliari expostulent, ideò pro coercendâ tam execrabili præsumptione, id à S. Concilio jubetur, ut secundùm formam canonum antiquorum detur pœnitentia.*

*Confirmatur* auctoritate Innoc. XI, contrariam propositionem damnantis his verbis conceptam : *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda nec differenda absolutio, dummodò ore proferat se dolere, et proponere emendationem.*

Constat 2.° *auctoritate* et praxi Sanctorum, tum antiquorum, tum recentiorum, qui acriter in eos invehuntur, qui citiùs peccatores reconciliando, vitia eorum fovent.

Clerus Romanus ad S. Cypr. scribens, sic habet : *Ubi enim indulgentiæ poterit medicina proficere, si etiam ipse Medicus interceptâ pœnitentiâ indulget periculis? si tantummodò operit vulnus, nec sinit necessaria temporis remedia conducere cicatricem? hoc non est curare, sed, si verum dicere volumus, occidere.* Idem disertis verbis ac copiosis ait Cypr. ipse, lib. de Lapsis.

S. Ambr. in Psalm. 118, Octon. 8, eosdem redarguens, ait : *Facilitas veniæ incentivum tribuit delinquendi.* Rursùs lib. 2 de Pœnitentiâ, cap. 9, sic loquitur : *Nonnulli ideò poscunt pœnitentiam, ut statìm sibi reddi communionem,*

*velint : hi non tam se solvere cupiunt, quàm Sacerdotem ligare.*

Idem iis postremis seculis verbo et exemplo docuerunt S. Franciscus Xaverius, ut ejus epistolis colligitur, S. Franciscus Salesius, sed præcipuè S. Carolus Borromæus, cujus hæc sunt verba, in Instructione Confessorum, Actor. Eccl. Mediol. part. 4 : *Proroganda adhuc absolutio, donec hi emendentur, quos, licèt se peccatum dimissuros polliceantur, ab illo tamen non separandos Confessor suspicetur, ut sunt ii* (id est, quos suprà retulerat), *et præsertìm juvenes otiosi, qui solent majori temporis parte aleis, crapulis, amoribus, peccatis carnalibus, blasphemiis, inhonestis conversationibus, dissensionibus, odiis, et detractionibus vacare, aut qui Quadragesimæ diebus tantùm ultimis peccata deposituri accedunt, aut qui à multis annis in iisdem peccatis perseveraverunt, nec ut emendarentur laborârunt.*

Constat 3.° *Ratione.* Quia antequàm Confessarius pœnitenti det absolutionem, debet moraliter esse certus de efficaci illius proposito emendationis : at quandò pœnitens est assuetus alicui peccato mortali, adeò non constat de ejus proposito efficaci, quin potiùs meritò de eo dubitare debeat Confessarius. Namque, ut ait S. Augustinus, Serm. 7 de Tempore, nunc 117, in appendice : *Est vera pœnitentia, quandò sic convertitur quis, ut non revertatur ; quandò sic pœnitet, ut non repetat.* Et S. Isidorus Hispalensis, de ecclesiasticis Officiis, lib. 2, cap. 16 de Pœnitentibus : *Ille autem verè pœnitentiam agit, qui nec pœnitere præterita negligit, nec adhuc pœnitenda committit. Qui verò lacrymas*

*indesinenter effundit, et tamen peccare non desinit, hic lamentum habet, sed mundationem non habet.* Idem ait S. Greg. parte 3 Pastoralis, admonitione 1.

Constat 4.° ex ingentibus fructibus et emolumentis ex hâc praxi provenientibus. 1. Enim vitatur sacrilegium confessionis ex culpâ invalidæ, 2. Communionis indignæ, quam ordinariè post confessionem faciunt hujusmodi pœnitentes. 3. Indè agnoscunt pœnitentes gravitatem peccati sui, juxta illud Jeremiæ c. 2, ℣. 19 : *Scito et vide, quia malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum.* 4. Vigilantiores redduntur et cautiores in vitandis peccatis, et in proposito suo efficaciùs confirmantur.

Dixi, *ordinariè ;* quia excipiuntur casus sequentes : 1.° articulus mortis aut proximum ejus periculum, modò adsint probabilia contritionis signa, ut dicemus art. sequenti ; 2.° Si pœnitens extraordinaria dederit contritionis signa, et indicia efficacis propositi sufficientia ; in his enim casibus absolvi potest ; 3.° pariter si nondùm fuerit admonitus de obligatione deserendi peccatum, nec de remediis adhibendis ; tunc enim ea illum edocebit Confessarius, et ipsi beneficium absolutionis poterit impertiri postquàm, per tempus aliquod, suæ emendationi operam seriò præstiterit. Si verò edoctus, correptus et probatus in eadem peccata, absque emendatione, relapsus fuerit, illi erit absolutio differenda, donec sufficienter *fuerit probatus et emendatus.* Ita Ritual. Tolos., pag. 197. Quantùm verò temporis requiratur ut probatio hæc sufficiens reputetur, certâ regulâ præcisè definiri nequit. *C'est à la prudence du Confesseur,* addit Ritual.

Tolos., pag. 197, *à en juger par la nature du péché, par la force et la durée de l'habitude, par l'occurrence des occasions plus ou moins fréquentes, et surtout par la ferveur du pénitent, et le soin qu'il apporte à résister aux tentations, à éviter les occasions, à pratiquer la pénitence, et mettre en usage les moyens qui lui sont prescrits.*

Circa peccatores quorum crimina sunt publica et scandalosa, cautè admodùm procedendum, et servanda regula quæ in diversis Ritualibus continetur. Nempè videat diligenter Sacerdos, quandò et quibus conferenda, vel neganda, vel differenda sit absolutio, ne absolvat eos qui talis beneficii sunt incapaces, quales sunt qui publicum scandalum dederunt, nisi publicè satisfaciant et scandalum tollant. Si verò ægrotent ejusmodi peccatores publici ac notorii, non priùs audienda est eorum confessio, quàm coram pluribus de viciniâ veniam de scandalo dato postulaverint.

*Dices* 1.° Si hæ regulæ observarentur, multis neganda esset absolutio.

*Resp.* id nos cum lacrymis concedere; multi enim imparati accedunt ad hoc sacramentum. Siquidem ferè omnes circa Pascha confitentur, et nulli ferè emendantur; pauci admodùm christianè vivunt : quapropter inflammato zelo flagrare debent Confessarii, ut horribilem hunc tanti sacramenti abusum penitùs eradicent.

*Dices* 2.° Periclitaretur multorum salus, si sine absolutione remitterentur; repentinâ enim morte corripi possent.

*Resp.* inane illud periculum Patribus fuisse cognitum, et ab iisdem, licèt de animarum salute maximè sollicitis, contemptum. Sic loquebatur

olim S. Cyprianus : *Neque enim deserentur ab ope et auxilio Domini, qui mites et humiles, et pœnitentiam verè agentes, in bonis operibus perseveraverint, quominùs illis quoque divino remedio consulatur.* Talibus ergo persuadendum est, ut infinitæ Dei misericordiæ confidant, qui eos flagitiis innumeris et sordibus immersos ad pœnitentiam provocavit et exspectavit, neque eos sine absolutione mori permittet; aut parcet ipsis, si in decursu pœnitentiæ moriantur.

*Dices* 3.° Christus ipse hortatur nos ad benignitatem et misericordiam erga peccatores; ergo iis neganda non est aut differenda absolutio.

*Resp. Nego consequent.* Misericordes enim dici debent, qui tali dilatione animam peccatoris sanant, non autem ii qui falsâ indulgentiæ specie eam enecant : quâ in re audiendus iterùm S. Cyprian. lib. de Lapsis : *Emersit enim, fratres dilectissimi, novum genus cladis..... Accessit ad cumulum, sub misericordiæ titulo, malum fallens et blanda pernicies contra Evangelii vigorem, contra Domini ac Dei legem, temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio; irrita et falsa pax, periculosa dantibus, et nihil accipientibus profutura : non quærunt sanitatis patientiam, nec veram de satisfactione medicinam. Pœnitentia de pectoribus excussa est.... ; et plaga lethalis altis et profundis visceribus infixa, dissimulato dolore contegitur.* Et infrà : *Quid injuriam beneficium vocant? Quid impietatem vocabulo pietatis appellant?... Hoc sunt ejusmodi lapsis, quod grando frugibus, quod turbidum sidus arboribus, quod armentis pestilens vastitas, quod navigiis sæva tempestas... Non concedit pacem facilitas illa, sed*

*tollit; nec communicationem tribuit, sed impedit salutem.* Et infrà : *Si quis præproperâ festinatione temerarius remissionem peccatorum dare se cunctis putat posse, aut audet Domini præcepta rescindere, non tantùm nihil prodest, sed et obest lapsis.* Hactenùs S. Cypr. Similia habet S. Ambros. in Psalm. 118, Octon. 8 : *Hoc ideò dictum est, ut sciamus secundùm verbum Dei, secundùm rationem, dispensandam esse misericordiam debitoribus. Medicus ipse si serpentis interiùs inveniat cicatricem vulneris, cùm debeat resecare vulneris vitium, ne latiùs serpat, tamen à secandi, urendique proposito lacrymis inflexus ægroti, medicamentis tegat quod ferro aperiendum fuit; nonne ista inutilis misericordia est, si propter brevem incisionis vel exustionis dolorem corpus omne tabescat, vitæ usus intereat?* S. Aug. relatus cap. *Qui vitiis*, causâ 23, quæst. 5, idem omninò asserit : *Qui vitiis nutriendis parcit et favet, ne contristet peccantium voluntatem, tam non est misericors, quàm qui non vult cultrum rapere puero, ne audiat plorantem; et non timet ne vulneratum doleat, vel exstinctum.*

## ARTICULUS V.

*Utrùm absolvi possit Moribundus qui sensuum usu inopinatè destitutus non potest confiteri.*

Certum est 1.° absolvi posse imò et debere moribundum qui non confessus est integrè, ob ingruens mortis periculum; quia, ex dictis, cap. 4, sect. 2, art. 2, § 3, ab integrâ confessione excusat impotentia physica, vel moralis; et in hoc casu, etsi desit integritas materialis, quæ non

requiritur, adest formalis quæ sufficit. Imprimis caveat Sacerdos ne in his circumstantiis nimiùm sollicitus in procurandâ confessionis integritate minùs necessariâ, tempus ad contritionem ingerendam, vel absolutionem dandam summè necessarium irreparabiliter amittat; vel amittendi periculo se exponat.

Certum est 2.° absolvi debere moribundum qui nihil in specie confessus, pro morbi violentiâ, suum confitendi desiderium, vel contritionis signum exhibuit coram Sacerdote; ibi enim reperitur confessio generatìm facta, quæ sufficit, cùm alia fieri non potest.

Certum est 3.° præfatum moribundum absolvi debere, si desiderium confitendi vel aliquod contritionis signum exhibuerit, etiam absente Sacerdote qui factum vel ab uno teste accipiat; ita enim statutum legitur in Concilio Carthaginensi IV, can. 76, et Arausicano I, can. 12; à S. Leone, Epist. 83 aliàs 91; et in Ritualibus, et præsertìm Romano: *Si æger confitendi desiderium, sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est.*

*Obj.* Clemens VIII prohibuit ne confessio ullo in casu absenti fiat: sed in casu mox exposito reverà fit absenti; ergo, etc.

*Resp.* Ipse Clemens VIII declaravit hanc confessionis speciem in suo decreto non comprehendi, ut refert Benedictus XIV, de Synodo diœcesanâ lib. 7, cap. 15. Refert etiam Urbanum VIII, in congregatione habitâ coram ipso, respondisse, id non repugnare decreto Clementis VIII.

Major est difficultas ubi agitur de moribundo catholico, qui christianè vivebat, si præoccupa-

tus morbo nullum contritionis vel desiderii confessionis dederit signum coram Sacerdote, vel in absentiâ ejus : tunc absolvi posse, *negans opinio antiquorum Theologorum fuit communis*, eamque multi adhuc tuentur, teste Benedicto XIV, loco jam citato, de Synod. Affirmans autem opinio plures sectatores habuit post Morinum, defensorem ejus celeberrimum; imò, si fides *Billuart*, nunc communior videtur.

### PROPOSITIO PRIMA.

*Moribundus, in hypothesi factâ, potest et debet absolvi.*

*Prob.* 1.° *auctoritate* 1. Sacerdotalis Romani : *Infirmus qui jam amisit loquelam, vel usum rationis, si benè vivebat, QUAMVIS SACRAMENTA NON PETIERIT, quia ex insperato talia acciderunt..., Sacerdos faciat absolutionem.* 2. Memorialis Confessariorum, editi à Gregorio XV, dùm esset Archiepiscopus Bononiensis : *Addit Sacerdotale Romanum, ex doctrinâ S. Antonini, posse absolvi moribundum assuetum frequentare confessionem, licèt repentino casu oppressus, sacramentum non petierit; neque solùm potest Confessarius in hoc casu absolvere, SED ET DEBET.* His adde Synodum Lemovicensem anni 1620, Rituale Argentinense, Tullense, Catalaunense, etc., et suffragia Theologorum.

*Prob.* 2.° *Ratione.* In casu extremæ necessitatis danda sunt sacramenta, quoties de illorum nullitate non constat; cùm enim sacramenta pro hominibus instituta sint, melius est periclitari illorum validitatem, quàm hominis salutem : atqui in præsenti casu urget extrema necessitas,

ut patet; et certum non est Pœnitentiæ sacramentum nullum fore. Ideò enim, juxta adversarios, nullum esset, quia desunt contritio exterior et confessio, in quibus consistit materia sacramenti Pœnitentiæ : atqui hæc ratio peremptoria non est; namque 1. contritionem et confessionem esse materiam sacramenti Pœnitentiæ mera est opinio inter Theologos controversa, quam negant Scotistæ : 2. etsi illud constaret, non improbabiliter dici potest sufficientem in isto casu dari contritionem et confessionem; etenim sæpè contingit moribundos exteriori sensuum usu destitutos, frui tamen intùs ratione : atqui in hâc suppositione non improbabile est moribundum nostrum, qui christianè vixit, dolere de peccatis suis et velle confiteri, ipsumque testificari dolorem ac desiderium suum per motus corporeos quorum est actu capax; ergo, etc.

*Obj.* Conc. Carthaginense IV, Arausicanum I, S. Leo, et Rituale Romanum, docent absolutionem esse dandam moribundis usu sensuum privatis, si per se, vel per alios, ostenderint confitendi desiderium; ergo, sublatâ hâc conditione, quæ reverà deficit in præsenti casu, censentur noluisse absolutionem dari.

*Resp.* 1.° Dici potest moribundos de quibus agitur, suum in exitu vitæ confitendi desiderium per vitam christianam sufficienter ostendisse.

*Resp.* 2.° Argumentum ab adversariis propositum, ut potè negativum, non prævalet rationibus positivis quas in probationem adduximus. Verbo dicam, Patres et Concilia definiunt absolutionem esse dandam in casu petitionis expressæ; sed in alio casu petitionis implicitæ esse negandam nullomodò statuerunt.

At longè major est difficultas, si moribundus noster catholicè quidem crediderit, sed malè vixerit. *Les Casuistes*, ait Collator Andegavensis, *disent communément qu'on ne doit pas lui donner l'absolution;* dari verò posse non pauci, et quidem auctoritate graves, affirmant, quibus assentimur.

PROPOSITIO II.

*Dare licet absolutionem moribundo catholico malè viventi, qui, propter amissionem usûs sensuum, nulla dat signa pœnitentiæ, nec ante casum dedit; modò tamen in flagranti delicto non fuerit deprehensus, modò insuper nihil fecerit contrarium præsumptioni juxta quam catholicus, etsi malus, censetur velle saltem ante exitum suum confiteri.*

*Prob.* 1.° *ex S. Aug.* lib. de adulterinis Conjugiis, cap. 28: *Ipsos etiam Catechumenos... qui retinent adulterina consortia, cùm salvos corpore non admittamus ad Baptismum, tamen si desperati jacuerint, nec pro se respondere potuerint, baptizândos puto, ut etiam hoc peccatum cum cæteris lavacro regenerationis abluatur. Quis enim novit utrùm fortassis adulterinæ carnis illecebrâ usque ad Baptismum statuerant detineri. Quæ autem Baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si fortè pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit; nec ipsos ex hâc vitâ sine arrhâ suæ pacis exire velle debet mater Ecclesia.* Undè sic: Ex S. Doctore, eadem est causa absolutionis dandæ, quæ Baptismi: atqui, ex eodem S. Aug., dari potest Baptismus Catechumenis moribundis, etsi malè viverent, nec, propter ingruentem subitò mor-

bum, Baptismum petere, neque contritionis signa dare potuerint; ergo similiter, etc.

*Prob.* 2.° eâdem ratione quâ utuntur plures ad probandum absolvi debere moribundum qui piè vivebat, quamvis, ob morbum subitò ingruentem, nec Confessarium petierit, nec contritionis signa dederit. Scilicet, non rarò contingit moribundum, etsi usu sensuum destitutus sit, intùs ratione uti: sed in hâc hypothesi, quæ improbabilis omninò non est, meritò præsumitur moribundum nostrum qui malè vivebat, ad contritionem seipsum excitare et confiteri velle, utrumque significando per motus quorum est capax, quæ duo in casu necessitatis sufficiunt ad concedendam absolutionem. Præsumi enim debet velle id quod sibi faciendum esse necessariò semper professus est, quodque faciendum ante mortem sibi proponunt ordinariè peccatores, et reverà faciunt in articulo mortis: atqui moribundus noster, etsi malè viveret, semper professus est, ut fides catholica exigit, ipsi saltem in extremis necessariò dolendum esse de peccato, et confessionem faciendam; et reverà peccatores ante mortem, etc.; ergo, etc.

*Prob.* 3.° Moribundus ille qui semper benè credidit, licèt vixerit malè, non potest in extremâ necessitate privari sacramentis necessariis ad quæ jus retinet, nisi certò constet ipsum esse indispositum: atqui de moribundo nostro penitùs non constat ipsum esse indispositum; potuit enim paulò ante casum dolere, potuit inter cadendum, post ipsum deniquè casum adhuc potest, cùm, amisso sensuum usu, ratione intùs fortè utatur.

*Prob.* 4.° Quia numerus et auctoritas Doc-

torum qui hanc sententiam hactenùs ab omni censurâ immunem tuentur, ipsi probabilitatem extrinsecam conciliant : atqui in hoc casu necessitatis extremæ licet dare sacramentum juxta opinionem probabilem, quandò certiori modo non potest; ergo, etc. Sed quia longius foret omnium Theologorum qui ex partibus nostris stant, testimonia exscribere, præcipuorum nomina recensere satis erit. Illustr. *d'Argentré*, Tutelensis Episcopus, libro cui titulus, *Explication des Sacremens*, tom. 2; D. *Daon*, lib. cui titulus, *Conduite des âmes*; *Billuart*; *Henno*; Morinus, lib. 10; *Sainte-Beuve*, tom. 1; Rituale Catalaunense, etc.

*Obj.* Ex Concilio Toletano XII, cap. 2 : *Sacerdos qui non sentienti, neque petenti, pœnitentiam dederit, unius anni excommunicationis sententiæ subjacebit*; ergo, etc.

*Resp.* In hoc capitulo non agitur de absolutione sacramentali, sed de impositione pœnitentiæ publicæ, quam solis pœnitentibus dari vult Concilium.

*Obj.* 2.° In multis Ritualibus prohibetur Extremam Unctionem dari peccatoribus notoriis qui non dant nec dederunt aliqua pœnitentiæ signa : ita Rituale Suessionense, Burdigalense, Blesense, Claromontanense, Auscense; ergo, etc.

*Resp.* Si hæc Ritualia non possint intelligi de solis peccatoribus notoriis, qui cùm dare possunt, nulla tamen dant pœnitentiæ signa, ab eorum resolutione discedendum putamus, quia sententia opposita plurimorum Theologorum suffragio munita, et ratione potior, et saluti hominum favorabilior nobis videtur. Inter Theologos qui volunt Extremam Unctionem adultis

quibusque fidelibus periculosè decumbentibus, sive piè, sive malè vixerint, conferendam esse, etsi nullum pœnitentiæ signum dederint, modò impœnitentes certò non appareant, inter illos, inquam, appello *Habert*, tom. 6, pag. 556; *Collet*, tom. 12, pag. 701; *d'Argentré*, tom. 2, pag. 398. Cæterùm, Rituale Romanum, quod plura Ecclesiarum particularium de verbo ad verbum scripserunt Ritualia, sic habet: *Extrema Unctio impœnitentibus et qui in manifesto peccato mortali moriuntur, et excommunicatis, et nondùm baptizatis penitùs denegetur*: hæc autem libenter admittimus, et nostræ opinioni nullo modo præjudicant.

Dictum est in propositione, hunc moribundum absolvi debere, *modò nihil contrarium fecerit præsumptioni* juxta quam catholicus, etsi malus, censetur velle saltem ante mortem suam confiteri. Hinc non absolverem eum qui positus in extremis, et à Confessario de re necessariâ ad salutem monitus, noluit acquiescere, vel desperando noluit confiteri; hunc, inquam, in tam pravâ dispositione sensuum usu destitutum minimè absolverem, quia, etsi absolutè fieri possit ut hìc et nunc utens ratione, intùs resipiscat, tamen quia est mera possibilitas, etiam in casu necessitatis ad hoc ut ministretur alicui sacramentum minimè sufficiens, ideò moribundus ille sine absolutionis beneficio dimittendus videtur.

Sed *quid juris*, si moribundus professione fidei catholicus sensuum usu privatus est in flagranti delicto: poterit-ne etiam absolvi?

Certum est 1.° hunc absolvi non posse si in flagranti delicto usum rationis amiserit; tunc

enim repugnat ipsum esse contritum. 2.° Item, absolvi non potest statim post delictum, et nullo inter ipsum et absolutionem posito intervallo; quia ad conversionem, sine quâ nihil prodest absolutio, instantanea saltem temporis mora requiritur. 3.° Item, absolvi non poterit, si flagrans delictum in quo sensuum usu orbatus est, sit suicidium, vel ipsum impœnitentiæ finalis crimen; tunc enim respectu illius desinit præsumptio juxta quam christianus meritò censetur velle ante mortem absolvi. Hâc ergo triplici exceptione factâ, quæritur an possit absolvi.

Contrà faciunt, 1.° Theologi qui communiter asserunt absolvi non debere eum qui in flagranti delicto sensuum usu orbatus est. 2.° Censura sacræ Facultatis Parisiensis adversùs propositionem Guimenii pro sententiâ affirmante stantis. 3.° Aliqua præsumptio seu probabilitas utilitatis sacramenti, necessaria est ad licitam ejus administrationem, nec sufficit mera possibilitas: atqui in præsenti casu mera possibilitas huic moribundo favet. 4.° Absolutio data homini qui sic in flagranti delicto loquelam et usum sensuum amisisset, occasionem præberet scandali.

Aliqui pro affirmativâ stantes, *Respondent ad* 1.um, in re controversâ non numerandos esse Doctores, sed ponderandas eorum rationes. Inter affirmantes autem eminent illustr. *d'Argentré*, loco jam citato, *Henno*, etc. Prior sic habet, tom. 2 operis cit.: *Cette même raison prouve que si un homme a été blessé mortellement en se battant contre un autre, ou en volant pendant la nuit, et qu'il ne puisse parler, on ne doit pas désespérer qu'un tel pécheur n'ait demandé pardon à Dieu, et fait un acte d'espé-*

*rance, en désirant l'absolution, s'il a eu l'usage de la raison au dedans de son esprit, dans quelques intervalles, comme cela peut arriver; par conséquent, dans le doute, un Prêtre doit l'absoudre, ou du moins lui donner l'Extrême-Onction, qui remet par accident les péchés qu'un malade ne peut confesser, s'il est contrit dans son cœur.*

*Ad* 2.um Fortè potuit damnari Guimenii propositio, propter quasdam circumstantias ipsi adjunctas, salvâ quoad substantiam affirmante sententiâ.

*Ad* 3.um Plusquàm possibile est hunc moribundum sufficienter ad absolutionem disponi; fortè enim intùs rationis usu fruitur: in hâc autem hypothesi, verisimile est ipsum se ad contritionem excitare, et velle absolvi, et suam voluntatem inquantùm potest ostendere.

*Ad* 4.um Non malæ tantùm, sed simplices apparentiæ scandalum afferre possunt; si quis ergo in hoc casu absolvat, ad occurrendum scandalo, præsentes instruere poterit.

Patronis autem sententiæ hujus non sufficit respondere ad probationes in contrarium allatas, illam adhuc sic probare conantur: Absolvi potest moribundus qui catholicè sentiens malè vivebat, licèt nullum dederit contritionis signum, antequàm usum sensuum amiserit; ergo similiter potest absolvi moribundus istè, in flagranti delicto sensuum usu destitutus. *Consequentia* patet; rationes enim in gratiam prioris allatæ, posteriori non minùs patrocinari videntur. Etenim 1.a ratio sumitur ex eo quòd, si moribundus qui malè vivebat fruatur ratione intùs, meritò præsumitur ad contritionem seipsum excitare, et confiteri

velle, etc. : atqui evidens est quòd eadem ratio moribundum in flagranti delicto correptum adjuvet. 2.ª Ratio sumitur ex eo quòd catholicus non possit in extremâ necessitate constitutus privari jure quod retinet ad sacramenta, nisi certò constet ipsum prorsùs esse indispositum; non autem certò constat moribundum qui malè vivebat, quique, propter ingruentem subitò morbum, nullum pœnitentiæ signum dare potuit, non, inquam, certò constat ipsum esse indispositum : atqui non minùs evidens est hoc argumentum afferri posse in gratiam moribundi sensuum usu in flagranti delicto destituti; ergo, etc. Rationes in utramque partem exposuimus : cæteri dijudicent.

*Quæres* deniquè quid agendum sit ubi ignoratur an moribundus sit catholicus, vel non.

*Resp.* 1.° In regionibus catholicis, omnes quos extraneos esse non constat, Catholici supponuntur. 2.° Catholicus etiam præsumitur, qui reperitur iis in locis ubi Catholici sunt numero longè plures. Idcircò in hoc duplici casu danda est absolutio. 3.° Si verò ibi frequentiores sint Hæretici etiam absolverem moribundum istum, qui fortè catholicus est, et benè dispositus, sed sub conditione, ut mox dicetur.

## SCHOLIUM.

Qui in dubiis præfatis casibus absolvere voluerit, sub conditione istâ, *Si sis dispositus*, absolvat; sic enim profanationis periculo, quantùm fieri potest, occurret. Ex omnium ferè consensu, sufficit conditionem prædictam mentaliter apponi; aliundè, quia non pauci exprimi posse negant, satiùs est, illam reticendo, mente solâ concipere. Quòd si danda sit absolutio cuipiam de quo

movetur dubium an respiret, sub hâc conditione, *Si vivis*, absolvendus erit; si verò dubitetur an sit catholicus, sub istâ, *Si sis catholicus.*

## ARTICULUS VI.

### *Quid debeat præstare Confessarius qui malè absolvit pœnitentem.*

*Statuimus* 1.° Si ob defectum essentialem valida non fuit absolutio, Confessarius tenetur, per se loquendo, defectum illum corrigere; ratio est, quia alioquin deciperetur pœnitens in re gravi.

Dixi, si defectus sit *essentialis*, v. g., si Confessarius non protulit formam absolutionis, vel sine intentione, vel sine potestate sufficiente absolvit, vel si absolvit non subditum, aut non ritè dispositum, sive quia id non advertit Confessarius, sive quia non est ausus negare absolutionem.

Multis autem modis potest defectum corrigere, 1. quidem si defectus sit solùm ex parte Confessarii, procurando ut pœnitens eidem Confessario sequentem confessionem faciat; quâ factâ, dummodò Confessarius ipse saltem confusè meminerit præcedentis confessionis, quæret ab eo an de præteritis peccatis doleat, et an ea confiteatur quantùm necesse est, tuncque poterit eum absolvere à peccatis tam præteritæ quàm præsentis confessionis.

2. Si spes non sit revocandi pœnitentem, vel si absque scandalo aut alio incommodo revocari non possit, et ipse nondùm abierit, sed moraliter sit præsens Confessario, id est, eo solùm spatio distet, quo homines voce communi solent cum hominibus loqui; aliqui dicunt eum posse absolvi, dummodò certum sit eum esse ritè dispositum: sed hoc non est passìm usurpandum.

3. Si hæc non sufficiant, petitâ et obtentâ à pœnitente licentiâ cum eo loquendi de re necessariâ ad præcedentem confessionem pertinente, monendus erit de errore qui contigit : sin autem licentiam illam concedere nolit pœnitens, aut si sine scandalo vel incommodo gravi peti non possit, tunc Confessarius ad nihil aliud tenebitur, nisi fortè pœnitens in extremis positus aliam confessionem non sit facturus; tunc enim, etiam cum gravi Confessarii damno moneri debet de præteritæ confessionis defectu.

*Statuimus* 2.° Si absolutio fuit quidem valida, sed tamen admissus est aliquis defectus non essentialis, neque cum alterius damno conjunctus, v. g., si Confessarius omisit interrogare de numero vel circumstantiis peccatorum, vel de habitu aut occasione peccati, tunc regulariter tenebitur tantùm agere pœnitentiam de peccato admisso. Quòd si ad eum redierit pœnitens, facilè poterit in sequenti confessione corrigere defectum prioris. Si verò Confessarius positivè decepit pœnitentem, dicendo, v. g., declarandum non esse numerum vel circumstantias speciem mutantes, tenebitur pœnitentem monere modo suprà dicto.

*Statuimus.* 3.° Si defectus conjunctus est cum damno tertiæ personæ, v. g., si Confessor culpabiliter, hoc est, ex malitiâ, vel ex ignorantiâ vincibili, aut ex negligentiâ considerandi, ad restitutionem debitam non obligavit pœnitentem, tenetur eum posteà monere; et si id Confessor negligat, tenebitur ipse restituere, si positivè consulit pœnitenti ne restitueret, vel eum induxit ad non restituendum; tunc enim est causa positiva damni, ac proindè ex justitiâ tenetur illud compensare, si pœnitens moneri ampliùs non possit, aut monitus restituere ampliùs non valeat.

# CAPUT VI.

## *De Ministro sacramenti Pœnitentiæ.*

Tria expendemus : 1.° quisnam sit minister sacramenti Pœnitentiæ; 2.° quænam qualitates in eo requirantur ut validè illud sacramentum ministret; 3.° quænam verò ut licitè et condignè hoc munere fungatur.

## SECTIO PRIMA.

### *Quisnam sit Minister sacramenti Pœnitentiæ.*

Waldenses et Wiclefitæ absolvendi potestatem malo denegantes Sacerdoti, probo tribuebant laico. Morinus, lib. 8 de Pœnitentiâ, docuit hanc facultatem olìm Diaconis concessam fuisse. Contra quos sit

PROPOSITIO.

*Solus Sacerdos est Minister sacramenti Pœnitentiæ.*

*Prob.* 1.° *ex Script.* Ii soli sunt Pœnitentiæ ministri, quibus solis Christus concessit potestatem ligandi et solvendi : atqui ad solos Apostolos et eorum successores in sacerdotio diriguntur hæc verba, *Quæcunque alligaveritis*, etc., *Quorum remiseritis*, etc., et soli Episcopi ac Presbyteri sunt successores Apostolorum in eorum sacerdotio; ergo, etc.

*Prob.* 2.° *ex constanti Traditione;* quæ sic Christi verba intellexit.

Origenes, Homil. in Leviticum, ait, confitendum esse *Sacerdoti;* S. Cypr. lib. de Lapsis, re-

missionem peccatorum fieri per *Sacerdotes*. Ita SS. Basil., Ambr., Chrysost., Leo, et alii omnes, qui Sacerdotem ministrum Pœnitentiæ appellant. Vide eorum testimonia, ubi de necessitate Confessionis jure divino.

*Prob.* 3.° ex Conciliis : Constantiensi, contra Wiclefum; Florent., decreto Eugenii IV; et can. 10 Sess. 14 Conc. Trident. : *Si quis dixerit.... non solos Sacerdotes esse ministros absolutionis...; anathema sit.*

*Dices* 1.° Jacobi c. 5, ℣. 10, dicitur : *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra;* ergo quilibet potest esse minister Pœnitentiæ.

*Resp.* 1.° sensum hujus loci hunc esse, Confitemini homines hominibus, non quibuslibet, sed Sacerdotibus tantùm : ita explicant Patres multi.

*Resp.* 2.°, si S. Jacobus intelligatur de confessione factâ laicis, hanc non esse sacramentalem, sed tantùm humilitatis actum, ad obtinendam faciliùs à Deo veniam peccatorum, et ad petendum consilium et auxilium.

*Dices* 2.° Cap. *Fures*, de Furtis, dicitur quòd si fures in furando comprehensi aut vulnerati, Presbytero vel Diacono confessi fuerint, communio eis non denegatur. Item, S. Cyprianus, Epist. 13, permittit Diaconis ut pœnitentes in mortis articulo absolvant, si Presbyter non occurrat ; ergo, etc.

*Resp.* 1.° in utroque exemplo allato non agi de absolutione sacramentali à peccatis, sed de absolutione canonicâ à censuris, vel potiùs à pœnis satisfactoriis, quæ olìm pœnitentibus publicis imponebantur, inter quas erat communionis, precum et Eucharistiæ privatio : atque hunc esse genuinum Cypriani sensum patet legenti.

*Resp.* 2.° in cap. *Fures*, quod ex Conc. Triburiensi temporibus Formosi Papæ celebrato, anno 895, cap. 31, sumptum est, nullam fieri Diaconi mentionem, sed tantùm ibi dicitur : *Si autem talis fur vulneratus... voluntate piæ mentis deprecatur, Deoque et Sacerdoti, comite vitâ, emendatione morum et actuum confitetur, communionis gratiam non negamus tribuendam.*

## SECTIO II.

### *De Qualitatibus requisitis in Ministro Pœnitentiæ, ut Sacramentum illud* validè *administret.*

Qualitates omnes in ministro sacramenti Pœnitentiæ requisitæ, ut illud validè administret, comprehendi possunt nomine potestatis legitimæ : sub illo autem nomine tria intelliguntur, scilicet potestas Ordinis, potestas jurisdictionis, et approbatio.

Diximus jam requiri potestatem Ordinis, scilicet sacerdotalis, quàm Sacerdotes omnes in Ordinatione suâ æqualiter et indelebiliter accipiunt per impressionem characteris sacerdotalis, dùm ordinantur per impositionem manuum Episcopi. Restat ergo ut de jurisdictione et approbatione disseramus.

## ARTICULUS PRIMUS.

### *Utrùm requiratur potestas Jurisdictionis in Ministro sacramenti Pœnitentiæ; et quinam illam habeant.*

*Notandum* 1.° jurisdictionem in genere, esse auctoritatem quam quis habet in alterum tanquam in subditum; seu esse potestatem regendi et gubernandi subditos, sive illa potestas sit civilis sive

ecclesiastica, sive pro foro externo sive pro interno tantùm.

Jurisdictio autem in particulari pro foro interno conscientiæ, est auctoritas per quam Sacerdos, velut Judex in foro interno conscientiæ, jus habet alterum absolvendi, seu ferendi sententiam absolutionis in alterum tanquam in subditum.

*Notandum* 2.° jurisdictionem tripliciter differre à potestate Ordinis: 1. quia non confertur per Ordinationem aut per characterem, sicut potestas Ordinis; 2. quia confertur aliquandò ante Ordinationem sacerdotalem, v. g., quandò quis nondùm Sacerdos obtinet Beneficium parochiale (hodiè in Galliâ nemini conferri potest Beneficium parochiale, nisi sit Sacerdos, et 25 annos expleverit); 3. quia potestas jurisdictionis non confertur omnibus Sacerdotibus, neque æqualiter, neque immutabiliter, sicut potestas Ordinis; potest enim jurisdictio vel augeri, vel minui, vel auferri.

*Notandum* 3.° jurisdictionem communiter dividi in *ordinariam* et *delegatam*: quæ divisio fundatur in decreto Eugenii, et Conc. Trid.

*Ordinaria* illa est quam quis habet ex vi proprii muneris et officii, qualem habent illi qui ex officio, Beneficio, aut dignitate sunt Pastores animarum.

*Delegata* jurisdictio illa est quam quis habet non ex vi officii proprii, sed ex commissione alterius habentis illam ex proprio officio.

Circa potestatem jurisdictionis quinque nobis quærenda sunt: 1.° an sit necessaria; 2.° an illam habeant Pastores ordinarii; 3.° an delegati; 4.° an etiam qui ex errore communi habentur pro

pastoribus ordinariis aut delegatis; 5.° deniquè quinam jurisdictionem habeant ad absolvendum in casibus reservatis necessariam.

## § I.

### *An Jurisdictio sit necessaria ad administrandum validè Pœnitentiæ Sacramentum.*

PROPOSITIO.

*Præter potestatem Ordinis certum est requiri in Sacerdote potestatem Jurisdictionis, ut validè absolvat.*

*Prob. ex Conciliis :* 1.° Conc. Florent. in decreto Eugenii affirmantis ministrum sacramenti Pœnitentiæ esse *Sacerdotem habentem auctoritatem absolvendi ordinariam, vel ex commissione Superioris.*

2.° Ex Conc. Trid. Sess. 14, cap. 7 : *Quoniam*, inquit, *natura et ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur, persuasum semper in Ecclesiâ Dei fuit, et verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem.* Ex quo clarè infertur omnes Sacerdotes non habere jurisdictionem necessariam, ut absolutionem validè impertiant.

3.° Ex Conc. Lateran. sub Innoc. III, can. *Omnis utriusque sexûs*, ubi dicitur alienum Sacerdotem non posse absolvere, vel ligare, sine licentiâ proprii.

Rationem *à priori* attingit Trid. Sess. 14, cap. 6 et 7. Scilicet, sacramentum Pœnitentiæ, ex institutione Christi, est essentialiter judicium quoddam :

at ut judicium sit validum, requiritur jurisdictio in eo qui judicat, et subjectio in eo qui judicatur; ergo ex institutione divinâ requiritur jurisdictio, non autem ex humanâ tantùm institutione. Hinc Bonifacius VIII, de Pœnitentiis et remissionibus, in Sexto, cap. *Si Episcopus*, ait: *Nullâ potest consuetudine introduci, quòd aliquis, præter sui Superioris licentiam, Confessarium sibi eligere valeat, qui eum possit solvere vel ligare.*

Hinc doctrina Synodi Pistoiensis, in propositione 37.ª inter damnatas contenta, « sic intel- » lecta tanquam ad validum usum potestatis » absolvendi non sit necessaria ordinaria, vel » subdelegata illa jurisdictio, sine quâ Triden- » tinum declarat nullius momenti esse absolutio- » nem à Sacerdote prolatam, » reprobata est à Sum. Pontif. Pio VI, in Constitutione *Auctorem fidei*, ab omnibus Ecclesiis acceptatâ, velut « falsa, temeraria, perniciosa, Tridentino contraria, et injuriosa, erronea. »

*Dices* 1.° Sacerdotes in Ordinatione suâ acceperunt potestatem remittendi peccata; ergo non indigent jurisdictione.

*Resp. Dist. ant.* Acceperunt potestatem inchoatam et incompletam, vel remotam, *conc.*; completam et proximam, *nego.* Acceperunt quidem Sacerdotes veram ligandi et solvendi potestatem, sed illam actu exercere non possunt, nisi ubi et quandò accesserit potestas jurisdictionis, seu ubi et quandò illis ab Ecclesiâ assignati fuerint subditi, in quos potestatem Ordinis exerceant. Simile aliquid foret, si Rex tribueret aliquibus potestatem judicandi, illosque Judices constitueret, nec assignaret tamen iis subditos, sed illos accepturi essent ex dele-

gatione Proregis, quandò is opportunum judicaret.

*Dices* 2.° Potestas jurisdictionis non est necessaria ut Sacerdos validè administret Extremam Unctionem, sed solùm ut id licitè faciat; ergo à pari de sacramento Pœnitentiæ idem dicendum est.

*Resp. Nego consequent.* Disparitas petitur ex Trid. quod ait Pœnitentiam exerceri per modum judicii, in quo sententia valida non est, nisi in subditos feratur; at verò Extrema Unctio non exercetur per modum judicii : undè validè administrari potest ab iis qui nullam habent jurisdictionem.

## § II.

### *An Pastores ordinarii habeant Jurisdictionem ad ministrandum Pœnitentiæ Sacramentum.*

PROPOSITIO.

*Jurisdictionem habent Pastores ordinarii.*

Propositio certa est et indubitata ex decreto Eugenii, in Conc. Florent., et ex Trid. Sess. 14, cap. 7, jam citatis.

Porrò Pastores ordinarii, id est, qui ex proprio officio, aut Beneficio, aut dignitate, curam animarum habent, in triplici ordine vulgò ponuntur.

1.° Igitur Sum. Pontifex immediatè à Christo habet supremam et universalissimam jurisdictionem in omnes Christianos, ubicumquè gentium degentes, secundùm canones exercendam. Ad hunc ordinem reduci possunt summus Pœnitentiarius et Legatus à latere, ratione officii sui participantes modo excellentiori jurisdictionem papalem.

2.° Episcopi in totâ suâ Diœcesi, et Vicarii eorum Generales. Potest tamen Sum. Pont., ex antiquâ Ecclesiæ disciplinâ, casus quosdam seu peccata sibi reservare, ut constat ex usu et praxi Ecclesiæ, et declaratur à Conc. Trid. Sess. 14, cap. 7. Ad hunc ordinem reduci possunt Abbates exempti, in proprio territorio; Cardinales, in Ecclesiis sui tituli; et Prælati universales, in Religionibus, v. g., Generales, aut Provinciales Ministri, respectu Religiosorum sibi subditorum.

3.° Parochi jurisdictionem ordinariam habentes, sed limitatam intra terminos parochiæ suæ, et subordinatam Episcopo. Ad hunc ordinem reducuntur Vicarii perpetui, vice-Rectores, gallicè *Curés desservans* (1). Et in Religionibus, Prælati seu Superiores immediati, et generatìm omnes illi quibus ex officio incumbit immediatè animarum cura.

*Quæres* quot modis acquiratur jurisdictio ordinaria in foro Pœnitentiæ.

*Resp.* eam acquiri triplici modo. 1.° Ratione *domicilii* aut *quasi domicilii :* undè Episcopus et Parochus jurisdictionem ordinariam habent ad absolvendos eos omnes qui in eorum Diœcesi vel Parochiâ fixum habent domicilium, vel ibi per magnam saltem anni partem commorantur, ut mercatores in emporiis, scholastici in academiis, aulici in curiis. Hinc etiam qui habent duo domicilia in diversis parochiis, aut domicilium in unâ et quasi domicilium in alterâ, utriusque Parochi ordinariæ jurisdictioni subjiciuntur; ac proindè ab alterutro absolvi possunt, sive sint ejusdem sive diversæ Diœcesis:

(1) Vide mandatum Em. Cardinalis, 18 Oct. 1824.

decet tamen ut paschalis confessio et communio in eâ fiant parochiâ, ubi quis actu commoratur. 2.° Acquiritur jurisdictio *privilegio statûs :* sic Cardinales, qui aliundè jurisdictione carent, eam, et quidem ordinariam, habent in suam familiam pro foro Pœnitentiæ; sic etiam Superioribus Religionis subjacent Novitii, et ii omnes qui sunt verè de familiâ domûs, ac continuò commensales. 3.° Acquiritur *consuetudine,* vel potiùs tacitâ Superiorum voluntate per consuetudinem firmatâ : hinc iter agentes et peregrinantes absolvi possunt à Parocho illius loci in quo versantur, modò in patriam reversi testimonium factæ annuæ confessionis Parocho suo exhibeant, si id postulaverit. Quoad vagabundos, qui nullibi habent domicilium, ubique sortiuntur forum, inquiunt Theologi, et absolvi possunt à Parocho in cujus territorio nunc degunt.

## § III.

### *An Jurisdictionem habeant Delegati.*

#### PROPOSITIO.

*Delegatam Jurisdictionem habent ii omnes qui ab Ordinariis sunt sufficienter deputati ad audiendas confessiones.*

*Prob.* 1.° ex decreto Eugenii, ex Trid., ex Conc. Lateran. IV, can. *Omnis utriusque sexûs,* et ex cap. *Cùm Episcopus,* de Officio Ordinarii, in Sexto, in quo dicitur : *Cùm Episcopus in suâ totâ Diœcesi jurisdictionem ordinariam noscatur habere, dubium non existit, quin in quolibet loco ipsius Diœcesis non exempto, per se vel per alium possit pro tribunali se-*

*dere... ; necnon et cætera quæ ad ipsius officium spectant, liberè exercere.*

*Prob.* 2.° ex usu et praxi Ecclesiæ.

*Prob.* 3.° Quia hæc est natura jurisdictionis ordinariæ, cujus unus ex propriis actibus est delegatio, ita ut Pastor ordinarius possit per alium, sicut per seipsum, officium suum exercere.

Dixi in propositione, *qui sufficienter sunt delegati.* Ad sufficientem autem jurisdictionis delegationem requiritur consensus formalis et expressus Superioris delegantis, isque signo aliquo externo sufficienti manifestatus; neque sufficit consensus præsumptus; multò minùs sufficit ratihabitio de futuro, v. g., quòd Episcopus ratum habebit, cùm resciverit; consensus enim futurus non potest jurisdictionem dare pro præsenti, et ideò absolutio illa erit invalida, quippe data sine jurisdictione. Neque etiam potest absolutio dari cum hâc conditione, si Episcopus mihi dederit jurisdictionem, quia absolutio revalescere non potest, ut suprà dictum est.

*Quæres* quot modis acquiratur jurisdictio delegata.

*Resp.* eam triplici potissimùm ratione acquiri. 1.° *Ab homine;* idque vel immediatè et directè, quandò scilicet Ordinarius jurisdictionem alicui Sacerdoti concedit; vel mediatè et indirectè, cùm scilicet pœnitenti permittit ut quemlibet voluerit eligat Sacerdotem approbatum, ut fit in Jubilæis. Verùm, ne quis prætergrediatur limites facultatis sibi commissæ, verba concessionis expendenda sunt; quia illæ concessiones, ut communiter dicitur, tantùm valent quantùm sonant. 2.° *A Jure,* quandò Jus canonicum, aut Bulla, aut Constitutio Summi Pontificis, certis

personis, Prælatis, v. g., aut Religiosis concedit vel ut absolvant, vel ut Confessarium eligant. 3.° *A consuetudine* legitimâ, quæ signum est moraliter certum taciti Superiorum consensûs: hinc 1. Pastores et simplices Sacerdotes seculares possunt sibi Confessarium eligere, modò sit approbatus; hinc 2. iter agentes et peregrini, quamvis in alienâ Diœcesi domicilium retineant, confiteri possunt cui voluerint Sacerdoti approbato in loco ad quem divertuntur, si tamen non veniant in fraudem, et ut proprio Pastori se subducant; hinc 3. licitum est fidelibus, extra tempus paschale, quemlibet Confessarium idoneum et approbatum eligere.

Dixi, consuetudine *legitimâ* jurisdictionem acquiri, quia cùm jurisdictio pendeat à voluntate Superioris, ad ejus nutum, non obstante consuetudine, revocari potest: quapropter si revocetur, jam legitima non erit.

Cæterùm, diligenter observandum est ex consuetudine, seu tacito Ecclesiæ consensu, in articulo mortis, quemlibet Sacerdotem habere potestatem delegatam, et facultatem omnem necessariam ad absolvendum moribundum. Id patet evidenter ex verbis Trid. Sess. 14, cap. 7: *Ne aliquis pereat, in Ecclesiâ Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideò omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt.* Ex quibus Concilii verbis,

Infertur 1.° hanc facultatem habere Sacerdotes omnes, cum hâc tamen restrictione, quam admittunt communiter omnes ferè Doctores, scilicet hanc jurisdictionem et facultatem absolvendi in articulo mortis, non concedi ab Eccle-

siâ, nisi ob necessitatem, quæ nulla videtur, nisi quandò deest legitimus et idoneus Confessarius.

Infertur 2.° hanc facultatem concedi solùm pro articulo mortis : quo nomine intelligi etiam debet probabile periculum proximum mortis, ut colligunt Doctores ex canonibus eâ de re editis, in quibus modò adhibetur vox *articuli mortis*, modò vox *periculi*, ut videre est cap. *Eos qui*, de Sententiâ excommunicationis, in Sexto. Et quidem articulus mortis dicitur, quasi ultimus vitæ spiritus, quandò mors ferè inevitabilis est; periculum verò mortis dicitur, quandò mors frequenter solet in tali casu evenire, et proximè imminet, non verò quandò ferè certum est mortem esse diutiùs differendam, et interim futuram esse copiam legitimi Confessarii. Censetur autem periculum proximum et probabile mortis, actuale prælium in bello, periculosa navigatio et valdè longa, quandò in eâ non est futura copia Confessarii; item, primus partus mulieris, aut cùm aliàs experta est difficilem et periculosum; item, pestis et febris maligna, seu morbus quicunque subitò hominem interimens.

Infertur 3.°, in hoc casu necessitatis articuli mortis, peccata etiam reservata à quocunque Sacerdote directè ac per se absolvi, ita ut posteà, transacto periculo, nulla sit obligatio ea iterùm confitendi. Si tamen peccato reservato annexa sit censura *ab homine*, vel alia quælibet *denuntiata*, qui absolutus est ab eâ per Sacerdotem aliàs non valentem ab eâ absolvere, elapso mortis periculo, tenetur, cùm primùm commodè potest, sistere se coram Superiore aut ejus delegato, non quidem ut iterùm absolvatur, sed ut pœni-

tentiam ac remedia accipiat : ita notatur in Rituali hujus Diœcesis Tolosanæ, pag. 167, col. 1.

*Quœres* 1.° quandiù duret jurisdictio delegata.

*Resp.* 1.° si concessa sit jurisdictio ad tempus certum et determinatum, eo elapso, illam expirare absque aliâ revocatione. Sin autem concessa sit ad tempus indeterminatum, tandiù durat, quandiù non est revocata, nec revocatio sufficienter innotuit delegato.

Ratio est, quia jurisdictionis delegatio pro foro conscientiæ habet rationem gratiæ et favoris : sed gratia facta non expirat nisi per sufficientem revocationem. Nam juxta regulam juris, *Decet concessum à Principe beneficium esse mansurum.* Non ergo cessat jurisdictio delegata per mortem concedentis, cap. *Si cui*, de Præbendis et Dignitatibus, in Sexto ; neque etiam satis est ut delegans cesset velle, ut delegatus non pergat exercere functiones suas : sed præterea debet hanc suam voluntatem ei manifestare ; alioquin delegatus ignorans licitè et validè absolveret.

2.° Cessat delegata jurisdictio per revocationem ab ipso delegante, aut ejus successore factam, etiam sine causâ, et quamvis illicitè ; cùm enim tota jurisdictio sit in delegante, potest ad arbitrium suum revocare ejus usum, quem concesserat.

*Quœres* 2.° an delegatus ad audiendas confessiones possit iterùm subdelegare.

*Resp.* eum non posse, nisi ex delegantis expressâ concessione ; quia non potest agere ultra id quod ipsi concessum est : undè receptum est ab omnibus commune axioma, *Delegatum ordi-*

*nariè* (1), *non posse subdelegare* : hinc ille cui facultas data est absolvendi à reservatis, non potest alteri hanc commissionem demandare.

## § IV.

### *An Jurisdictionem habeant, qui ex errore communi habentur pro Pastoribus ordinariis, aut delegatis.*

PROPOSITIO.

*Præter ordinarios vel delegatos, qui errore communi putantur Pastores ordinarii vel delegati, et habent titulum coloratum, habent Jurisdictionem, et possunt validè absolvere, licèt non possint licitè, et sine peccato mortali.*

Ita communiter docent Theologi.

*Prob.* Quia ex decisione Juris utriusque, acta omnia quæ solam jurisdictionem requirunt, à Judice putatitio habente titulum coloratum profecta, sunt valida in utroque foro externo, ut patet, 1.° quoad Jus Civile, ex Lege *Barbarius,* de Officio Prætorum. 2.° Quoad Jus Canonicum, ex

(1) Etsi in foro Pœnitentiæ omninò valeat citatum Juris axioma, observandum tamen duplicem in aliâ materiâ pati exceptionem; namque delegatus potest delegare, 1.° si sit delegatus à Papâ vel à Principe, *nisi electa fuerit personæ industria*, *aut causæ graves sint, aut requirant merum ministerium*, ita in Jure; 2.° si sit delegatus ad *universitatem causarum*, cùm nempè delegato committitur officium cui annexa est jurisdictio. Hinc Vicarius jurisdictionem alteri Sacerdoti delegare potest, non quidem totam, sed pro unâ vel alterâ causâ, ut communiter docent Doctores. Vide *Layman*, de Pœnitentiâ, c. 10, n. 12 et 14; et Ligorium, n. 566 de Pœnitentiâ.

cap. *Infamis*, causâ 3, quæst. 7, quod ex Synodo Romanâ sumptum est : *Si servus*, inquit, *dùm putaretur liber, ex delegatione sententiam daret, quamvis posteà in servitutem depulsus sit, sententia ab eo dicta firmitatem tenet rei judicatæ*. Et hæc est praxis utriusque fori externi, civilis et ecclesiastici, Principe scilicet tunc conferente jurisdictionem ac potestatem necessariam; ergo similiter, in foro conscientiæ, dicendum est in tali casu Ecclesiam supplere defectum jurisdictionis, eamque reverà tunc conferre, ad vitanda magna incommoda et damna publica, ac perturbationes conscientiarum.

*Confirmatur* : Suppositâ potestate Ordinis, forum internum, quoad jurisdictionem, est ejusdem rationis cum foro externo ecclesiastico; ergo pari modo de utroque ratiocinandum est.

Dixi, *illos validè* posse absolvere, *non licitè*; certum est enim gravissimè eos peccare, qui scienter id faciunt, quia usurpant jurisdictionem quam non habent, et quam, suppositâ solùm eorum malitiâ, Ecclesia velut invita concedit in favorem filiorum suorum.

Cæterùm, ut acta Judicis putatitii valeant et absolutiones ab eo datæ, tres conditiones requiruntur. 1.ª Ex parte Judicis seu Confessarii, nempè titulus coloratus. 2.ª Ex parte populi, scilicet error communis. 3.ª Ex parte Principis seu Ecclesiæ, videlicet ut possit supplere defectum qui adest.

1.° Igitur ex parte Confessarii requiritur titulus coloratus, id est, titulus aliquis à Superiore acceptus, vi cujus reverà haberet jurisdictionem et potestatem necessariam, nisi obstaret impedimentum aliquod, vel tituli illius revocatio. Hunc au-

tem titulum esse necessarium patet : 1. quia decisio utriusque Juris supponit illum adesse in Judicibus putatitiis; 2. quia alioquin esset intrusus : at intrusi acta in utroque foro civili et ecclesiastico nulla sunt; falsa ergo est contraria quorumdam sententia (1).

Hinc 1.° invalida est absolutio data ab illo qui se intrusit sine titulo à legitimo Superiore accepto, v. g., qui falsas litteras approbationis confinxit, vel qui fingendo se esse Petrum, cùm esset Paulus, approbationem obtinuit, quam Petro deindè misit. Item, qui ad Beneficium electus quidem fuit, aut præsentatus, sed à Superiore ecclesiastico non est confirmatus.

Hinc 2.° validè absolvit, qui accepit à legitimo Superiore officium, Beneficium, aut aliquam potestatem publicam, ordinariam vel delegatam, licèt talis potestas invalidè ei collata fuerit, propter occultum impedimentum Juris ecclesiastici, v. g., ob irregularitatem, excommunicationem aut simoniam, etc., sive impedimentum oriatur ex parte concedentis, sive ex parte concessionis,

(1) Plures tamen, et quidem graviores Theologi, contrariam sententiam tuentur, præsertìm *Suarez, Delugo, Sanchez*, Lessius apud Ligorium, n. 572 de Pœnitentiâ, *Billuart*, etc., quia, sive adsit titulus coloratus, sive non, eædem omninò recurrunt rationes communis boni et animarum salutis, cui tantoperè providet pia mater Ecclesia. In hâc Diœcesi Tolosanâ, ex dispositione D. D. Eminentiss. Card. cautum fuit ut prorogetur approbatio, *cùm Sacerdos eam Superiori prorogandam miserit, vel etiam quandò per oblivionem inculpabilem ad Superiores tempore præfixo non recurrerit.* Per oblivionem inculpabilem intellige oblivionem quæ *à peccato mortali* sit immunis : ita declaravit D. D. Eminentiss. Card.

sive ex parte recipientis eam potestatem : sic valent absolutiones datæ à Parocho excommunicato aut simoniaco communiter ignorato.

2.° Ex parte populi requiritur error communis quo scilicet tituli vitium, seu invaliditas collationis, aut ablatio potestatis ignoretur communiter in illo loco ubi quis pro Confessario se gerit, ita ut indè sequeretur damnum publicum in eo loco. Dico, *ignoretur communiter;* neque enim sufficit ad validitatem absolutionis ignorantia unius aut alterius, aut etiam ejus qui confert titulum, quia tunc non sequeretur damnum publicum ex invaliditate actûs.

Præsterea, requiritur ut error ille populi sit invincibilis moraliter; si enim crassus sit aut supinus, non impediet invaliditatem absolutionis. Quòd si dubitet populus an Parochus, v. g., officio suo sit privatus, debet inquirere veritatem; alioquin dubium in errorem crassum evadet. Sin autem, adhibitâ diligentiâ, res adhuc dubia maneat, valebunt acta Parochi, qui in dubio non est privandus possessione certâ sui juris.

3.° Ex parte Ecclesiæ requiritur ut illa possit supplere defectum qui adest; alioquin si non possit illum supplere, invalida erit absolutio : v. g., si homo non baptizatus aut non Sacerdos absolvit, vel si Sacerdos in amentiâ aut sine intentione absolvat, absolutio erit invalida, quia hæc impedimenta jure divino vel naturali reddunt hominem incapacem jurisdictionis, tum habendæ, tum exercendæ : Ecclesia autem supplere tantùm potest impedimenta juris ecclesiastici.

## § V.

*Quinam habeant Jurisdictionem necessariam ad absolvendum à casibus reservatis.*

Casus reservati sunt delicta quædam atrocia vel ratione suî, vel ratione scandali, circa quorum absolutionem jurisdictio restringitur in inferioribus Sacerdotibus.

Ut peccatum censeatur reservatum, plurimæ requiruntur, ex usu communi, conditiones hìc explicandæ.

1.° Debet esse mortale : undè si quis ex ignorantiâ, vel ex defectu plenæ advertentiæ excusaretur à mortali, reservationem non incurreret.

2.° Debet esse externum : hinc nullum peccatum in solâ mente aut voluntate peractum reservationi subjacet; necesse tamen non est ut sit publicum, vel etiam in alicujus notitiam venerit; satis est quòd exteriùs sit admissum, quamvis penitùs occultum (1).

3.° Debet esse completum, et in eâ specie quæ reservatur consummatum : quapropter qui graviter vulnerat hominem, etiam cum animo occidendi, annexam homicidio reservationem non incurrit, nisi mors directè sequatur.

4.° Peccatum debet esse commissum à puberibus : puberes autem dicuntur mares qui decimum quartum ætatis annum, feminæ verò quæ duodecimum compleverunt.

---

(1) Communiter docent Theologi peccatum duntaxat veniale, prout externum est, licèt interiùs ex affectu pravo et intentione peccantis fiat mortale, non esse reservatum, nisi aliter judicandum sit *ex tenore reservationis,* ut aliquandò contingit in reservationibus quæ spectant peccata impudicitiæ.

5.° Debet esse certum, et quidem eâ certitudine quæ excludat dubium *Juris* et *facti*. Dubium *Juris* illud est quo quis non ex ignorantiâ, sed prudenter dubitat an peccatum certò commissum sit reservatum; dubium verò *facti* est, quo quis dubitat an peccatum certò reservatum commiserit. Porrò, juxta communem hodiè Theologorum sententiam, in utroque dubio reservatio nulla est; valent enim Juris regulæ : *Odia restringi et favores ampliari convenit*, reg. 15 Jur. in Sexto; *In pœnis benignior est interpretatio facienda*, reg. 49; *Contra eum qui legem dicere potuit apertiùs, est interpretatio facienda*, reg. 57.

6.° Quia, ex modò dictis, odia sunt restringenda, reservatio autem est odiosa, ideò extendi non debet ultra propriam verborum significationem, et in eâ non valent argumenta à pari, vel à fortiori; sed solæ voces Superioris reservantis, quæ per legem exprimuntur, sunt attendendæ. Undè, reservato homicidio, reservationi subjicitur solus homicida, non verò mandantes aut consulentes, nisi ii lege exprimantur. Prædictæ conditiones sequentibus exprimuntur versibus :

*Completum, externum, certum, mortale, favores*
*Auge, odium stringe, à potiori ratio nulla est;*
*Mas annos habeat bis septem, femina bis sex;*
*Solvo mandantes, quandò non Jura reservant.*

His præmissis, sit

## PROPOSITIO PRIMA.

*Summus Pontifex et Episcopi jus habent quosdam casus sibi reservandi.* Est de fide.

*Prob.* 1.° *ex Conc. Trid.* Sess. 14, cap. 7 : *Magnoperè*, inquit, *ad Christiani populi disci-*

*plinam pertinere SS. Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam crimina... à Summis duntaxat Sacerdotibus absolverentur: undè meritò Pontifices Maximi, pro supremâ potestate sibi in Ecclesiâ universâ traditâ, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare.* Can. verò 11, sic definit: *Si quis dixerit Episcopos non habere jus reservandi sibi casus...; anathema sit.*

*Prob.* 2.° *ex usu et praxi constanti Ecclesiæ.*

*Prob.* 3.° *Ratione.* Quia Christus Vicario suo potestatem dedit universam regendi Ecclesiam, Episcopis verò particulares Ecclesias gubernandi, et istud faciendi quod magìs expedit ad fidelium ædificationem: atqui sæpiùs expedit ut atrocia crimina reserventur, tum ne facilè committantur, tum etiam ne commissa minùs aptis remediis et pœnitentiis foveantur, potiùs quàm corrigantur; ergo, etc.

Sequuntur casus Summo Pont. reservati:

1.° *Occisio vel mutilatio aut quælibet enormis seu atrox percussio Clerici, vel Religiosi. Item, percussio Episcopi, vel Cardinalis, licèt non enormis.*

2.° *Simonia realis in Ordine vel Beneficio, et confidentia similiter realis.*

3.° *Incendium Ecclesiæ seu alterius ædificii, quandò incendiarius est publicè denuntiatus excommunicatus.*

4.° *Effractio sacrarum Ædium cum spoliatione, postquàm excommunicatio in effractores Jure lata publicata fuerit.*

5.° *Falsificare Litteras apostolicas, aut falsificatis scienter uti.*

Notandum non omnes hìc fuisse à nobis re-

censitos casus Summo Pontif. reservatos, sed eos tantùm qui in iis regionibus frequentiùs contingere possunt.

Casus autem in hâc Diœcesi reservati, in Rituali diœcesano enumerati reperiuntur.

### PROPOSITIO II.

*Extra mortis articulum vel probabile periculum, solus Superior qui peccata reservavit, vel ab ipso ad id specialiter delegatus, potest validè à reservatis absolvere* (1).

*Prob. ex Conc. Trid.* loco citato : *Extra quem articulum*, inquit, *Sacerdotes, cùm nihil possint in casibus reservatis, id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad Superiores et legitimos Judices pro beneficio absolutionis accedant.*

Dixi, *extra mortis articulum, vel ejus probabile periculum*, quia in utroque casu quilibet Sacerdos, altero deficiente idoneo, potest ex

(1) Hæc propositio ab omnibus admittitur, si agatur de jurisdictione ad absolvendum *directè* et *per se* à peccatis reservatis; sed contradicunt plures, si quæstio sit de jurisdictione ad absolvendum à reservatis *indirectè* tantùm, in certis quibusdam casibus, de quibus infrà. Nam, inquiunt, si nullo in casu, extra mortis articulum, communis Confessarius, ne *indirectè* quidem, posset à reservatis absolvere, tunc reservatio, quæ in ædificationem non in destructionem fieri debet, foret persæpè pœnitenti nociva, ut ex resolvendis patebit; imò est inutilis respectu Ecclesiæ, quæ, non obstante absolutione *indirectè* collatâ, scopum reservationis nihilominùs attingit, cùm pœnitenti *indirectè* absoluto à reservatis onus semper remaneat ea iterùm confitendi Confessario habenti potestatem, ut ab iis *directè* absolvatur. Vide *Suarez*, disput. 31, sect. 3.

generali Ecclesiæ concessione, ut observat Conc. Trid. Sess. 14, cap. 7, à quibuslibet peccatis et censuris reservatis absolvere.

Hìc autem plurima, quæ ad praxim spectant, sciri debent à Confessariis.

1.° Extra prædictum mortis articulum aut probabile periculum, nulla est casûs reservati absolutio ab inferiori Sacerdote non delegato data, quantumvìs ex ipsius ignorantiâ, inadvertentiâ, vel aliquali necessitate pœnitentis, qui, v. g., ex recursu ad Superiorem infamiam vel scandalum timeret. Ratio est quia nec ignorantia, aut inadvertentia, nec talis necessitas jurisdictionem conferunt (1).

2.° A casibus sive Sum. Pontifici sive Episcopo reservatis absolvere non possunt, nisi qui specialem eâ de re facultatem obtinuerunt, nec ab hâc generali regulâ eximuntur Episcopi, re-

(1) Aliter verò sentiunt quidam graves Theologi, eâ scilicet ratione nixi, quòd his in casibus reservatio foret inutilis et animarum saluti nociva, ut suprà diximus. Sapienter igitur à D. D. Eminentiss. Cardinali, pro suâ Diœcesi, sancitum est, 1.° *Ut omnis Sacerdos approbatus possit absolvere à casibus reservatis pœnitentem cujuscunque casûs reservati conscium, cujus absolutio non posset differri sine gravi ipsius damno, vel publico scandalo, cum onere tamen, si casui reservato annexa sit censura*, *illum posteà denuò aperiendi Superiori vel Confessario potestatem habenti à prædicto casu et censurâ absolvendi, non ad petendam absolutionem jam receptam*, *sed ad exsequenda Superioris vel ejus delegati mandata*. 2.° *Ut rata et valida sit absolutio eorum qui bonâ fide confessi sunt peccatum reservatum Sacerdoti non approbato pro reservatis*, Declar. circa Cas. reserv. Hinc, occasione reservationis, nec ignorantia, nec inadvertentia, nec etiam malitia Sacerdotis, saluti verè pœnitentis officit.

lativè ad casus Rom. Pontifici reservatos, nec Regulares, nec Parochi, in casibus quos sibi reservant Episcopi. Imò, licèt aliquis habeat potestatem absolvendi à casibus Sum. Pont. reservatis, non ideò potest absolvere à casibus quos reservavit Episcopus, ut expressè definiit Clemens X, anno 1670. Qui ergo casus Sum. Pontifici, qui Episcopo sint reservati, apprimè calleant omnes Confessarii, et ideò consulant indicem casuum reservatorum suæ Diœcesis.

3.° Nullum peccatum Papæ reservatum est, nisi censuram habeat annexam : undè quidquid excusat à censurâ, excusat pariter à papali reservatione. Hinc si quis atrociter percutiens Clericum, ignoret invincibiliter Ecclesiæ prohibitionem sub censurâ esse factam, vel talem hominem esse Clericum, percussio hæc non erit in eo casu Sum. Pontifici reservata.

4.° Episcopi absolvere possunt à casibus Sum. Pontifici reservatis, 1. si sint occulti, ex Conc. Trid. Sess. 24, cap. 6 : occulti autem dicuntur qui notorii non sunt, nec per sententiam Judicis, aut confessionem rei juridicam, nec per evidentiam quæ nullâ tergiversatione celari queat (1). 2. Si qui in eos incurrerunt, sunt Religiosi, Moniales, mulieres conjugatæ, viduæ juniores, puellæ, senes, domestici, pauperes, et quicunque legitimè impediuntur adire Summum Pontificem. Ita sancitum est variis capitibus Juris canonici (2).

(1) Vide *Traité des Dispenses de Collet, corrigé par M. Compans*, tom. 1, lib. 1, cap. 2, § 4, pag. 39 novæ editionis.

(2) Vide opus modò citatum, tom. 1, pag. 32 et 33 novæ edit.

5.° Qui speciali delegatione deputantur ad absolvendum à reservatis, nihil possunt ultra quod ipsis concessum est. Hinc 1. qui, auditâ pœnitentis confessione, postulat ab Episcopo vel ejus Vicario Gen. licentiam eum absolvendi à casu reservato, non potest eumdem ab aliis, quos Superiori non exposuit, absolvere. Hinc 2. qui generalem duntaxat facultatem habet absolvendi à casibus Episcopo reservatis, absolvere non potest à censuris, si quæ sint iisdem casibus annexæ (1).

6.° Confessarius qui non habet potestatem absolvendi à reservatis, nequidem potest à peccatis non reservatis pœnitentem absolvere, et eum pro reservatis ad superiorem mittere. Ratio est quia unum mortale peccatum remitti non potest sine altero. Difficultas est autem et controversia inter Theologos, utrùm ille idem Confessarius indirectè saltem absolveret à reservatis pœnitentem qui, eorum inculpabiliter oblitus, sola declarasset non reservata : alii affirmant ; rati Ecclesiam tunc meritò censeri debitam concedere jurisdictionem, ne occasione reservationis in æternum perirent homines ; alii negant, hâc duplici potissimùm ducti ratione : 1. quòd Conc. Trid. Sess. 14, cap. 7, statuat Sacerdotes extra mortis articulum nihil posse in casibus reservatis ; 2. quia potior non est ratio

---

(1) Ex dispositione D. D. Eminentiss. Cardinalis, omnes Sacerdotes approbati in hâc Diœcesi pro casibus reservatis, eo ipso facultatem habent absolvendi à censuris eisdem casibus annexis, sive D. D. Cardinal. Archiepisc., sive etiam Summo Pontifici, quoties ab istis D. D. Archiepisc. absolvere potest. Decl. circa Cas. res.

dicendi Ecclesiam concedere jurisdictionem in prædicto casu ignorantiæ vel inadvertentiæ pœnitentis, quàm in casu ejusdem ignorantiæ vel inadvertentiæ ex parte ipsius Confessarii (1).

7.° Absolutio auctoritate Superioris data, si irrita fiat ob indispositionem pœnitentis, probabiliter non tollit reservationem. Ratio est quia sive ipsi Superiori, sive delegato fiat confessio, non intendit Superior, nec potest delegatus intra sacramentum à reservatis absolvere, nisi per absolutionem sacramentalem, quæ cùm in casu dato sit nulla, nihil efficit. Quidam tamen contrarium sentiunt, modò absit in pœnitente mala fides (2).

8.° Potest Confessarius in eâ Diœcesi in quâ est simpliciter approbatus, pœnitentes ex aliâ Diœcesi affluentes absolvere à casibus in illâ Diœcesi reservatis, ex quâ veniunt isti pœnitentes, si iter agant ut peregrini, nec ad Confessarii Diœcesim in fraudem reservationis advenerint; quia nempè 1. usu receptissima est regula quòd in causâ delicti judicandus sit reus secundùm Jura loci in quo judicatur; 2. quia alioquin qui excipiunt confessiones in urbe quò advenæ ex ferè universis orbis partibus concurrunt, Parisiis

(1) In utroque casu valet absolutio in hâc Diœcesi Tolosanâ : in posteriori quidem, juxta dicta in notis pag. 665 ; in priori verò, ex declarat. circa Cas. reserv. quæ sic habet : *Volumus ratam et validam esse absolutionem eorum qui inculpabiliter omiserunt peccatum reservatum in confessione factâ Confessario non approbato pro casibus reservatis.*

(2) In hâc Diœcesi, tollitur reservatio per absolutionem irritam ob indispositionem pœnitentis, modò hæc indispositio non sit *mortaliter* sacrilega. Sequitur ex Decl. circa Cas. reserv.

scilicet, callere deberent casus omnibus Episcopis reservatos, quod moraliter impossibile est : neque enim ordinariè nôrunt pœnitentes quænam peccata in suâ Diœcesi sint reservata, vel non.

Sed *quid juris*, si casui reservato annexa sit censura, poteritne prædictus Confessarius ab eâ censurâ præfatos pœnitentes absolvere? *Resp. affirmativè.* Eædem quippe rationes quibus modò probavimus valere absolutionem à casu reservato, militant etiam pro validitate absolutionis à censurâ. Notandum verò hìc quæstionem non esse nisi de censuris *à Jure* vel *statuto*, quales sunt eæ quæ casibus reservatis annectuntur; aliter quippe dicendum foret de censuris *ab homine*, quæ ita sunt reservatæ, ut nullus nisi Superior, vel ejus delegatus, ab eis absolvere possit. Vide opus jam citatum, tom. 1, pag. 59 et 60 novæ edit.

9.° Quoties quis à Sacerdote pro reservatis approbato ritè dispositus absolvitur, sed aliquod peccatum reservatum confiteri obliviscitur, tunc à quovis alio Sacerdote absolutionem hujus peccati suscipere potest; quia Confessarius absolvit quantùm potest : Confessarius autem, ex hypothesi, absolvere potest à reservatis; ergo, etc.

## ARTICULUS II.

### *Utrùm, et quibus necessaria sit Approbatio ad validam sacramenti Pœnitentiæ administrationem.*

*Notandum* 1.° approbationem, prout hìc sumitur, esse testimonium authenticum Episcopi de capacitate et sufficientiâ Sacerdotis ad excipiendas fidelium confessiones, eosque sacramentaliter absolvendos.

Dicitur 1.°, *testimonium*, quia non sufficit judicium internum Episcopi, nisi verbis, scriptis, aut aliis signis sufficienter significantibus declaretur; multò minùs sufficit ratihabitio de futuro, ut suprà diximus.

Dicitur 2.°, *authenticum*, id est, cum auctoritate et sententiâ Episcopi, quatenùs est persona publica, præstitum; non enim sufficit testimonium privatum.

Dicitur 3.°, *de sufficientiâ*, id est, non solùm de scientiâ et doctrinâ Sacerdotis, sed etiam de morum integritate, prudentiâ, et aliis requisitis ad audiendas confessiones.

*Notandum* 2.° approbationem differre à delegatione jurisdictionis, et ab eâ posse separari. Nam approbatio est actus seu judicium intellectûs Superioris; delegatio verò jurisdictionis est actus voluntatis ejusdem. Neque hoc ipso quòd Episcopus aliquem idoneum judicat ad audiendas confessiones, ideò illi confert jurisdictionem : ordinariè tamen Episcopi, quandò approbant Sacerdotes seculares, et præcipuè cùm aliquem mittunt ad audiendas confessiones in certo loco, jurisdictionem simul cum approbatione conferunt, nisi aliud exprimant; et hanc formulam, *de consensu vel licentiâ Parochorum,* addunt communiter, ut moneant de modo cum Parochis ex æquitate servando, ut licitè detur absolutio in eorum parochiâ.

## PROPOSITIO.

*Certum est jure novo Concilii Trid. Confessario non habenti parochiale Beneficium, necessariam esse approbationem Episcopi, ut validè absolvat seculares, etiam Sacerdotes.*

*Prob. ex Trid.* Sess. 23, cap. 15, de Reformatione : *Quamvis*, inquit, *Presbyteri in suâ Ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accipiant; decernit tamen sancta Synodus nullum, etiam Regularem, posse Confessiones secularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari; nisi parochiale Beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur, et approbationem, quæ gratìs detur, obtineat, privilegiis et consuetudine quâcunque, etiam immemorabili, non obstantibus.* Ex quibus verbis,

Infertur 1.° approbationem ad validè absolvendum, necessariam esse omnibus qui non habent actualiter Beneficium parochiale, seu Beneficium curam animarum habens annexam. Undè non sufficit quòd quis illud habuerit anteà, vel brevì habiturus sit, quia scilicet ad illud jam est electus; quod intelligi debet de omnibus sine exceptione Sacerdotibus, sive secularibus, quantumlibet doctis, imò et doctoribus, sive etiam Regularibus, quantumvìs exemptis et privilegiatis, juxta hæc Trid. verba : *Nullum* Sacerdotem *etiam Regularem..., privilegiis et consuetudine quâcunque, etiam immemorabili, non obstantibus.*

Infertur 2.° necessariam non esse approbationem Sacerdotibus Beneficium parochiale actua-

liter habentibus ad absolvendos subditos suos, sive intra terminos parochiæ suæ, sive extra parochiam vel Diœcesim inventos, aut secum ductos, modò absit scandalum. Rationem afferunt Doctores, quia actus jurisdictionis qui non requirunt strepitum solemnitatis ac fori contentiosi, ubiquè possunt exerceri. Secùs verò dicendum de Sacerdote delegatam duntaxat habente jurisdictionem, Vicario, v. g. Ratio est, inquit Fagnanus, in cap. *Ne pro dilatione*, de Pœnit. et Remiss. n. 27 et 28, quia delegata jurisdictio restringitur ad locum pro quo fuit concessa; atque ita intelligit usus et praxis communis.

Dubitatur autem an Parochus non solùm jurisdictione, sed etiam Episcopi approbatione indigeat, ut validè absolvat alterius parochianos, sive intra, sive extra parochiam.

Et 1. quidem certum est Episcopum prohibere posse Parochis suæ Diœcesis ne jurisdictionem delegent cuiquam, etiam Parocho, à se non approbato: quo in casu Parochus, ab Episcopo non approbatus nullatenùs posset extra parochiam suam confessiones audire, et alterius parochianos absolvere, etiamsi essent ejusdem Diœcesis. Undè S. Carolus Borromæus, Act. Ecclesiæ Mediolanensis, part. 2, cùm permisisset Parochis alios Parochos in auxilium suum vocare tempore paschali, id addit: *De Parochis tantùm intelligi declaramus, quibus extra propriæ parochiæ fines ad audiendas confessiones probatis scripta facultas data est.* Idem etiam faciunt aliqui in Galliâ Episcopi.

2. Constat consuetudinem vigere multis in locis ut Parochi vicinos Parochos, saltem ejusdem Diœcesis, in auxilium advocent: quæ consuetudo, si

si non prohibeatur, signum est sufficiens taciti consensûs Episcopi. At ubi talis non est consuetudo, Parochi non approbati debent abstinere ab audiendis confessionibus alienorum parochianorum extra parochiam suam, præsertìm quia sacra Cardinalium Congregatio declaravit eos non posse aliàs absolvere (1) : ratio est quia, si id possent, eadem indè orirentur incommoda, quibus obviare voluit Conc. Trid. per approbationem : sequeretur enim Parochum vix in parvâ parochiâ idoneum, posse etiam sine approbatione in maximâ parochiâ Confessiones audire, cum notabili animarum damno (2).

Infertur 3.° necessariam esse approbationem ad audiendas confessiones omnium secularium sine ullâ exceptione; ita enim universaliter statuit Concilium : imò et ampliat addendo, *etiam Sacerdotum*, quo nomine etiam intelliguntur Episcopi, ut declaravit ipsa Congregatio.

Infertur 4.° necessariam non esse Regularibus ad audiendas confessiones Regularium.

---

(1) An Curati unius Diœcesis vocati à Parochis alienæ Diœcesis possint in istâ audire confessiones absque licentiâ Episcopi? sacra Congregatio respondit affirmativè quoad subditos, negativè quoad alios, Declarat. 3 Decemb. 1707.

(2) Et hæc quidem vera sunt stando in jure communi. Verùm, ex dispositione D. D. Eminent. Cardinalis, 1.° Rectores, gallicè, *les Curés de Canton*, sunt approbati pro totâ Diœcesi. 2.° Vice-Rectores, *les Curés succursaux*, pro toto districtu (*le Canton*) in quo eorum parochia sita e t, et pro omnibus districtibus contiguis. 3.° Vicarii sunt etiam approbati pro toto districtu in quo sita est parochia ubi munia Vicarii obeunt, et pro omnibus parochiis huic districtui contiguis. Vide Mandatum Eminent. Card. 18 Oct. 1824.

Excipi debent Moniales, etiam à jurisdictione Episcoporum exemptæ, nam ex Constitutione *Inscrutabili* Greg. XV, nullus potest earum confessiones excipere, nisi sit approbatus ab Episcopo (1). Clerus etiam Gallicanus in generali Conventu anni 1700, hanc propositionem damnavit : *Religiosæ exemptæ possunt absolvi à Sacerdote non approbato ab Episcopo, sive Sacerdos ille sit secularis, sive regularis;* hanc, inquam, propositionem damnavit, *ut falsam, temerariam, à Concilii Tridentini mente alienam, jurisdictioni Episcoporum et ecclesiasticæ disciplinæ contrariam.* Undè ex praxi et sententiâ communi, requiritur expressa et specialis approbatio. Insuper sacra Cardinalium Congregatio sequentes casus resolvit : 1. confessiones Monialium sine illâ speciali approbatione nullas atque irritas esse; 2. approbatum pro audiendis confessionibus mulierum, non censeri approbatum pro Monialibus; nec approbatum pro uno Monasterio, vel pro unâ vice, censeri approbatum pro alio Monasterio, vel pro aliis vicibus : quæ omnia novâ Constitutione confirmavit Clemens X, anno 1670, in Bullâ, *Supernâ magni Patris-familiâs.*

Infertur 5.° accipiendam esse approbationem ab Episcopis, id est, ab iis qui habent actu jurisdictionem episcopalem in foro externo, aut ab eorum Vicariis Generalibus, aut à Capitulo, Sede vacante; ab Episcopis, inquam, Diœceseum, seu locorum in quibus audiendæ sunt confessiones, et ad quos pertinet cura ovium et administra-

---

(1) Hâc in Diœcesi, Rectores, gallicè, *les Curés de Canton*, sunt approbati ad excipiendas confessiones Monialium quæ extra claustrum adhuc versantur, ex Mandato D.D. Em. Card. 18 Octobr. 1824.

tionis sacramentorum. Sic enim statuit Clemens X, respectu Religiosorum, in citatâ Bullâ, in quâ hæc leguntur : *Religiosos ab Episcopo ad confessiones secularium audiendas in suâ Diœcesi approbatos, non posse in aliâ Diœcesi eas absque Episcopi diœcesani approbatione audire, quamvis pœnitentes subditi sint ejus Episcopi à quo ipsi Religiosi jam fuerant approbati.* Quoad verò Sacerdotes seculares, constat ex communi fidelium praxi, approbationem ab Ordinario loci iis necessariam esse, ubi confessiones excipiunt; idque confirmatur ex Bullis Jubilæi, in quibus fidelibus datur facultas sibi eligendi Confessarium, modò sit ex approbatis ab Ordinario loci. Si enim Jubilæi tempore, quo ampliantur favores, requiritur approbatio ab Episcopo loci ubi fit confessio, quantò magìs extra Jubilæum. Hinc si quis in unâ Diœcesi approbatus, in aliam transeat, novâ indiget approbatione, ut ibi confessiones audiat, etiam illorum qui sunt ex eâ Diœcesi ubi approbatus est.

Deniquè, ex Bullâ citatâ Clementis X infertur Episcopum posse dare approbationem limitatam, sive ad tempus, v. g., ad annum; sive ad locum, v. g., ad oppida, et non ad urbes : item ad unam parochiam, et non ad alias; sive ad personas, v. g., viros, non mulieres; scholasticos, non mercatores, etc. Quòd si petitâ et non obtentâ approbatione, etiamsi injustè esset negata, quis præsumeret absolvere, absolutio esset prorsùs nulla et invalida. Hinc damnata est ab Alexand. VII hæc propositio, quæ est 13 in Bullâ : *Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato.*

Cæterùm diligenter observandum est, quosdam Theologos Morales multa in hâc materiâ præsertìm circa Regulares, olìm docuisse, tanquam probabilia, quæ jam nullo modo probabilia haberi debent, ob rescripta et declarationes posteriores Sum. Pont. Alex. VII et Clement. X, quæ in Galliis observantur.

## SECTIO III.

### *De Qualitatibus requisitis ut Confessarius dignè ac* licitè *Sacramentum Pœnitentiæ ministret.*

Tres præcipuæ qualitates in ministro sacramenti Pœnitentiæ requiruntur, ut dignè hoc munere fungatur, scilicet, probitas, scientia et prudentia : de quibus seorsìm.

## ARTICULUS PRIMUS.

### *De Probitate in Confessario requisitâ.*

Probitatis nomine duo intelligi possunt : 1.° intelligitur status habitualis sanctitatis sacerdotalis, quam sanè eximiam inesse debere iis quorum munus est alios sanctificare, per se notum est, et docet S. Greg. Pastoralis part. 2, cap. 2, his verbis : *Necesse est ut munda studeat esse manus quæ diluere sordes curat.* Etenim quantò quis sanctior erit, et Deo magìs conjunctus, tantò sanctificandis aliis erit aptior. 2.° Probitatis nomine intelligi potest sanctitas specialiùs requisita in actuali ministro confessionis, quæ quidem duo includit, actualem immunitatem ab omni peccato, saltem mortali ; et actuale exercitium multarum virtutum, v. g., pietatis erga Deum et puræ in-

tentionis, charitatis, compassionis, misericordiæ erga proximum, deniquè sollicitudinis et curæ salutis propriæ.

### PROPOSITIO PRIMA.

*Certum est ad validitatem sacramenti Pœnitentiæ non requiri in Ministro sanctitatem, neque actualem neque habitualem.*

Propositio est de fide, et fusè probatur in *Tract. de Sacramentis* in genere. Ratio est, quia minister sacramentorum non suo, sed Christi nomine agit, et tanquam ejus instrumentum. Christus autem, qui est principalis minister, semper est sanctus, potestque per quemlibet Pastorem sanctificare. Hanc rationem innuit Trid. Sess. 14, cap. 6, ubi nostram propositionem tradit.

### PROPOSITIO II.

*Ut Confessarius licitè et sine peccato sacramentum Pœnitentiæ ministret, debet esse in statu gratiæ et ab omni peccato mortali immunis.*

Propositio constat etiam ex *Tract. de Sacramentis* in genere, ubi probatur ministrum qui scienter sacramentum aliquod ministrat in statu peccati mortalis, peccare mortaliter, cùm et irreverentiam magnam committat erga Christum, cujus personam gerit, et sanguinem ac merita dispensat; et erga sacramentum quod indignè tractat : undè et sacrilegii reus est, si conscius peccati mortalis non conteratur, antequàm hoc sacrum ministerium exerceat.

Dubitant autem aliqui an peccet mortaliter qui in statu peccati mortalis audit confessionem pœ-

nitentis, si antequàm det absolutionem, conteratur : verùm illum peccare dicendum est, tum quia in statu malo exercet magnam ministerii sui partem, scilicet cùm tanquam Judex audit confessionem; tum etiam quia exponit se periculo evidenti non habendi contritionem etiam dùm absolvit.

### PROPOSITIO III.

*Ut quis dignè fungatur munere audiendi confessiones, necessarium est ei exercitium multarum virtutum.*

Ratio est quia, sine tali virtutum exercitio, in administratione tanti sacramenti, tamque difficilis ac periculosi officii, nunquàm deerit peccatum veniale, imò sæpiùs aderit mortale, tantumque ministerium exercebitur minùs benè, et consequenter minùs gratè Deo, minùsque fructuosè pœnitenti.

## ARTICULUS II.

### *De Scientiâ in Confessario requisitâ.*

### PROPOSITIO.

*Certum est in Confessario requiri aliquam scientiam, saltem ut licitè officio suo fungatur.*

Ratio est evidens, quia Confessarius exercet officium Judicis, Medici et Magistri, in quibus certissimum est aliquam requiri scientiam; ergo et in Confessario.

Ac 1.° quidem, pro officio Judicis, tenetur scire quæ pertinent ad ipsum, scilicet quam potestatem absolvendi habeat, pro quo tempore, quas personas, et à quibus peccatis absolvere possit. Deindè, scire tenetur quam dispositionem

pœnitens habere debeat, ut absolutione dignus sit; quem dolorem de peccatis perpetratis; quod propositum non peccandi in futurum, et quàm integra confessio pœnitentis esse debeat. Scire item debet quid sit peccatum, quid non, quænam sint peccata venialia ex genere suo, quæ mortalia; quæ sint peccatorum species diversæ; quæ circumstantiæ in confessione explicandæ; quandonàm peccata sint multa numero; quænam peccata afferant obligationem restituendi famam vel bona, aut satisfaciendi parti læsæ; quænam sint reservata, aut censuram vel irregularitem habeant annexam, etc., et quomodò de iis omnibus pœnitentem examinare aut interrogare debeat ac judicare, ut justam ferat sententiam, et pœnitentias injungat proportionatas gravitati criminum.

2.° Pro officio Medici, tenetur Confessarius scire ea quæ pertinent ad confessionum iterationem, cùm invalidæ fuerint; item, ad amovendas occasiones peccatorum, ad tollendos eorum habitus et radices, ad injungenda congrua et opportuna remedia; deniquè quæ juvant ad desperantes erigendos, pusillanimes confortandos, afflictos consolandos, duros emolliendos et excitandos ad compunctionem.

3.° Tandem, pro officio Magistri, tenetur ea scire quæ pertinent ad instructionem pœnitentis, v. g., fidei mysteria, impedimenta matrimonii, irregularitates vel suspensiones quæ illum impediunt à susceptione vel exercitio Ordinis suscepti aut suscipiendi. Item, cujusque statûs aut professionis debita et obligationes.

Horum autem omnium scientiam comparabit Confessarius partìm lectione assiduâ Scripturæ

sacræ, maximè verò S. Evangelii; partìm studio Juris canonici et Theologiæ moralis, seu Casuum conscientiæ, ut vocant; partìm lectione librorum spiritualium et virtutum exercitatione, quibus adde assiduam orationem mentalem.

Dixi 1.° in propositione, *requiri aliquam scientiam;* non enim summa necessaria est: sed sufficit mediocris, ita ut Confessarius ea saltem intelligat, quæ frequentiùs accidunt; at in aliis et difficilioribus prudenter dubitet, ac pœnitentem ad virum doctiorem mittat, aut ipse doctiores, vel libros consulat, suspensâ interìm absolutione; vel etiam aliquandò concessâ, si pœnitens promittit et prudenter judicatur facturus quod determinatum fuerit: major autem vel minor scientia requiritur pro diversitate locorum.

Dixi 2.°, *saltem ut licitè fungatur officio suo;* quia probabilius est absolutionem ab ignaro Confessario concessam validam fore, si omnia essentialia servaverit, et peccata sub generali et confusâ ratione peccati, id est, offensæ cognoverit. Imò, ex communi sensu et usu Ecclesiæ, constat Confessarium, quantumvìs indoctum, si non adsit alius, validè imò et licitè absolvere pœnitentem in articulo mortis constitutum.

Verùm, qui extra necessitatem sine sufficienti scientiâ huic muneri se ingerunt, graviter sine dubio peccant, sicut et illi qui talibus sine necessitate facultatem absolvendi concedunt, aut còncessam non revocant, cùm possint ac debeant; quippe exindè infinita malorum cohors emanat.

Duplici tamen casu, per accidens et occasionaliter tantùm, invalida est confessio, ob imperitiam Confessarii.

1.° Quandò pœnitens, sine necessitate, pec-

cata confitetur Confessario quem novit adeò imperitum, ut pœnitentis conscientiam dijudicare nequeat; tunc enim, ratione malæ fidei, pœnitens peccabit mortaliter contra præceptum declarandi omnia peccata in confessione, et ideò non recipit validè absolutionem, eo quòd non sit benè dispositus.

2.° Invalida est et iteranda confessio, quandò pœnitens confitendo sufficienter advertit Confessarium non percipere gravitatem, aut circumstantiam peccati speciem mutantem; et nihilominùs sine ampliori declaratione confitetur: cùm enim teneretur apertiùs declarare peccatum, et facere quod in se erat, ut Confessarius illud intelligeret ac justè judicaret; hoc non faciendo, peccavit mortaliter, et ideò non fuit validè absolutus, defectu dispositionis necessariæ.

Dixi, *per accidens et occasionaliter tantùm*, quia in allatis exemplis patet invaliditatem absolutionis oriri propriè ex indispositione pœnitentis, cujus tamen occasio fuit Sacerdotis imperitia.

## ARTICULUS III.

### *De Prudentiâ in Confessario requisitâ.*

Certum est prudentiam in Confessario maximè requiri, ut officium suum rectè ac licitè impleat.

Ratio est, 1.° quia scientia parùm juvabit sine prudentiâ, quæ scientiæ principia applicet ad particulares casus, circumstantias et personas; 2.° quia officium Judicis, Medici et Magistri, prudentiam exigit non vulgarem. Hinc Conc. Lateran. IV, sub Innoc. III, sic habet, can. 21: *Sacerdos autem cautus et discretus sit,*

*ut more periti Medici superinfundat vinum et oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens et peccatoris circumstantias et peccati, per quas prudenter intelligat, quale illi consilium dare debeat, et cujusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad sanandum ægrotum.* Necessaria ergo est prudentia, tum in interrogando, tum in dignoscendâ et excitandâ contritione pœnitentis, tum in pœnitentiis salutaribus injungendis ac remediis utilibus præscribendis, tum in absolutione dandâ, differendâ, aut negandâ, deniquè in servando inviolabiliter sigillo. Magnâ certè circumspectione et prudentiâ opus est, ut Confessarius rationem habeat ætatis, conditionis, statûs, sexûs, ac diversæ dispositionis pœnitentium, quia alioquin plus obesset ejus scientia, imò et zelus, quàm prodesset. Namque, ut sapienter ait S. Bern. Serm. 49 in Cantica, super hæc verba, *Ordinavit in me charitatem*, sic loquitur : *Importabilis siquidem absque scientiâ est zelus. Zelus absque scientiâ minùs efficax, minusque utilis invenitur, plerumquè autem et perniciosus valdè sentitur.* Hinc etiam S. Petrus Damian. Serm. 2 de S. Andræâ, de Confessario ait : *Oportet eum esse non minùs litteratum quàm religiosum, ut zelum Dei habeat, et secundùm scientiam; cùm indiscreta religio magìs obesse soleat, quàm prodesse.*

Quænam sint autem prudentiæ partes seu munia, ex dictis in toto ferè Tractatu satis compertum est : unum id monebimus generatìm, prudentiam postulare ut diligenter inspiciat Confessarius, an pœnitens omnes habeat dispositiones requisitas, ut dignè recipiat sacramentum;

et an ipse Confessarius omnia necessaria habeat ad absolvendum validè ac licitè pœnitentem.

Et hìc tandem de Pœnitentiâ dicendi sit finis, sed pœnitendi nunquàm : hìc etiam divinæ misericordiæ divitias admirari liceat : *Sed absit*, inquit Tertull., *ut ea quæ dicta sunt, sic aliquis interpretetur, quasi eò etiam nunc pateat ad delinquendum, quâ patet ad pœnitendum, et redundantia clementiæ cœlestis libidinem faciat humanæ temeritatis.* Nemo ergo idcircò deterior sit, quia Deus melior, toties delinquendo, quoties ignoscit; audiat potiùs et timeat Apostolum dicentem, Rom. c. 2, ℣. 4 : *An divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad Pœnitentiam te adducit?*

FINIS TOMI III.

# INDEX TOMI III.

## TRACTATUS

### DE GRATIA.

## PARS DOGMATICA.

# TRACTATUS

## DE SACRAMENTIS IN GENERE.

## TRACTATUS

### DE BAPTISMI SACRAMENTO.

# TRACTATUS

## DE CONFIRMATIONIS SACRAMENTO.



# TRACTATUS

## DE POENITENTIÆ SACRAMENTO.

FINIS INDICIS.